


III

Valencia
Historica

39
116





A 39

116

Handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to include the word "COMMENTARI" at the bottom.



10

Legada por
M^o Fran.^{co} Meuri

GVILLELMI ESTII
IN IV. LIBROS SENTENTIARVM
COMMENTARIA.



VALENTINVS CIPOLLINVS
IN OFFICINA BENEDICTI MONECORTI
OPERA BENE FERRENT

CONFIDENTIAL

CONFIDENTIAL

GUILLELMI ESTII
IN IV. LIBROS SENTENTIARVM
COMMENTARIA

QVIBVS PARITER S. THOMAE
SVMMAE THEOLOGICAE PARTES

OMNES MIRIFICE ILLVSTRANTVR.

EDITIO PRIMA HISPANA
IN VSVM SCHOLAE VALENTINAE.

TOMVS I.



VALENTIAE CIOCCCLXXXIX.

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT.
SVPERIORVM PERMISSV.

WILLELMI ESTII
IN IV. LIBROS SENTENTIARUM
COMMENTARIA
QUIBUS PARTES 2. THOMAE
SUMMAE THEOLOGICAE PARTES
OMNES MERITO REPERTANTUR.

EDITIO PRIMA HISTORICA
IN USUM SCHOLAE VALENTINAE.

TOMVS I.



VALENTINAE MDCCCXXXIX.

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT.
SUPERIORVM PERMISSV.

IN QVATVOR LIBROS SENTENTIARVM

PRAEFATIO,

*breviter ostendens, quae sit et qualis
scientia in his libris comprehensa.*



Niversam pene doctrinam sacram,
quam Theologiam nuncupamus,
quatuor Sententiarum libris con-
venienti ordine complexus est Pe-

trus Lombardus, eam ob causam sortitus no-
men Magistri Sententiarum. Ad quos expli-
candos priusquam veniamus, ostendendum
breviter quae sit haec scientia; quod eius
obiectum; quae ex obiecto dignitas; quae
certitudo et utilitas; denique quis auctor. Ex
his enim cuiusque disciplinae commendatio
peti solet, Theologia definiiri potest scientia,
qua ea quae de Deo ac rebus divinis, divi-
nitus revelata sunt, cognoscuntur. Ex qua
definitione statim id quoque intelligitur,
quod de obiecto quaerendum erat, nempe

Estii Theol. Tom. I.

a

pri-

primum huius scientiae subiectum sive ob-
 iectum, esse Deum Optimum Maximum. Non
 quacumque tamen ratione (nam et Metaphy-
 sicus et aliquo modo Physicus Deum consi-
 derat) sed quatenus est Deus ; non vero se-
 cundum aliquam rationem adtributalem , ut
 late Bannes ad S. Thomae *1. part.* ex ipso S.
 Thoma ostendit. Non obstat quod dicitur *ad*
Rom. X. Finis legis Christus , ad iustitiam
omni credenti : Sensus enim est , *Finis* , id est,
 consummatio , perfectio , impletio : quia vi-
 delicet lex non impletur nisi per Christum.
 Non etiam obstat illud : *Non iudicavi¹ me*
scire aliquid inter vos , nisi Iesum Christum
et hunc crucifixum : Quia Apostolus Corinthiis
 tamquam parvulis in Christo , quibus lacte
 opus sit , ut dicitur sequenti capite , tantum
 illa praecipua ad salutem necessaria praedica-
 vit , et tamen ibidem dicit : *Sapientiam lo-*
quimur inter perfectos.

Ratio autem formalis sub qua Deus est
 subiectum Theologiae , est esse revelatum,
 ut S. Thomas dicit : vel ut Bannes expli-
 cat , esse virtualiter revelatum. Nam Theolo-
 gia utitur principiis immediate revelatis , et

ex

¹ I. ad Corinth. II.

ex illis argumentando deducit conclusiones, quae tantum sunt mediate et virtualiter revelatae, quatenus conclusiones sunt; et circa eas proprie versatur scientia Theologica. Nam circa principia versatur habitus fidei. Itaque Theologia praesupponit fidem, tamquam habitum principiorum: sicut in naturalibus scientia praesupponit intellectum, qui est habitus principiorum naturalium.

Tenendum est sacram¹ hanc scientiam, partim in contemplatione, partim in actione versari: eique inter humanas disciplinas respondere, hinc Metaphysicam, inde moralem scientiam, ut dicere liceat, Theologiam non aliud esse quam Metaphysicam et Ethicam quamdam sacram atque perfectam, utpote a Deo demonstratam et traditam hominibus ad vitam vere beatam consequendam. Verumtamen recte docet S. Thomas *1. part. quaest. 1. art. 4.* doctrinam hanc magis esse speculativam quam practicam: eo quod principalius agat de rebus divinis quam de actibus humanis. De his enim, inquit, *agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectam Dei cognitionem, in qua aeterna beatitudo consistit.*

a 2

Prae-

¹ S. Thom. 1. part. quaest. 1. art. 4.



Praestantia seu dignitas ¹ huius scientiae ex re obiecta (si quidem ex obiectis proprie scientiarum dignitas aestimanda est) facile cognoscitur. Si enim Deo rebusque divinis nihil est maius neque praestabilius; planissime consequitur istarum rerum scientiarum, ceteras omnes dignitate superare. Si obiiciatur, scientiae naturales sunt evidentiores Theologia, ergo praestantiores. Respondetur, non sequi nisi secundum quid esse praestantiores; quia tametsi ceteris paribus scientia evidens praestet scientiae inevidenti; at Theologia multis aliis nominibus praestantior est: ut ratione obiecti, certitudinis, cet. Item, sciendum inevidentiam non includi in ratione Theologiae, sicut bene docet Bannes, quia manet in futuro saeculo, ubi erit evidens. Utitur autem principiis lumine supernaturali cognitis; sive illud lumen sit lumen fidei, ut in hac vita; sive lumen gloriae, ut in beatis.

Certitudo quoque eius tanta est ², quanta veritati divinae, cui haec scientia niritur, tribui debet, id est, summa. Quod enim ex
 di-

¹ S. Thom. 1. part. quaest. 1. ars. 5.

² S. Thom. art. proxime citato.

divina revelatione acceptum est, etsi saepe propter intellectus nostri caliginem, minus sit evidens quam alia multa, quae a nobis cognoscuntur; certius tamen est multo quam si id, vel sensu compertum vel demonstratione cognitum teneremus.

In doctrina Theologica nobis vitanda subtilis obscuritas, sive obscura subtilitas, quae res solet multorum mediocria ingenia a lectione abstertere, quale quid Ioanni Scoto propter obscuram subtilitatem accidisse, testatur Trithemius et ipsa probat experientia.

Porro quum finis atque usus Theologiae sit, ut per eam homo Deum cognoscat, et cognitum diligat, atque in eo tamquam summo bono suo tandem conquiescat; satis inde manifestum est quam magna sit, et omnibus expetenda eius utilitas: ut merito haec scientia prae ceteris omnibus dici debeat magistra ad bene beateque vivendum.

Denique auctor et inventor eius est Deus et Christus Dei Filius: *Est enim Deus in coelo revelans mysteria. Daniel. II. Et ea quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei. I. ad Corinth. II. Unigenitus autem, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Ioann. I. Et Baruch*


ruch Propheta *cap. III.* testis est , neminem mortalium scire posse vias sapientiae Dei: *Sed qui scit universa* , inquit , *novit eam* , *et adinvenit eam prudentia sua.* Hic adinvenit omnem viam disciplinae , *et tradidit illam Iacob puero suo* , *et Israël dilecto suo* , id est populo credentium. Auctor es Deus Pater , *Matth. XI.* *Revelasti ea parvulis* , ait Christus ad Patrem. Et *cap. XVI.* *Caro et sanguis non revelavit tibi* , *sed Pater meus qui in coelis est.* Auctor Deus Filius , *Matth. XXIII.* *Magister vester unus est Christus.* Auctor Spiritus Sanctus , *Ioann. XIV.* *Ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.* Et *cap. XVI.* *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Iam ex his quae diximus aperte consequens est , Theologicam doctrinam , sive obiectum eius sive cetera iam declarata consideres , reliquas omnes scientias longo post se intervallo relinquere. Quo etiam fit , ut sapientiae nomen haec prae aliis iure sibi vendicet : quia nimirum contemplatur supremam causam ; non in uno aliquo genere , sed absolute : quemadmodum bene docet S. Thomas *I. part. quaest. I. art. 6.* Apud quem praeterea videre est *art. 2. et 3.*

eius-

eiusdem quaest. quomodo haec doctrina recte scientia, id est, ex principiis accepta notitia esse dicatur, et qua ratione sit scientia una. Scientia utique est, quia procedit ex principiis revelatis a Deo: una autem scientia est, ratione formalis obiecti, quod est, divinitus traditum ac revelatum esse: in quo uno omnia quae proprie sub hanc scientiam cadunt, necesse est convenire.



THEOLOGICAE DOCTRINAE.




Theologica scientia ^r varie dividi potest pro diversitate rerum circa quas versatur. Ac primo quidem omnium occurrit ea divisio, qua dividitur in partem quae versatur circa Deum, et alteram quae circa res a Deo factas et institutas. Verum cogitanti diversum hominis statum ante et post peccatum, et natam ex ea re varietatem ac multitudinem eorum quae Deus homini revelare voluit, aptissima videbitur ea partitio, qua dividitur universa Theologia in primam et secundam.

Primam itaque, quae et perpetua dici potest, vocamus eam, qua Deum resque divinas homo considerat secundum primam rerum institutionem, videlicet praeveniendo peccatum hominis et Angeli, et quae peccati occasione consequuta sunt, vel bona vel mala. Versatur ergo haec Theologiae pars, primum circa Deum, unum in substantia, trinum

num in Personis, eiusque proprietates. Deinde circa res creatas, quatenus a Deo, velut suo primo principio productæ, eiusdem providentia conservantur et gubernantur, atque in fines suos diriguntur. Potissimum vero circa creaturam mentis ac rationis participem, quatenus ea Dei participatione beata fiat, id est, circa Angelum et hominem, qualis conditus est, et qualis ante peccatum fuit, tum secundum corpus, tum maxime secundum animam; cuius ut et Angeli, considerat potentias naturales intellectum et voluntatem, sub qua continetur liberum arbitrium. Quo etiam lex Dei aeterna ac naturalis, et virtutes tam Theologicae quam Morales, et merita bonorum operum referuntur.

Ceterum per peccatum quod libero creaturae intellectualis arbitrio commissum est, subintravit alterius in Theologia partis necessitas, quam secundam Theologiam dicere liceat. Haec autem non paulo plura doctrinae capita quam prior illa comprehendit: velut de lapsu Angelorum et primorum hominum; de peccato originali deque ceteris, quae inde consequuta sunt peccatis; de morte aliisque peccatorum poenis: tum de hominis la-






psi reparatione, quae fit per beneficium Christi Redemptoris. Vnde rursum complura emergunt considerationis capita, quae hunc ferme habent ordinem, de praedestinatione hominis lapsi eiusque reparatione: de mysterio Incarnationis, Passionis et Mortis Christi: de eiusdem Resurrectione et Ascensione in Coelum, et in universum de eius glorificatione: de gratia Christi, et tota hominis iustificatione. Item de statu ac differentia veteris et novae Legis: de Praeceptis et Consiliis Evangelicis: de vocatione Gentium, atque omnino de Ecclesia Christi Catholica, eiusque per Episcopos et Presbyteros aliosque Praefectos, sub uno Capite Romano Pontifice, ordinatissima gubernatione: de Legibus et Censuris Ecclesiasticis: de Conciliis generalibus et particularibus: de Scriptura Sacra, et Traditionibus Ecclesiae: denique de Sacramentis et Sacrificiis, et in universum de caeremoniis et cuiuscumque generis institutis tam veteris quam novi Testamenti. Quibus omnibus accedit consideratio de statu defunctorum secundum diversa tempora ac diversa merita, deque iudicio Dei tam particulari quam universali; ac de resurrectione mor-

mortuorum, in qua consummabitur humanae naturae quoad electos instauration per Christum, cum quo perpetuo beati erunt, reprobis sub ira Dei derelictis, atque aeternae miseriae addictis.

Vtramque sane Theologiae partem breviter complexus est Salvator noster his verbis, *Ioann. XVII. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.* Nam prior huius sententiae pars ad primam Theologiam pertinet: posterior ad secundam quae Christum Redemptorem a Patre missum considerat. Quod si peccatum in mundum non intrasset, Christo Redemptore opus non fuisset, et tota secundi generis Theologia vacaret. Quo fit ut ea non inepte accessoria vocetur. Nunc autem peccati occasione, et miseriae nostrae tollendae necessitate factum est, ut licet prima pars sit excellentior; altera tamen copiosior sit atque in multo pluribus versetur, quemadmodum ex supra posita enumeratione manifestum est. In quibus etiam (quod hoc loco notandum est) multa sunt a Magistro praetermissa: velut de Ecclesia eiusque auctoritate, notis et conditionibus: de pri-



matu Petri et successorum eius : de Scriptura Sacra , ac Traditionibus Apostolicis , Conciliis oecumenicis , atque horum omnium auctoritate : quorum tractatio aliunde petenda est.

Postremo loco adiiciendum , methodum quam Magister in hoc opere sequitur , et prima distinctione proponit , proxime accedere ad ordinem primae et secundae Theologiae a nobis expositum. Nam libro primo, et quadam parte secundi, de Deo et rerum creatione disserit, quae quidem sunt primae considerationis Theologicae. Reliqua vero parte libri secundi, de lapsu hominis et gratia reparatrice. Tertio libro, de Christi Incarnatione et morte (postrema pars tertii agit de Virtutibus et Decalogo , quae sunt primae considerationis). Quarto, de Sacramentis, et perfecta hominis secundum corpus et animam renovatione. Quae omnia sunt secundae considerationis.


Si cui tamen nimium generalis et confusa videtur haec in primam et secundam divisio doctrinae Theologicae, facile poterit utramque in plurima membra subiecta partiri. Velut primam, in eam partem quae agit
de

de Deo, et eam quae de creatura; et illam
rursus in eam, quae tractat de Deo, quoad
naturam et essentialia adtributa, et eam quae
de Trinitate Personarum. Hanc autem in eam
quae de creatione rerum in genere pertractat,
et eam quae peculiariter de Angelo et ho-
mine. Secundam vero subdividet in eam par-
tem, quae de lapsu Angelorum et hominum
agit, et eam quae de hominis reparatione.
Et illuc quidem referenda est peccatorum tra-
ctatio, tam originalis quam actualium: huc
vero doctrina de Christo et gratia eius, de
Ecclesia, de Sacramentis, de Scriptura et ce-
teris, quae his subiecta vel connexa sunt.
Sed ad ipsum Magistrum veniamus.

IN LIBRI PRIMI
DISTINCTIONEM PRIMAM.

PARTITIO TOTIVS OPERIS

SECUNDVM AVCTOREM.



Doctrinam his quatuor libris tradendam dividit Magister, imitatus Augustinum *lib. 1. de doct. christ. cap. 2.* in eam quae rerum est, et eam quae signorum. Res adpellamus, quae ita existunt, ut non ad significandum aliquid adhibeantur: signa vero, quorum usus est in significando. Et in signis quidem, id est, Sacramentis, occupatur quartus liber usque ad tractatum de Resurrectione, tametsi praeter Sacramenta sunt et alia signa, quorum consideratio ad Theologum pertinet, ut in universum caeremoniae et Scripturae: in rebus autem, tres libri priores, et rursum extrema pars quarti.


Praeterea quum secundum eiusdem Augustini divisionem, quam tradit *cap. 3. eiusdem lib.* rerum aliae sint, quibus fruendum est, aliae quibus utendum, aliae quae fruuntur

tur

tur et utuntur, primo libro de ea re agit Magister, qua fruendum est: initio secundi, de rebus quibus est utendum: ac deinde de intellectuali creatura, angelica et humana; quae nimirum et uti rebus potest et frui. Tum de libero arbitrio et gratia, virtutibus ac vitiis, per quae homo rebus utitur aut fruitur, bene vel male. Tertio demum libro, de mysterio Redemptionis humanae, per quam sublato peccato (quod non aliud est, quam malus ac perversus rerum usus, aut perversa fruitio): in eum homo restituitur statum, in quo correctâ voluntate, his tantum rebus, quibus et quomodo oportet, utatur vel fruatur.

Porro ex hac rerum utendarum et fruendarum partitione, occasionem accepit disputatio de utendo et fruendo; in qua tota haec prima distinctio consumitur.

CANDIDO LECTORI.



Quum videbis passim in hoc opere, Lector, adnotari loca S. Thomae, scias id tui commodi factum esse. Nam quum auctor iuxta consuetudinem antiquae Scholae Theologicae, ordinem Magistri Sententiarum sequatur, non S. Thomae, quem modo passim Theologorum Schola recepit, non parum tibi profuturum existimavimus, si ad singulos paragraphos seu capita adnotaremus ea loca Summae Theologicae (quae his mirifice Commentariis illustratur) quibus S. Doctor eandem materiam pertractat.

Quoniam autem multa hisce libris continentur, de quibus Angelicus Doctor expressam quaestionem non proponit, quae tamen vel in corporibus articulorum, vel in solutionibus argumentorum innuit, quaeque ab aliis in dictam Summam commentarios scribentibus adcuratius tractata invenimus; visum fuit adnotanda quoque esse ea loca, circa quae dicti Commentatores ea discutere et examinare solent.


Vsque adeo vero nemini mirum videri debet, si plures subinde articulos, immo et quaestiones ad eundem Paragraphum adnotari videat; ut etiam plura adnotassemus, nisi ex tanta multitudine praecipuorum adnotatione maluissemus esse contenti. Ita enim auctor brevitati studuit, ut quae alii longis ac prolixis disputationibus explicare solent, ipse paucis complexus sit. Neque enim aliud ipsi propositum fuit, tam in priore quam in posteriore horum Commentariorum praelectione, quam breve quoddam totius doctrinae Theologicae Compendium tradere. Quod quam feliciter sit adsequutus, prudens quisque iudicet: nec dubitamus, benevole Lector, quin nobiscum iudicaturus sis, auctorem felicissime scopum attigisse, ubi videbis in hoc Commentario, qui diu a multis desideratus iam in lucem emittitur, omnia pene difficiliora Scripturae Sacrae loca, Summorum Pontificum decreta, ac SS. Patrum dogmata, admiranda certe doctrina elucidata, conciliata et explicata.

Quamquam autem nec ea desunt argumenta, quae ex ratione a Scholasticis Doctoribus peti solent, ea tamen ipsa plerum-

Estij Theol. Tom. I.

c

que



que reperies stabilita ac confirmata auctoritate in primis Sacrae Scripturae aut SS. Patrum, praecipue tamen S. Augustini: cuius doctrinae quam fuerit studiosus, quantusque imitator, patebit, dum saepe interlegendum ipse tibi S. Augustinus loqui videbitur.

Quod attinet ad triplicem Indicem quem in voluminis huius frontispicio promisimus; priorem quidem, scilicet paragraphorum seu capitum ad calcem singulorum librorum adiecimus: duos vero alios, quorum alter erit praecipuorum locorum S. Scripturae, alter rerum notabilium, quae toto hoc opere explicantur ac continentur, quosque pro maiore tuo commodo differendos censuimus, reperies post finem libri quarti, quem cum Dei gratia brevi quoque conspectu tuo exhibebimus.

Porro quae ad operis huius excellentiam spectant, cum tuo fructu ex diligenti ipsius lectione potius quam nostra commendatione poteris intelligere. Vide interim quae de auctoris viri doctissimi iuxta ac sanctissimi doctrinae et virtutibus eximiis ab aliis scripta sunt, quaeque eius in Epistolas S. Pauli

Com-

Commentariis præfixa habes. Vide, admirare et imitare.

Gaspar Nemius S. Theol. Licent. ab Regii Seminarii Duac. Praeses.

Augustinus Lenglet S. Theol. Licent.

EPITAPHIUM

EIVSDEM D. GVILLELMI ESTII.

Patria, Gorcomium, est, qui me eduxere parentes,
 Hic stirpe Estiades, Pikius illa fuit.
 Sumere ab his licuit mihi vitæ exemplar honestæ;
 Tota stetit prisca pro pietate domus.
 Traiectum, antiquis Rbeni contermina ripis,
 Musarum ingenuis artibus erudiit.
 Lovanium in Sophiæ Stagiritidis ardua duxit,
 Et titulo ornavit duplice Theologum.
 Ad Cathedram et Regimen, Schola me Cætuaca vocavit;
 AEdæ Petri, gessi munia Præpositi.
 Ter denis Spartam geminam, haud inglorius, annis
 Doctor uti et Praeses Regius excolui.
 Doctrinæ, ingeniique mei monumenta relinquo:
 Unde mihi, in vita morte, perennet honos.

And. Hoius canebat.

I N D E X

DISTINCTIONVM ET PARAGRAPHORVM

quae in hisce commentariis libri primi
Sententiarum continentur.

DISTINCTIONIS I.

I.	<i>Quid uti et frui.</i>	Pag. I
II.	<i>Quibus rebus fruendum sit et quibus utendum.</i>	4
III.	<i>An mercedis intuitu Deo servire liceat.</i>	7
IV.	<i>Solvuntur argumenta quaedam in contrarium.</i>	11
V.	<i>Vtrum virtutibus utendum sit an fruendum.</i>	16
VI.	<i>De his rebus, quae utuntur vel fruuntur.</i>	18

DISTINCTIONIS II.

I.	<i>Vnum esse Deum, non plures.</i>	21
II.	<i>Quomodo intelligendum sit unum esse Deum.</i>	23
III.	<i>Tres esse Personas in Divinis summarie ostenditur ex Scripturis.</i>	26
IV.	<i>Qui praecipui errores circa Trinitatem extiterint.</i>	32
V.	<i>Ad generales quasdam contra praedicta objectiones responsio.</i>	34

DISTINCTIONIS III.

I.	<i>Deum ex rebus creatis cognosci posse.</i>	36
II.	<i>Deum esse an demonstratione doceri possit?</i>	38
III.	<i>Responsio ad argumenta in contrarium.</i>	41
IV.	<i>Vtrum Dei notitia omnibus insit.</i>	44
V.		

V. <i>An solis naturae viribus in Dei notitiam perveniri possit?</i>	50
VI. <i>Explicatio cuiusdam difficultatis circa praedicta.</i>	54
VII. <i>Trinitatis Mysterium ratione demonstrari non posse.</i>	58
VIII. <i>Quaedam in contrarium argumenta solvuntur.</i>	60
IX. <i>In quibus rebus, et quomodo vestigium Trinitatis inveniatur?</i>	65
X. <i>Imago Trinitatis in quibus et quomodo reperitur.</i>	67
XI. <i>Trinitatis Mysterium ex ternarii numeri perfectione declaratur.</i>	69

DISTINCTIONIS IV.

I. <i>De varietate Vocum, quibus utimur de Deo loquentes.</i>	70
II. <i>Quomodo concretis nominibus utendum sit in Divinis.</i>	73
III. <i>Quod recte dicitur Deus Deum genuisse.</i>	74
IV. <i>Responsio ad argumentum in contrarium.</i>	75
V. <i>Quo sensu quidem dixerint Deum a se genitum.</i>	77
VI. <i>Recte personam de essentia praedicari et contra; cum solutione argumentorum.</i>	81

DISTINCTIONIS V.

I. <i>Utrum essentia Divina dicenda sit gignere vel gigni.</i>	82
II. <i>Responsio ad ea, quae ex Patribus obiiciuntur.</i>	85
III. <i>Declaratio erroris Abbatis Ioachim cum eius refutatione.</i>	89

DISTINCTIONIS VI.

- I. *Vtrum voluntate an necessitate Pater Filium genuerit.* 92
- II. *Quomodo Pater Filium consilio genuisse dicatur?* 95

DISTINCTIONIS VII.

- I. *Quid sit in Divinis generatio.* 96
- II. *An generatio in Divinis recte vocetur conceptio?* 98
- III. *An possit a nobis intelligi generatio Divina.* 99
- IV. *Vtrum potentia et voluntas gignendi competat etiam Filio?* 101
- V. *Collatio duarum opinionum circa potentiam generandi.* 103
- VI. *Contra eos, qui dicunt Filium potuisse gignere, sed noluisse.* 106

DISTINCTIONIS VIII.

- I. *Quomodo soli Deo competat vere ac proprie esse.* 108
- II. *Quod nomen Deo maxime proprium?* 111
- III. *Quomodo praeteritum et futurum Deo tribuantur.* 114
- IV. *Incommutabilem esse Dei naturam.* 116
- V. *Voluntatem Dei immutabilem esse.* 118
- VI. *Responsio ad quaedam in contrarium argumenta.* 119
- VII. *Solvuntur, quae contra immutabilem Dei voluntatem obiiciuntur.* 126
- VIII. *Dei naturam esse perfecte simplicem.* 130
- IX. *Quomodo Deus multiplex, et quomodo sine compositione.* 132
- X. 132

X. *Deum in nullo rerum genere collocari.*

XXIII

134

DISTINCTIONIS IX.

- I. *Personarum in Deo distinctio unde petenda, et qualiter exprimenda.* 135
II. *Filium Dei esse patri coaeternum.* 138
III. *Solvuntur obiectiones quaedam adversus praedicta.* 142
IV. *Quis ordo sit agnoscendus in Divinis.* 145
V. *An fatendum sit tres esse aeternos, et de similibus.* 147
VI. *Generationem Filii Dei numquam terminari.* 149
VII. *Vtrum Filius semper natus, an semper nasci dicendus sit.* 151
VIII. *Filium Dei esse Patri consubstantialem et proprie Deum.* 153
IX. *Responsio ad quasdam in contrarium obiectiones.* 162

DISTINCTIONIS X.

- I. *Nomen Spiritus Sancti quid significet?* 167
II. *Quis sit modus processionis Spiritus Sancti ex Patre et Filio.* 169
III. *Amor seu charitas in Divinis quomodo accipiatur.* 172
IV. *Quo sensu Scriptura Deum charitatem vocet.* 173
V. *Spiritum Sanctum vere et proprie Deum esse.* 175
VI. *Quaedam in contrarium obiectiones diluuntur.* 179

DISTINCTIONIS XI.

- I. *Spiritum Sanctum ex Filio procedere per Scripturas ostenditur.* 183
II.

- II. *Eiusdem probatio ex Patribus et Conciliis.* 186
 III. *Eadem doctrina rationibus confirmata.* 192
 IV. *Respondetur ad argumenta Graecorum.* 193

DISTINCTIONIS XII.

- I. *Spiritum Sanctum nec prius, nec plenius a Patre procedere quam a Filio.* 203
 II. *Patrem et Filium esse unum principium Spiritus Sancti.* 205
 III. *Quo sensu Spiritus a Patre procedere dicatur principaliter, proprie, et per Filium.* 206
 IV. *An immediate procedat Spiritus Sanctus a Patre?* 208

DISTINCTIONIS XIII.

- I. *Explicatur discrimen inter generationem Filii, et processionem Spiritus Sancti.* ibid.
 II. *Quaedam in contrarium argumenta solvuntur.* 211
 III. *Vtrum Spiritus Sanctus ingenitus dici debeat.* 215

DISTINCTIONIS XIV.

- I. *Esse quamdam temporalem Spiritus Sancti processionem.* 217
 II. *Quid intersit inter missionem et dationem Spiritus Sancti.* 219
 III. *Quomodo Spiritus Sanctus dari dicatur hominibus.* 220
 IV. *Qua ratione Spiritus Sanctus hominem inhabitare dicatur.* 223

V. *Vtrum fatendum sit homines dare Spiritum Sanctum?*

XXV

224

DISTINCTIONIS XV.

I. *Vtrum Spiritus Sanctus detur aut mittatur a se ipso?*

227

II. *An Filius a Spiritu Sancto, vel a se ipso missus sit?*

230

III. *Multiplicem esse missionem Filii Dei.*

233

DISTINCTIONIS XVI.

I. *Quomodo visibiliter missi Filius et Spiritus Sanctus?*

235

II. *Quo sensu dictum sit Patrem esse Filio maiorem.*

237

III. *Removetur obiectio Arianorum contra priorem expositionem.*

241

IV. *An dici possit Patrem esse maiorem Spiritu Sancto?*

242

DISTINCTIONIS XVII.

I. *An Spiritus Sanctus sit ea charitas, qua homo Deum et proximum diligit?*

244

II. *Praeter Spiritum Sanctum esse in homine charitatem creatam, ex Scripturis docetur.*

245

III. *Eiusdem probatio ex Patribus et Conciliis.*

248

IV. *Eadem doctrina rationibus confirmata.*

251

V. *Responsio ad argumenta Magistri et aliorum.*

253

DISTINCTIONIS XVIII.

- I. *Spiritum Sanctum alia ratione donum, alia datum dici.* 258
- II. *Vtrum etiam Filius donum dici possit?* 260
- III. *Cui donabilis sit Spiritus Sanctus?* 262
- IV. *Quomodo Filius nascendo, et Spiritus Sanctus procedendo essentiam accipiant?* ibid.
- V. *An Filius dici possit noster: sicut Pater et Spiritus Sanctus?* 264

DISTINCTIONIS XIX.

- I. *Aequalitas Personarum in Divinis probatur et explicatur.* 265
- II. *Quo sensu Personarum unaquaeque in alia esse dicatur.* 268
- III. *Quomodo tres Personae sint Vnum natura.* 270
- IV. *Cur Deus non triplex, sed trinus dicatur.* 273

DISTINCTIONIS XX.

- I. *Tres Personas potentia esse aequales.* 274
- II. *Ad obiectiones responsio.* 277
- III. *Inseparabilia esse Trinitatis opera.* 279
- IV. *Respondetur ad obiectiones.* 281

DISTINCTIONIS XXI.

- I. *Quomodo vox exclusiva solus Deo tribuatur.* 284
- II. *Quomodo dictiones exclusivae Personis Divinis tribuantur.* 285

DISTINCTIONIS XXII.

- I. *Quaedam observationes circa nomina Deo ad-
tributa.* 288
- II. *Multiplex divisio nominum Divinorum.* 289

DISTINCTIONIS XXIII.

- I. *Quid nomine Personae significetur.* 291
- II. *Vtrum Persona essentiam, an relationem si-
gnificet?* 292
- III. *De Graecis vocabulis Hypostasis et Vsiae
Latinis respondentibus.* 294
- IV. *Quomodo in Trinitate, nec diversitas sit
nec singularitas.* 297

DISTINCTIONIS XXIV.

- I. *Vnitas et numerus quomodo accipienda in
Divinis.* 298

DISTINCTIONIS XXV.

- I. *Rationes quibus docetur Personam et Essen-
tiam non idem significare.* 301
- II. *Respondetur ad rationes in contrarium.* 302
- III. *Res et ens in Divinis quomodo sumantur.* 304

DISTINCTIONIS XXVI.

- I. *Quae sint Divinarum Personarum notiones
et proprietates.* 305
- II. *Ad dubia quaedam responsio.* 307
- III. *Quae secundum substantiam de Deo dicantur,
et quibus relationibus Personae distin-
guantur.* 308

DISTINCTIONIS XXVII.

- I. *Filium esse et Genitum esse, quo ordine se habeant.* 312
- II. *Verbi appellatio in Divinis unde accepta.* 313
- III. *Quid Graece λόγος et quomodo Latine reddendum.* 315
- IV. *In quibus consentiant Verbum Divinum et humanum.* 316
- V. *In quibus discrepet Verbum Divinum ab humano.* 318
- VI. *Multiplex Verbi Divini respectus ad creaturas.* 319
- VII. *Nomen ac proprietatem Verbi soli Filio competere.* 320
- VIII. *Ad quaedam in contrarium argumenta.* 321
- IX. *Filium Dei eumque solum esse imaginem Patris.* 325
- X. *Quae fuerit Graecorum de imagine sententia.* 327

DISTINCTIONIS XXVIII.

- I. *Ingeniti nomen quare soli Patri adtributum.* 329
- II. *Vtrum nomen ingeniti substantiam an relationem significet?* 330
- III. *An Divina Natura dici possit ingenita?* 331
- IV. *An Filio et Spiritui Sancto aliqua competat negativa notio?* 332

DISTINCTIONIS XXIX.

- I. *Principii nomen Deo adtributum, quid significet.* 333
- II. *Inter principia et causam quid intersit.* 335

DISTINCTIONIS XXX.

- I. *Quae nomina Deo tantum ex tempore conveniant.* 337
- II. *Vtrum Deus ex tempore, an ab aeterno sit Dominus?* 340

DISTINCTIONIS XXXI.

- I. *AEqualitas et similitudo Divinarum Personarum quomodo sit accipienda?* 343
- II. *Appropriata Divinarum Personarum quae dicantur.* 345
- III. *Appropriata ab Hilario adsignata explicantur.* 346
- IV. *Quomodo dicat Augustinus Imaginem coaequari exemplari, non contra.* 349
- V. *Appropriata ab Augustino adsignata explicantur.* 350

DISTINCTIONIS XXXII.

- I. *Vtrum Pater et Filius se mutuo diligant Spiritu Sancto?* 352
- II. *Vtrum Pater sit sapiens sapientia genita?* 355
- III. *An recte dicatur Filius agere a se ipso?* 357

DISTINCTIONIS XXXIII.

- I. *Relationes Personarum in Divinis re ipsa distinctas esse.* 359
- II. *Relationes personales nec a Personis nec ab Essentia re ipsa distingui.* 360
- III. *Refelluntur errores circa ea, quibus Personae distinguuntur.* 362
- IV. *Responsio ad obiectiones in contrarium.* 364

DISTINCTIONIS XXXIV.

- I. *Quid intersit inter Naturam et Personam.* 365
- II. *Quomodo Hilarius dixerit aliud esse naturam, aliud rem naturae.* 367
- III. *Quare Patri in Divinis approprietur Potentia?* 368
- IV. *Cur Filio approprietur Sapientia?* 370
- V. *Cur Bonitas approprietur Spiritui Sancto?* 371



GUILLELMI ESTII

S. THEOLOGIAE DOCTORIS

ET PROFESSORIS PRIMARIJ,

ACADEMIAE DUACENSIS CANCELLARIJ

IN QUATTUOR LIBROS SENTENTIARUM


COMMENTARIA.

LIBER PRIMUS.

§. I.

Quid *uti* & *frui*.

S. Thom. 1. 2. q. 11. & q. 16.

UM significatio vocabulorum quaeritur, fit plerumque ut aliud in sermone vulgato, aliud apud eos qui disciplinas tradunt, significare inveniantur, ut in his vocabulis genus, species, nomen, verbum, aliisque ejusmodi perspicere licet: quae, aliud latine loquentibus extra disciplinas, aliud Grammaticis, aliud vero dialecticis significant. Idem accidit in his duobus vocabulis, *uti* & *frui*, quae non idem prorsus latine loquentibus & Theologis significant. Nam usu Latinae linguae *frui* generalem habet significationem, ut sit

Estii Theol. Tom. I.

A

de-

delectationem & fructum ex re aliqua capere ; sive hoc ipsum ad ulteriorem aliquem finem referatur , sive non. Ita praeter Scriptores profanos usurpavit hoc vocabulum pluribus Scripturae locis Interpres noster ex Hebraeo & Graeco : ut Eccles. 2. ubi dicit Sapiens : *Vadam & affluam deliciis & fruam bonis.* Et cap. 7. *In die bona fruire nobis.* Et Apostolus Rom. 15. *Si vobis primum ex parte fruitus fuero* , juxta nostram versionem : nam Graece non est , *fruitus* , sed *expletus fuero.* Et 1. Tim. 6. *Qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum.* Pro quo dicit idem Apostolus Act. 14. *Implens cibo , & laetitia corda nostra.* Et ad Philemonem. *Ita frater ; ego te fruam in Domino.* Quamquam hic , quod addit , *In Domino* , significat , quo illa delectatio spiritualis , qua Apostolus Philemone se fruitorum dicebat , referenda fuerit. Nam etsi non addidisset , *in Domino* , non alia tamen significatione , quam qua ceteris Scripturae locis verbum *fruendi* accipitur , accipi deberet. Sic , *frui* , accipitur apud Prudentium lib. 2. *contra Symmachum* , ubi Deum de rebus terrenis ita loquentem introducit :

Sed tamen esse modum volui , parcisque fruenda.

Moribus indulsi , quantum sibi posceret usus ;

Non ut captus homo studiis , et inaniter ardens ,

Duceret omne bonum positum in dulcedine rerum.

Qui , & post multa , facit *frui* bonis temporalibus commune probis & improbis dicens :

Sic probus atque reus capitalis criminis , iisdem

Sideribus , facilisque poli bonitate fruuntur.

Uti vero , usu Latinorum est assumere rem quampiam propter aliud , sive ex ipsa re voluptas capiatur , sive non. Sic Apost. 1. Tim. 5. *Modico vino utere propter stomachum tuum* &c. Neque enim negandum est , quin ea , quibus secundum hanc significationem recte utimur , delectent subinde , ut propositum ex Apostolo exemplum satis probat. Et quoniam in plerisque rebus utendis adjuncta est delectatio , fit , ut talibus , & *uti* dicamur & *frui* , diversa ratione : quod rursum patet hoc exemplo Carminis Prudentiani : *in Hamartigenia.*

Felix qui indultis potuit mediocriter uti

Muneribus, parcumque modum servare fruendi.

(Ceterum prout Theologi in scholis has voces usurpant, *frui* est re aliqua delectari propter seipsam; sic nimirum, ut in ea voluntas amantis conquiescat, tamquam in summo bono, & sine suo ultimo. *Uti* autem, est rem propter aliud, quo fruendum sit, in operationem assumere; sive res illa, etiam delectet, sive non; dummodo non in ea voluntas ut in ultimo sine conquiescat.)

Haec *fruendi*, & *utendi* significatio ab omnibus Scholasticis, Magistrum sequitis, traditur *hac dist.* Magister autem eam accepit ab Augustino lib. 1. *de Doct. Chr. cap. 3. & aliquot sequentibus. Et rursus cap. 22. 31. 33.* Qui & alibi isto modo eas voces usurpat, ut lib. 10. *de Trin. cap. 10. & 11. Et lib. 11. de Civit. cap. 25. Et lib. 15. cap. 7.* Quomodo etiam Hieronymus accepit in *Epistola ad Julianum cuius initium; Filius meus &c. Impossibile est, inquit, ut praesentibus quis & futuris fruatur bonis.* Quod profecto impossibile non esset, si *frui* secundum priorem significationem ibi acceperetur; quomodo ab Apostolo dictum est: *Qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum.*

Hoc etiam modo Prudentius accepit *contra Symmachum lib. 2.* dum pari sententia cum Hieronymo ita canit:

Spem sequimur, gradimurque fide, fruimurque futuris:

Ad quae non veniunt praesentis gaudia vitae.

Nec currunt pariter capta & capienda voluptas.

Neque vero haec significatio a Scripturis aliena est, ubi legimus impios ita loqui Sap. 2. *Venite & fruamur bonis, quae sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter.*

Notandum autem quod Augustinus, etsi scholasticae acceptionis harum vocum praecipuus auctor videatur; priorem tamen significationem etiam agnoscit lib. 11. *de Civ. cap. 25.* ubi cum haec duo more suo distinxisset, ita subiecit: *Verum tamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit consuetudo, & fructibus utimur, & usibus fruimur.* Agnoscit & lib. 1. *de Doct. Chr. c. 33.* ubi dicit, quod *vicinissime frui sit cum delectatione uti*: tametsi eam significationem minus

propriam esse putat. Quin & S. Thomas eam generalem significationem non ignoravit. Nam 1. p. qu. 39. art. 8. dicit: *Frui est cum gaudio uti*. Et in commentario epistolae ad Hebraeos, cap. 12. lect. 2. *Frui, inquit, est delectari sine adepto: nec addit, ultimo.*

(S. II.)

Quibus rebus fruendum sit & quibus utendum.

S. Thom. 1. 2. qu. 11. art. 3.

Secundum Theologicam acceptionem horum vocabulorum, *frui* & *uti*, consequitur ex dictis solo Deo fruendum esse. Solus enim Deus summum bonum est & ultimus finis intellectualis creaturae, in quo proinde solo propter se delectari, & conquirere eam oportet. Sic Augustinus docet locis supra citatis: *Cujus etiam illa est initio suarum Confessionum sententia: Fecisti nos Domine ad te: & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Nam Deus solus est, qui humanum animum, ad imaginem suam conditum, explere delectatione possit, juxta illud Psalm. 16. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Et Psalm. 72. *Quid enim mihi est in Coelo: & a te, quid volui super terram? A te, idest praeter te, extra te*. Cum enim animus noster, ex eo quod ad imaginem Dei conditus est, infinitae sit capacitatis; ab eo solo quod est infinitum, repleti potest, idest, a solo Deo. Unde quantumcumque rerum creaturarum delectationi inhaereat, aut etiam immergatur animus humanus, fieri tamen nequit, ut ulla ejusmodi delectatio capacitatem ejus impleat, ac desiderium ejus satiet, & conquirere omnino faciat. Cur ergo Deum non comprehendit? An est infinitae capacitatis, quia nullum bonum creatum potest eum satiare; non autem quia capere possit, id quod omnino est infinitum? Ac Deus quidem implet animum, sed non totus comprehenditur: implet capacitatem ejus, sed animus eum non capit: quomodo mare implet capacitatem hydriae, sed hydria non capit ma-

mare. Alii dicunt mentem humanam esse infinitam private, non positive, quod eodem recidit. Fruimur autem Deo in hac vita imperfecte, dum eum saltem ex parte habentes & possidentes, in eo delectamur: juxta illud Psal. 36. *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui: Et Psal. 76. Memor fui Dei, & delectatus sum.* At perfecta fruitio Dei, non hujus est vitae, sed futurae, ubi replebitur in bonis desiderium nostrum. Cujus ratio est, quia cum fruitio importet delectationem, quae in voluntate est, visio autem seu cognitio sit in intellectu, sequitur fruitio visionem: ubi ergo imperfecta visio, ibi & imperfecta fruitio: nempe in hac vita: in qua videmus per speculum in aenigmate: ubi autem visio perfecta, ibi & fruitio perfecta erit, nimirum in saeculo futuro, in quo Deum videbimus facie ad faciem. 1. Cor. 13. Docet hoc ipsum. Aug. lib. 1. *de Doct. Chr. cap. 30.*)

Quomodo autem visio a fruitione differat, & ad quam animae potentiam fruitio proprie pertineat; non hujus est loci exacte discutere. Pertinet enim ea disputatio ad quartum librum *distinctione* 49. Super quam scribens Dom. Soto *q. 1. art. 4.* eleganter hanc rem secundum Augustinum & S. Thomam expendit. Breviter tamen hoc loco dici potest, quod secundum illos Auctores, *frui*, proprie non sit delectari, sed tantum sensu consecutivo, quatenus delectationem fruitio in sua ratione includit. Proprie vero frui, sit rem aliquam habere seu possidere cum delectatione; quae explicatio valde etiam consentanea est iis, quae jam dicta sunt de illius vocis utralibet significatione. Ita enim dicimus, aliquem frui rebus diu desideratis, quia tandem eas adeptus est, & possidet cum voluntate.

(Porro cum solo Deo fruendum sit, consequens fit, ut ceteris omnibus rebus tantum sit utendum: quemadmodum docet Augustinus lib. 1. *de doct. Chr. cap. 4. & 22.* Omnis enim Dei creatura est ejusmodi, ut homini adminiculo esse queat ad cognoscendum & amandum Deum. Nam in rebus creatis nihil est, in quo non aliquo modo Dei bonitas, virtus & sapientia reluceant. Plurima vero sunt, quae
etiam

etiam aliis modis in usum nostrum legitime veniunt, ad Deum velut ultimum finem relata; quemadmodum experientia late docet. Iam vero, si rebus, quibus utendum est, frui velimus, aut contra; pervertitur omne humanum officium: nec est alia vita hominum vitiosa atque culpabilis, quam male uti, & male frui; ait Augustinus lib. 10. *de Trin. cap. 10.*)

Notandum est autem hoc loco, non tantum rebus a Deo factis, sed etiam peccatis, quae non a Deo sed a mala sunt hominum voluntate, nos recte atque legitime uti posse. Nostri quidem, si eorum occasione humiliores & cautiores efficiamur, atque ad altiorem virtutis gradum resurgamus; sicut accidit Davidi, Petro, & aliis Sanctis: alienis vero, dum aliorum lapsu admonemur, quid timere & cavere, & de quo Deo pro nobis, quos a similibus peccatis custodivit, gratias agere debeamus, quemadmodum docet Apostolus, *Rom. 11. & Gal. 6.* Quin etiam Deus peccatis hominum utitur ad varios effectus, vel justitiae suae declarandae, vel potentiae, vel sapientiae, vel misericordiae; ut in Angelis apostatis, in Pharaone, in Juda proditore, in Petro Apostolo, quae omnia facile est ex Scripturis probare.

(Quaerit insuper August. lib. 1. *de Doct. Chr. cap. 22.* Utrum homines seipsis frui an uti debeant; Et ratione concludit quod nec se, nec alio homine quisquam frui debeat, sed uti tantummodo: quia nec se, nec alium hominem propter se diligere debet: sed omnem suum amorem, quo, vel se vel proximum diligit, ad incommutabile bonum, quod solus Deus est debet referre.

Unde maledictus dicitur, qui spem suam ponit in homine, *Jerem. 17.* Lex, quoque & Evangelium praecipunt, ut proximum diligamus sicut nos ipsos; Deum vero ex toto corde, & ex tota anima, &c. Nam & ea praevaricatorum Angelorum & primorum hominum superbia fuit, quod considerata sua pulchritudine, seipsis frui voluerint, & non illud tantum naturae suae bonum, quo delectabantur, in Deum referre.)

§. III.

An mercedis intuitu Deo servire liceat.

S. Thom. 2. 2. q. 27. art. 3.

EX eo quod dictum est, *Deo fruendum esse, non utendum;* quaestio suboritur: *An Deum colere eique servire liceat intuitu mercedis.* Nam si mercedem pro illa servitute expectat homo; non jam *frui* Deo, sed *uti* videtur: utpote non in Deo tamquam ultimo fine conquiescens; sed Dei dilectionem & servitatem ulterius in eam rem, quam ut mercedem spectat, referens. Solvitur haec quaestio distinctione mercedis seu retributionis, quam quis ex Dei servitute expectare dicitur: aut enim merces illa est ipse Deus, sive quod eodem recidit operatio, qua Deo coniungimur; nimirum ipsa Dei visio aut fruitio, in qua consistit beatitudo nostra & vita aeterna: aut est aliquid praeter & extra Deum. Quod si priori modo mercedem intelligas; fatendum omnino est, quod ejusmodi mercedis intuitu potest, immo debet homo Deo servire; tantum abest, ut quod dicunt Haeretici imperfectorum sit hujusmodi mercedem tamquam finem in bonis suis operibus expectare.

Probatur id ratione, Scriptura, & Patrum testimonio. Ratione quidem, quia inordinatum est, media non referri in proprium & legitimum finem: finis autem servitutis nostrae, quam Deo exhibemus in hac vita, est vita aeterna, qua in futuro saeculo perfecte Deo jungemur; erit ergo inordinata nostra servitus, si non in illum finem a nobis referatur: qui quidem finis, quoniam ex servitute, immo pro servitute expectatur, retributionis seu mercedis rationem habet: id quod plenius probandum est, ubi de meritis operum agatur. Idem, sicut sine fide, ita sine spe, impossibile est Deo placere: spes autem Christiana facit in nobis, ut intuitu retributionis futurae Deum colamus. Est enim spes, expectatio futurorum bonorum, ex Dei gratia & bonis o-

op-

peribus. Immo spes hoc includit, ut illa bona expectentur sub ratione mercedis, quia Deus sic ordinavit; & hoc credere debemus per fidem: ergo & per spem expectare.

Scripturae loca sunt ista. Psalm. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Gen. 15. *Dixit Deus ad Abraam: Ego protector tuus sum & merces tua magna nimis.* Isa. 45. *Non dixi semini Jacob, frustra quaerite me.* Heb. 11. de Moyse: *Aspiciebat in remunerationem.* 2. Tim. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae.* 1. Coloss. 1. *Propter spem, quae reposita est vobis in coelis.* Sic Matth. 19. quaerentibus Apostolis, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* promisit Christus ampliorem prae aliis mercedem. Nam & mercedis nomen frequens est in Scriptura, ut Matth. 5. 6. & alibi, dum promittitur pro piis operibus merces copiosa in coelis. Quae quidem merces est ipse Deus, sive Deum videre, Deo frui, in Deo delectari, cum Deo regnare.

Est autem notandum in his Scripturis, eos nobis designari tamquam Dei propter retributionem cultores, qui nobis in iisdem Scripturis, ut ceteris perfectiores & sanctiores commendatur; & quos constat Deum sincero amore dilexisse: ut sunt Abraham, Moyses, David, Petrus, Paulus, ac ceteri Apostoli: ex quo liquido monstratur, respectum mercedis, qualis hic intelligitur, non arguere imperfectionem operis, aut operantis.

(His adde Patrum testimonia, quibus aperte docent, Deum aeternae remunerationis intuitu colendum esse. Dicit enim Ambr. lib. 5. super Luc. 6. *Studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt.* Chrysostomus hom. 25. in Gen. hortatur, ut ad Domini mercedem respicientes, omnia operemur: Et hom. 63. in Matth. dicit, nos spe retributionis corroborari, Aug. Tractatu 51. in Joannem, cum quaesivisset, quo fructu, qua mercede, quo praemio amandus sit Deus, ita respondit: *Gratis ametur ut operis, quo ministratur illi, pretium sit esse cum illo.* Et lib. 1. de Doct. Chri. cap. 32. *Haec est merces summa, ut Deo perfruamur.* Et lib. de Cathec. Rud. cap. ult. *Colatis & diligatis Dominum gratis*

tis, quia totum praemium nostrum ipse erit; ut in illa aeterna vita, bonitate ejus & pulchritudine perfruamur. Et Serm. 100. de diversis, cap. 5. Breviter, inquit, praemium nostrum definitum est per Prophetam: Ero illorum Deus. Nolite aliquid a Deo quaerere nisi Deum: gratis amate; se solum ab illo desiderate. Idem Conc. 11. in Psal. 118. ita vult nos gratis Deum colere, ut Deum non colamus, nisi propter Deum, ut sui cultus ipse sit merces. Et in Psal. 134. Hoc est gratis amare, & sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet. Quod & alibi frequentissime inculcat. Gregor. hom. 37. super Evangelia: Delectet mentem magnitudo praemiorum: sed non deterreat certamen laborum. Eadem est aliorum omnium Patrum sententia, quos non opus est hic prolixè allegare.

Accedit auctoritas Concilii Tridentini Sessione 6. cap. 11. & Can. 31. Denique auctoritas Ecclesiae in officiis Divinis, maxime de Martyribus: Omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, ut haeredes fierent in domo Domini. Permanent immobiles, vitae perennis gratia.

(Porro, si mercedis nomine aliquid extra Deum intelligitur, plane non licet, Deum intuitu mercedis colere. Magna quippe fit illi summo bono injuria, quoties aliquid aliud, tamquam praestantius, ac delectabilius ei anteponitur, ad quod assequendum ejus dilectio referatur. Neque vero laudanda, sed culpanda est talis Dei dilectio, quia in debito fine vitatur: quam proinde, vitiosam, perversam, impuram, sordidam, insinceram, Deoque indignam, ac vere mercenariam dilectionem vocare possumus. Hujusmodi mercedis respectum & expectationem in Deo colendo, utriusque Testamenti Scriptura vituperat: ut Matth. 6. de hypocritis humanam gloriam spectantibus: Receperunt, inquit, mercedem suam.) Unde & nos admonet, ne similiter faciamus: alioquin mercedem non habituros apud Patrem coelestem. Item Malach. 1. ad Sacerdotes. Quis est in vobis, qui claudat ostia & incendat altare meum gratuito? Non est mihi voluntas in vobis. Et cap. 3. Dixistis, vanus est qui servit Deo, &

quod emolumentum, quia custodivimus praecepta ejus? Super quem locum Hieronymus: In praesenti saeculo, inquit, mercedem pro Dei exigunt servitute; ideo non excipiunt. Talem Dei servitute removit a se David Psalm. 72. ubi post animi sui fluctuationem indicatam his verbis, *Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum*: postea subjunxit: *Quid enim mihi est in coelo, & a te*, idest praeter te, *quid volui super terram?* quasi dicat, *nihil*. Quam vero spectaverit mercedem, docet sequenti versu: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum*. Sanctum quoque Job calumniatus est Satan, quod non frustra, id est gratis, sed propter bona temporalia, Deum coleret: *Numquid Job, inquit, frustra timet Deum? nonne vallasti eum ac domum ejus, &c.*

De hoc igitur genere mercedis intelligenda sunt loca passim obvia apud Aug. & alios Patres, qui gratis amandum & colendum Deum docent, nec mercedis intuitum admittere videntur. Quorum aliquos sequenti capite citabimus.

Sed quaeret hic aliquis: an propter immortalitatem, gloriam, sanitatem perpetuam, aliaque bona corporis, quae in futura vita expectamus, servire Deo liceat? Respondetur, si ad illa bona, tamquam ad finem proprie dictum, referantur opera, quibus servimus Deo, inordinatam esse ejusmodi servitute: oportet enim finem praestantiorum esse mediis, quae propter ipsum suscipiuntur: est enim finis, optimus respectu mediorum; atqui bona corporis quantumvis praestantia, longe posita sunt infra dignitatem justitiae etiam imperfectae, qua in hac vita servimus Deo: non ergo justitiae opera ad bona corporis tamquam finem recte quis referat. Sin autem quaestio est, non de fine proprie dicto, sed de bono quodam comite & accessorio, quem finem secundarium vocare solent, idest, cujus consideratio merito moveat hominem ad diligendum & colendum Deum, a quo tale bonum sibi proventurum speret; licitum est, hoc sensu, propter bona quaecumque a Deo diversa, sive aeterna, sive temporalia, dummodo talia sint, quae recte a Deo sperentur, Deum colere: ut sunt sanitas, panis quotidianus, aëris temperies, pax, & tranquillitas Reipublicae, &

& alia hujusmodi, non nisi propter Deum petenda, & in Deum, cum habentur, referenda.

Neque arguit imperfectionem justitiae, hujusmodi rerum habendarum intentio, & expectatio; nisi quando quis sine illis non diligeret, aut minus diligeret Deum: quomodo vetus ille Populus bonorum temporalium promissionibus, in qualicumque Dei servitute continebatur, alioquin statim ab ejus cultu recessurus. De qua re etiam Sancto Job apud Deum obtrecebat Satanus dicens: *Sed extende paululum manum tuam & tange cuncta, quae possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Imperfectionis enim est hujusmodi incitamenti indigere: sicut contra perfectionis non indigere, quomodo dicimus perfectiorem eum esse, qui credit non visis miraculis, quam qui miraculorum adminiculo adducitur ad credendum, alias non crediturus; vel minus prompte crediturus. Nam quod simpliciter perfectioni justitiae ac dilectioni Dei non repugnet, Deum colere cum spe & expectatione talium bonorum, patet exemplo Abrahae dicentis ad Deum, Gen. 15. *Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam absque liberis, &c.* Et exemplo Jacob Patriarchae dicentis, Gen. 28. *Si fuerit Dominus mecum; erit mihi Dominus in Deum.* Immo exemplo Christi, de quo dicitur Heb. 12. quod, *Proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.* Unde & praecepto dilectionis Dei super omnia atque ex toto corde, adiungitur promissio vitae & foelicitatis temporalis, Deut. 30. Et 1. Paralip. 28.

§. IV.

Solvuntur argumenta quaedam in contrarium.

Patet ex supra dictis, quo sensu sit accipiendum, quod apud Patres frequenter legitur, Deum gratis amandum & colendum esse; idque interdum etiam cum exclusione mercedis, aut praemii a Deo expectandi. Ut apud Augustinum lib. 1. de Civ. cap. 9. Et Super Psalm. 18. expositione secunda: ubi timorem castum interpretatur, gratis amantem. Item super Psalm. 43. ad illud: *A facie inimici & persequentis.* Et super Psalm. 52. ad illud: *Deum non invocaverunt.* Ser. 72. & 234. de Tempore. Ser. 3. de verbis Domini. Hom. 38.

inter 50. Tractatu 3. & 11. in Joan. Et Epist. 52. Apud Chrysostomum in fine lib. 2. de Compunctione cordis. Et Hom. 48. in Gen. Et apud alios subinde. Haec enim ex sententia ipsorum Patrum sic accipienda esse, ut mercedis temporalis & creatae, non autem aeternae & increatae respectus excludatur, supra ostendimus. Quod ut magis pateat ex eodem Augustino plenius adhuc probatur. Nam Tract. 3. in Joan. quum dixisset: *Noli ad praemium diligere Deum*, statim subiecit: *ipse sit tibi praemium tuum*. Et in Expositione Psalm. 72. vult a Deo non aliud praemium expectandum esse, quam ipsum Deum. & Sermon. 256. de Tempore, sic loquitur: *Gratis amemus: Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso; tamen propter ipsum*: Sic ibi. Quibus verbis explicat vim ejus, quod est gratis amare. Gratis enim Deum amat, qui in amore Dei praeter & extra Deum nihil quaerit. Verum objici solent adversus doctrinam superiorem alia quaedam argumenta, quibus data jam solutio non videtur aptari posse.

Primum. Apostolus 1. Cor. 13. *Charitas*, inquit, *non quaerit quae sua sunt*: ergo nullam sibi expetit mercedem.

Secundum. Propheta cum gravi reprehensione dixit: *Omnes sequuntur retributiones*, Isa. 1.

Tertium. Hieronimus in Commentario epistolae ad Philem. ita scribit: *Sancti Christum diligunt, offerentes ei magis charitatem quam ulla charitatis praemia postulantis*.

Quartum. Bern. lib. de diligendo Deo cap. 3. *Non enim*, inquit, *sine praemio diligitur Deus, etsi absque praemii intuitu diligendus sit: vacua namque vera charitas esse non potest; nec tamen mercenaria est: quippe non quaerit quae sua sunt*. Et paulo post: *Verus amor praemium non requirit, sed meretur*. Et infra. *Serviamus Deo in charitate, quae timorem expellit, laborem non sentit, praemium non requirit, meritum non intuetur*. Nec diversus est apud eundem Bernardum locus Ser. 83. super Cantica.

Quintum. Ambros. lib. 2. de Abraham. cap. 8. *Augustae*, ait, *mentes invitentur promissis, erigantur speratis mercedibus*: ergo sperare mercedem ad mentes augustas pertinet.

Sextum. Auctor Sermonis de filio prodigo, (qui habetur in-

inter Homilias Patrum in sabbato post Dominicam secundam quadragesimae) distinguit tria hominum Deo servientium genera; quorum alii pro temporali mercede Deo serviunt; alii pro vita aeterna; alii omnino gratis: quos postremos solos agnoscit praeditos amore filiali. Eadem fere habentur apud Bedam *in Lucae 15. Et Serm. in sabbato praedicto, sumpto ex Commentario.*

Item Guericus Abbas *in morali expositione de filio Prodigio, in fine*, docet filiorum mercedem esse haereditatem paternam: sed tamen inveniri alium gradum sublimiorem, & effectum illo digniorem; cum penitus castificato corde nihil aliud desiderat aut quaerit anima, nisi Deum ipsum. *Neque enim suum aliquid, inquit, non foelicitatem, non gloriam, non aliud quicquam, tamquam privato sui ipsius amore, desiderat anima, quae ejusmodi est; sed tota pergit in Deum.*

Octavum. Saltem videri potest majoris esse perfectionis, si quis ita Deum amet, ut amando nullum omnino praemium aut mercedem spectet; eo quod Patres comparative interdum loquuntur, ut Chrysostomus *in Homilia supra citata* cum dicit: *Major merces est, si non mercedis spe facias.* Et Aug. Ser. 3. *de verbis Domini*, ubi significat pertinere ad imperfectionem hominis, quod promissis ad Deo serviendum sit excitandus; cum alioquin melius sit sponte illi servire. Cujusmodi comparationem continent etiam Hieronymi verba paulo ante recitata.

Postremo sic argumentantur. Caritas essentialiter est amor gratuitus; est enim amor amicitiae, quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. q. 23. art. 1. In hoc autem distinguitur ab amore concupiscentiae; quod amor amicitiae habetur ad illud, cui quis vult bonum, ut amico; amor autem concupiscentiae ad illud bonum, quod quis vult sibi vel alteri quomodo quis dicitur amare vinum vel equum, cum quo non potest esse amicitia: quemadmodum idem S. Thomas docet 1. 2. quaestione 26. articulo 4. Unde subjungit: id quod amatur amore amicitiae, simpliciter & per se amari; quod autem amatur amore concupiscentiae, non simpliciter & secundum se amari; sed alteri tantum amari. Ac

tan-

tandem infert, amorem quo aliquid amatur, ut ei sit bonum, esse amorem *simpliciter*: amorem autem quo amatur aliquid, ut sit bonum alterius; esse amorem *secundum quid*. Ex quibus apparet, eum, qui Deum amat intuitu praemii, quod est ipse Deus; idest, ut Deum tamquam bonum aliquod sibi consequatur, Deum amare amore concupiscentiae; & proinde non *simpliciter*, sed tantum *secundum quid*, Deum amare. Immo nec charitate Deum amare; quippe quae est amicitia quaedam hominis ad Deum; sed amore quodam infra charitatis naturam posito. Eum vero, qui Deum amat omnino gratis & sine respectu mercedis, amare Deum amore amicitiae, qui *simpliciter* amor est, & proprio nomine charitas vocatur. Sed ad haec objecta respondemus.

Ad primum ergo respondetur, illos quae sua sunt quaerere secundum Apostolum, qui student privatis commodis, neglecto & posthabito bono communi, & proximorum salute. De quibus idem Apost. Philip. 2. dicit: *Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Jesu Christi*. Id autem non facit qui Deum diligit, ut Deo fruatur. Atque hoc modo exponit Aug. in *Regula*.

Ad secundum. Propheta per *retributiones* intelligit munera, quibus pervertitur justitia: praecedit enim, *Omnes diligunt munera*.

Ad tertium. Hieronymi sententia potest exponi de praemio temporali; quam tamen si de praemio vitae aeternae potius intelligendam quis putet, sensum eius accipiat ex solutione postremi argumenti.

Ad quartum. Quamvis Bernardi verba quibusdam videntur habere difficultatem; satis tamen ex ipso loco liquet, eum loqui de praemio, quod diversum sit a Deo & infra Deum; sic enim ait: *Verus amor seipso contentus est: habet praemium; sed id quod amatur. Nam quicquid propter aliud amare videaris, id plane amas, quo amoris finis protendit, non per quod tendit. Paulus non evangelizat ut comedat, sed comedit, ut evangelizet: eo quod amet non cibum, sed Evangelium. Et infra: Quanto magis Deum amat anima, aliud praeter Deum sui amoris praemium non requirit: aut si aliud requirit, illud pro-*
cer-

certo non Deum diligit : & quae sequuntur. Ex quibus intelligitur, Bernardum de re proposita non aliud ab Augustino & aliis Patribus sensisse : nam neque negat usquam, Deum esse diligendum intuitu mercedis, quae sit ipse Deus.

Ad quintum respondetur, Ambrosium loqui de mercede temporali.

Ad sextum dicendum, divisionem illam incerti Auctoris non esse recipiendam, nisi forte Auctor ille inter vitam aeternam & Deum ipsum putet distinguendum esse, ut ille dicatur omnino gratis Deo servire, qui non aliud spectat, ut finem ultimum, quam Deum ipsum, cui servit : ille vero propter vitam aeternam, qui pro fine ultimo & summo bono spectat suum perpetuum bene & foeliciter esse, quatenus suum est, non quatenus in Deo.

Ad verba Guerrici, solutio habetur ex ipsius verbis, quibus dicit, *tamquam sui ipsius privato amore* : secus enim si haec omnia tandem in Dei gloriam referantur.

Ad octavum. Ejusmodi sententiae partim continent comparisonem improprie dictam, & de praemio loquuntur temporali vel creato ; partim accipiendae sunt secundum explicationem postremi argumenti.

Ad quod respondetur ex Bonaventura *super 3. dist. 27. art. 2. quaest. 2.* Duplicem esse motum in charitate, qua Deum diligimus ; scilicet motum amicitiae, quo quis desiderat Deo placere & servire, spectans in omnibus Dei honorem & gloriam ; & motum concupiscentiae, quo desiderat Deum habere & videre. Si quando ergo dicunt Patres, Deum sine intuitu praemii diligendum esse, comprehendentes etiam praemium increatum, id intelligendum est de amore amicitiae. *Si enim, inquit Bonaventura, per affectum amicitiae homo servit amico, eumque diligit sine intuitu praemii, ut ait Philosophus ; multo fortius amore charitatis homo vult bonum Deo sine intuitu alicujus retributionis. Sed per hoc non excluditur, quin charitas amore concupiscentiae exoptet & desideret illam summam mercedem apprehendere, ad quam finaliter intendit pervenire : Sic ille. Charitas ergo, quatenus est amor amicitiae, non spectat praemium : quatenus autem simul etiam includit*

dit vel admittit motum concupiscentiae, spectat, sibi que sperat praemium: sed non aliud quam illud ipsum, quod amat amore amicitiae.)

§. V.

Utrum Virtutibus utendum sit, an fruendum.

S. Thom. 1. 2. qu. 11. & 16.

Virtutibus, quibus bene vivitur, non esse fruendum, sed utendum ostenditur primum ex eo, quod supra dictum & probatum est, juxta Theologicam fruendi acceptionem, solo Deo fruendum esse, rebus ceteris utendum. Probatur id ipsum auctoritate Scripturae. Nam Sapientiae 8. dicitur de quattuor virtutibus Cardinalibus; *Quibus utilius nihil est in vita hominibus*: cum igitur sint res utilissimae, utendum iis est. Item auctoritate Augustini, qui lib. 13. de Civ. cap. 8. docet; Virtutes propter solam beatitudinem amandas esse. Et lib. 4. contra Julianum cap. 3. late monstrat, non esse veras virtutes, quae, vel nulli rei serviunt, vel alii quam Deo. Denique Lactantii testimonio, qui virtutes non propter se expetendas esse, sed propter vitam aeternam atque beatam, quae consistit in Dei visione, docet compluribus locis: ut lib. 3. divin. Instit. cap. 12. & 17. lib. 5. cap. 17. & 18. Et lib. 6. cap. 9. Unde & inter praecepta Moralia Catonis legitur: *Utere virtute.*

Ex his igitur falsitatis redarguitur doctrina Stoicorum, qui in virtute summum bonum hominis collocantes, docuerunt, eam propter se tantum expetendam esse, & non ad aliud bonum praestantius referendam: quod in ea sola, dicerent, satis esset praesidii ab bene beateque vivendum. Quod autem pro hac Stoicorum sententia velut ex Ambrosio scribente in Epistolam ad Gal. 5. objicit sibi Magister, id in Commentario Ambrosiano non reperitur: sed habetur in glossa Interlineari, cujus Rabanus Auctor esse creditur; ibi enim dicitur, opera Spiritus ab Apostolo fructus vocari; quia per

per se expetenda sunt. Sed dicendum, recte virtutes etiam propter se amari atque expeti, non autem propter se tantum id est, cum exclusione finis ulterioris; ut nec propter se principaliter. Quamvis enim virtutes per se amabiles sint, tamquam magna animi bona; sicut & sanitatem tamquam magnum corporis bonum per se optabilem esse confitemur; non tamen in virtutibus amorem figere, aut finem statuere licet; sed porro in Deum, ut finem ultimum referendae sunt, ut per eas summum bonum nostrum, quod Deus est, consequamur eoque fruamur. Sunt igitur virtutes perinde atque potiones quaedam salutes non quidem amarae, quae tantum propter aliud sumuntur, nempe causa sanitatis; sed dulces, quae preterquamquod sanitati conducunt, etiam in se habent, quod delectent. Neque huic responsioni contrarium est, quod ex Augustino jam citavimus, *propter solam beatitudinem virtutes amandas esse*; quasi inde sit consequens, eas propter se nullo modo esse expetendas: Sensus enim est, exponente Magistro, propter solam beatitudinem, tamquam finem ultimum & summum, amandas esse virtutes, tametsi & in se habeant, unde amentur. Nam quod Lactantius *locis jam allegatis* dicit & inculcat: *Vanum & stultum esse, vivere secundum virtutem, si nulla sit proposita spes vitae beatæ*, non recte dictum videtur: quia sicut vitia, per se inhonesta & mala sunt, & proinde fugienda, etiamsi nullus sit Deus, qui vindicet ut loquitur Lactantius; ita virtutes quoque per se honestae sunt & bonae, & ob id amplectendae, etsi nullum propositum sit praemium.

Ex iis quae jam dicta sunt, potest etiam accipi sensus quorundam verborum Augustini in *prima expositione Psalmi 18. ad illud*: In custodiendis illis retributio multa. *Non in aliquo*, inquit, *extraposito commodo: sed in eo ipso quo iudicia Dei custodiantur, retributio multa est, quia gaudetur in eis.* Commodum enim extra positum Augustinus intelligit bonum aliquod externum, quod etsi interdum retribuatur custodientibus iudicia Dei, non tamen in eo multa est retributio, multo enim major est in honesta & sancta delectatione, quam praeceptorum Dei custodia secum affert: quia

ut superius in eodem Psalmo dicitur : *Judicia*, seu praecepta Dei, *desiderabilia sunt super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Verum quia non sunt magis desiderabilia, quam Deus ipse, sed ipsa potius in Deum tamquam summum desiderabile referentur; hinc iis Augustini verbis non excluditur, sed magis includitur intuitus retributionis, quae in Dei visione consistit, scilicet, tamquam finis ultimi.

Sed rursus objiciet aliquis, beatitudinem hominis sitam esse in perfectis virtutibus, iis maxime, quibus per cognitionem & dilectionem perfectam homo Deo conjungitur : & proinde beatos frui perfecte virtutibus perfectis. Nos autem imperfectis itidem frui imperfecte, quatenus in hac vita per eas imperfecte Deo conjungimur. Respondeo : beatitudinem seu finem hominis ultimum dici bifariam : *Uno modo*, ut objectum, cujus nimirum adeptione seu possessione homo beatus efficitur ; & hoc modo in solo Deo fruendum : *Altero modo*, ut ipsam objecti illius adeptionem seu possessionem, quae est forma quaedam creata, animae rationali inhaerens, quae & formalis beatitudo vocatur. Atque haec est operatio perfectae virtutis, teste etiam Philosopho *lib. ult. Ethic.* Hac igitur beatitudine frui dicitur homo minus proprie : quatenus videlicet exercet actionem perfectissimam, per quam objectum illud beatificum assequitur & apprehendit. Quo quidem sensu dici solet, beatos frui visione Dei, quia nimirum Deo fruuntur per visionem. Posset hic etiam quaeri, an virtute quis male uti possit? Sed illi quaestioni locus est *ad dist. 27. lib. 2.* circa definitionem virtutis ex Augustino ibi traditam, qua dicitur, virtutem esse qua nemo male utitur.

(§. VI.

De iis rebus, quae utuntur vel fruuntur.

S. Thom. ubi sup.

Nunc breviter exponendum, quae sunt res, quibus *utendi* aut *fruendi* facultas competat. Manifestum est enim, non

non omnibus competere; cum enim *uti* & *frui* sint actus voluntatis rationalis sive intellectualis; consequens est, solam & omnem intellectualem substantiam rebus *uti* aut *frui* posse. Et quidem de Angelis & hominibus, quod & quomodo rebus utantur aut fruuntur, bene vel male, satis liquet ex superioribus. Quomodo autem Deus, qui est substantia increata, *frui* vel etiam *uti* dicatur re aliqua, plenius explicandum. Atque imprimis fatendum est, Deum *frui* non alia quapiam re, sed se ipso tantum; nam seipso beatus est, & in seipso conquiescit: solus per seipsum & in seipso, ut perfectissimus, ita foelicissimus. Fruitur autem seipso, non eodem prorsus modo, quo creatura ipso fruatur: haec enim in illo conquiescit, tamquam in ultimo suo fine, ceteris utens ad hunc finem consequendum: Deus autem proprie finem non habet, quia Dei nulla est causa. Unde nec sibi ipsi proprie finis est: quia nec sui ipsius causa est, nec sibi ipsi causa alicujus boni. Neque etiam ad hoc, ut seipso fruatur, rebus aliis utitur; cum *bonorum nostrorum non egeat*, Psal. 15. & ante omnem creaturam ab aeterno perfectissime beatus fuerit. Sed *frui seipso* dicitur; quia cum sit in seipso perfectus, sibi que per omnia sufficiens, & sibi semper praesens; in seipso tamquam infinito bono, perfectissime delectatur; nihil habens extra se, quo, velut ad finem, bonum illud summum, idest, seipsum referat. Ipse igitur est & *fruens*, & in quo *fruatur*, & *fruitio* ipsa. Nihil enim horum, in illa simplicissima Natura, tamquam diversum aliud ab alio cogitari debet.

Porro Deum *seipso frui* testatur Gregorius lib. 32. *Mor. cap. 7.* de eo dicens: *Ipse vere gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est.* Ubi & de usu subjicit in hunc modum: *Ipse speciosis inducitur vestibus, quia sanctorum Angelorum choros, quos condidit, in usum sui decoris assumpsit.* Sic ille. Igitur quod ad *usum* attinet rebus omnibus a se diversis *utitur* Deus; tametsi longe alia ratione, quam iisdem rebus utantur homines, quemadmodum recte docet Augustinus lib. 1. *de doct. Chr. cap. 31. & 32.* Homines enim rebus utuntur tamquam sibi commodis aut necessa-

riis ad finem suum consequendum : Deus autem iis uti dicitur , quando eas ordinat in finem aliquem : finem , inquam , non Dei , sed rerum ipsarum. Quod ut exemplo declararetur : utitur Deus homine , dum eum per gratiam suam dirigit in ultimum ejus finem , idest , in Deum ipsum , quo aliquando perfruatur : utitur & hominibus malis , dum eos , eorumque aetiones ordinat , ad declarandam suam in eorum punitione justitiam , vel ad probandam justorum patientiam , vel ad aliud simile bonum. Quae quidem bona sunt , & fines , non ipsius Dei , sed hominum : malorum quidem tamquam instrumentorum seu mediorum , quae ad tales fines a Deo ordinantur ; bonorum vero , quia boni per illa media fines istos tamquam bona quaedam sua assequuntur. Bonum enim illius est , & justitiam Dei declarari , & ipsorum probari patientiam. Similis explicatio in rebus ceteris adhiberi potest ; immo in omni aetione tam mala quam bona. Neque enim mala , idest , peccata , esse sineret optimus idemque omnipotens Deus , nisi sciret , etiam illis bene uti ; quemadmodum docet Augustinus *Ench.* 11. 27. & 100. idest , nisi posset & vellet ea ordinare in finem aliquem congruum homini , vel alii cuicumque creaturae. Adde , quod si homo peccatis tam suis quam alienis bene uti potest , ut supra dictum est , consequens est , Deum multo magis posse bene uti peccatis ; non quidem suis , quia peccatum in Deum non cadit , sed alienis , vel hominum vel Angelorum : praesertim , cum hoc ipsum , quod homo bene utitur peccatis , Dei sit opus , quod ipse in homine operatur. Patet ex dictis , quo sensu Deus operari dicatur propter finem. Operatur namque propter finem increatum , quando seipsum creaturis omnibus earumque operationibus , quarum omnium ipse Auctor est , finem praestituit : juxta illud Prov. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* , id est , omnia fecit propter gloriam suam. Ad hanc enim tamquam ultimum finem omnia , quae Deus facit , ipso dirigente referuntur. Nec aliud significasse videtur Augustinus , quando lib. 1. *de doct. Chr. cap.* 31. dixit : Nos quidem res quibus utimus , ad id referre , ut Dei bonitate perfruamur ; Deum vero ad suam bonitatem usum

nostrum referre. Et infra : *Ille igitur usus qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram utilitatem refertur ; ad ejus autem tantummodo bonitatem : nam utrobique bonitatem intellige declarandam, quae bonitatis divinae declaratio atque ostensio gloria Dei est. Sed & hoc de malis, eatenus verum est, quia Deus mala quae non ab ipso fiunt, sed a creatura deficiente, ordinare novit ad gloriam suam: dum ea puniens, in opere justitiae suae glorificatur, juxta illud Prov. *ibidem. Impium quoque ad diem malum, scilicet, operatus est, seu ordinavit Deus propter semetipsum, id est, ad gloriam suam.**

(Operatur etiam Deus propter creatum finem, quando in rebus creatis eum constituit ordinem, ut sit unus finis alterius : exempli gratia, homo finis mundi visibilis, sanitas medicae potionis, & ita in aliis.)

IN DISTINCTIONEM SECUNDAM.

(§. I.

Unum esse Deum, non plures.

S. Thom. 1. part. qu. 11. art. 3.

Accedenti ad investigandum aliquosque mysterium Trinitatis, ante omnia certissime tenendum est, *unum esse Deum*, plures autem Deos, nec esse posse. Sunt enim esse & posse in divinis atque aeternis eadem, in quibus potentia ab actu numquam est separata. Hanc Dei unitatem passim Scriptura commemorat, ut Deut. 6. *Audi Israel : Dominus Deus noster, Deus unus est.* Quod a Christo in Evangelio repetitum est Marci 12. Item Deut. 4. *Non est alius praeter unum, 1. Reg. 2. Non est alius extra te. Isa. 37. Tu es Dominus solus. Et 44. Ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus. Et 45. Ego Dominus & non est amplius : extra me non est Deus, Et iterum : Ego Dominus & non est alter : quod & infra saepius*

pius repetitur. Judith. 5. de Patriarchis : *Deserentes caeremonias patrum suorum quae in multitudine Deorum erant , unum Deum caeli coluerunt.* Eccles. 1. *Unus est Altissimus Creator omnipotens.* Marci 10. *Nemo bonus nisi unus Deus.* Gal. 3. *Deus autem unus est.* 1. Cor. 8. *Nullus est Deus nisi unus. Nam etsi sint qui dicantur Dii , sive in caelo , sive in terra , nobis tantum unus Deus.* Quo loco neminem turbare debet illa parenthesis : *Si quidem sunt Dii multi , & Domini multi ,* quasi fateatur Apostolus , esse Deos multos , licet a nobis non colendos : sensus enim est , esse aliis , sed graviter errantibus , multos Deos , nobis autem lumine fidei illustratis non esse nisi unum Deum ; vel certe id quod dixerat , *qui dicantur ,* in parenthesi repetendum est hoc modo , *si quidem sunt qui dicantur Dii multi.*

(His accedit totius Ecclesiae Catholicae confessio , tam in Symbolo Constantinopol. , & Athanasii , & in scriptis omnium Patrum , quam in ore omnium fidelium una voce profitentium , se credere in unum Deum. Sed cum in hac veritate , tamquam primo Religionis fundamento , non tantum Christiani omnes conveniant , verum etiam Judaei & Mahometani , & omnes fere omnium temporum Haeretici : cumque etiam ratione naturali possiti eadem haec veritas demonstrari ; quemadmodum proximo capite docebimus ; non est nobis in ejus probatione diutius haerendum : praesertim cum saniores omnes Philosophi , sic quoque sensisse inveniantur , licet disertis verbis communem errorem damnare non fuerint ausi , ut Pythagoras , Plato , Aristoteles & alii. Nam de Pythagora sic Boethius loquitur lib. 1. *Consol. Phil. Instillabas auribus cogitationibusque quotidie meis Pythagoricum illud , ἕν θεόν ἑνὶ θεῷ , non Diis.* De Platone vero , quod unum Deum agnoverit testatur Cyprianus in libro de *Idolorum vanitate* , & ex Cypriano Augustinus in fine libri 6. *contra Donatistas.* Item Eusebius lib. 11. *de Praeparatione Evang. cap. 9.* valde clare ex ipso Platone. Aristotelem autem omnia reduxisse ad unum primum movens immobile , infinitum , indivisibile , aeternum , quod non est aliud quam unus Dens , notum est iis , qui Physicam & Metaphysicam ejus legerunt. Hermes quoque Tris-

gustus unum Deum loquitur, & eum incomprehensibilem atque inaeſtimabilem confitetur, ut habet ibidem ex Cypriano Augustinus.

Ex dictis facile est iudicare, quo loco habendae sunt istae propositiones, *plures sunt Dii, non unus est Deus*: cum enim evidenter atque ipsis terminis adversentur huic propositioni, *unus est Deus*, ac posterior etiam illi contradicat; non est dubitandum quin sint haereticæ atque impiae. Et quamvis Alfonsus de Castro lib. 1. de *punitione Haereticorum cap. 3.* dicat hanc propositionem, *tres sunt Dii* sapere haeresim, eo quod ex vi verborum parata est, ut ait, haereticum sensum reddere; revera tamen nihil obſtare credo, quo minus simpliciter censeatur haeretica, prout verba jacent, non minus quam istae, *duo sunt Dii, quatuor sunt Dii, plures sunt Dii*; licet aliquis posset hunc ei dare sensum Catholicum, *tres sunt habentem Divinitatem*. Sed hic sensus illi propositioni non respondet, neque propter hunc sensum illa propositio ullatenus est admittenda: quemadmodum ex infra dicendis manifestius evadet.

§. II.

Quomodo intelligendum sit unum esse Deum.

S. Thom. 1. part. qu. 11. art. 3. & 4.

UNITAS Divinae naturae, quam Christiana fides confitetur, non tantum plures specie Deos, sed & numero distinctos excludit. Specie plures finxit & coluit caeca Gentilitas; quem errorem ex parte secuti sunt Manichaei, duos Deos tamquam duo principia constituentes, bonum & malum; alterum novi Testamenti Deum; alterum veteris, nec diversos tantum natura, sed & contrarios, quo figmento nihil absurdius. Nam & is, cuius natura mala est, Deus esse non potest, cum Deus non nisi in bono intelligatur; & is cuius bona est natura, si a contraria mali natura impugnatur & subinde vincitur, ut illi docebant, imperfectus est

est & miser, ac proinde nec Deus. Significat enim hoc nomen rem summe perfectam & beatam. Quibus argumentis errorem illum Augustinus refellit passim in libris contra Manichaeos scriptis.

Quod autem nec numero distincti Dii esse possint, subjectis rationibus ostenditur; quarum prima facilis, & ad sensum vulgarem accommodata, haec est.

Si plures numero Dii sunt, vel uni omnes subjiuntur summo Deo, vel nulli, sed pari sunt potestate praediti: si subjiuntur uni, consequens est unum illum solum esse Deum. Nam ut Aug. lib. 1. de doct. Christ. cap. 7. Hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt. Unde patet absurditas Philosophorum quorundam, qui plures constituere Deos ab uno ortos, & ab eo immortalitate donatos eidemque subjectos. Ad quem modum etiam loquitur Plato interdum ut in Timaeo. Et lib. de Repub. & de Legibus. Et S. Thom. 1. part. q. 103. art. 3. Si vero nullum supra se Deum agnoscentes, pari potestate dominantur singuli, sequitur universum hoc, non gubernari eo regiminis modo, qui sit optimus. Constat enim tam vulgi iudicio, quam eorum sententia, qui politica tradunt, monarchicam gubernationem, qua nimirum unus ceteris principatur, optimam & praestantissimam esse, utpote quae concordiae sit conservatrix, & perpetuitati optime consulat. Inde enim est, quod & Christus unitati & perpetuitati Ecclesiae suae prospectum esse volens, unum ei praefecerat pastorem, suum in terris vicarium.

Secunda ratio sumitur ex simplicitate naturae Divinae. Ea enim simplicitas omnem excludit compositionem; sive ex materia, & forma; sive ex membris velut partibus integrantes; sive ex subjecto & accidente; sive denique ex natura & supposito. Ratio est; quia Deus est substantia perfectissima, quo quid autem perfectius, eo simplicius: oportet ergo Deo perfectissimam simplicitatem tribuere. Hinc porro sequitur, in Deo non aliud esse naturam, aliud suppositum quod naturam habet; sed rem prorsus eandem. Quibus constitutis sic licebit ratiocinari: Ubi cumque species aliqua

qua communis est, quae de multis individuis dicatur, aliud est natura, aliud suppositum; exempli gratia: Petrus per aliud est homo, per aliud huic homo a Joanne distinctus; atqui ostensum est, in Divinis non aliud esse naturam, aliud suppositum; ergo non est ibi agnoscere individua unius speciei numero distincta; & proinde non est putandum Deum praedicari de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, tamquam speciem de individuis. Deus ergo nec speciei rationem habet; quia non significat naturam communem per modum universalis, idest, multiplicabilem; nec individuum est alicujus speciei, quia in omni tali individuo, aliud est natura, aliud suppositum, quae duo jam ostendimus in Deo non esse diversa. Communicatur quidem natura Divina tribus personis, sed in illis non multiplicatur. Neque enim illa eis communicatur secundum communem aliquam notionem, sed secundum rem unam numero. Unde tres Personae divinae non possunt dici tres Dii, sicut tria humanae naturae supposita vocantur, & revera sunt tres homines, sed tantummodo unus Deus. Hic enim una eademque singularis natura est in singulis; ibi vero natura communis tantum est eadem, singularis vero, quae & particularis, in singulis diversa. Tertia ratio sumitur ex infinita Dei perfectione; Deus enim cum sit ens perfectissimum, necessario omnem essendi perfectionem in se continet: fieri ergo non potest, ut sint plures Dii. Nam si essent, differre eos inter se oportet, & proinde aliquid uni conveniret quod non alteri; atque ita is, cui deesset perfectio alterius, non esset Deus; quia non esset simpliciter atque omni modo perfectus.

Quarta ab unitate totius Universi. Quaecumque enim existunt etsi diversissima, ordinem quemdam habent inter se, cujus ordinis ratione unum mundum constituunt; quod fieri non posset nisi ab uno aliquo ordinarentur, quia per se unum unius est causa; unus igitur est Deus totius mundi Creator & Gubernator.

Quinta ab Omnipotentia Dei. Si enim Omnipotens est Deus: ergo tollere potest omnem potentiam a sua diversam, omnemque ejus actionem impedire: ergo praeter unum nullus est

Omnipotens, & proinde nec Deus. Has & alias hujusmodi rationes, tradunt S. Thomas, Bonav. & alii Doctores, *praesenti dist.* Item S. Thomas 1. *part. qu. 11. art. 3. & qu. 103. art. 3. & alibi.* Et quidem Bonaventura affirmat quod, si recte accipiatur significatum hujus nominis Deus, non solum esse impossibile, sed etiam non intelligibile, plures esse Deos: eo quod vocabulum Deus significet simpliciter summum in re & in opinione cogitantis, *Unde*, inquit, *qui plures finxerunt Deos, non intellexerunt Deum nobilitatem divinam.* Quo pertinet etiam illud, quod apud Prudentium in *Romano*, puer Christianus dicit: *Est quicquid illud, quod ferunt homines Deum; unum esse oportet, & quod uni est, unicum, genera Deorum multa, nec pueri putant.* Idem Poëta initio *Hamart.* rationibus, quae non absimiles sunt istis supra allatis, contra Marchionistas probat unum esse Deum. Est & alias hoc argumentum frequens apud Veteres, ubi contra Gentiles de vera Religione disputant.

(§. III.

Tres esse Personas in Divinis summarie ostenditur ex Scripturis.

S. Thom. 1. par. qu. 30. art. 1. & 2. Item. q. 31. art. 1. & qu. 41. art. 6.

AD ostendendam personarum pluralitatem ac distinctionem in Deo, solis divinis testimoniis utendum est, ac sola divina auctoritate nitendum; quia mysterium hoc Trinitatis a lumine intellectus nostri adeo remotum est, ut nulla humana ratione vel probabiliter possit ostendi. Divina testimonia partim in Sacris litteris, partim in traditione & doctrina Ecclesiae posita sunt. Et quidem fides Ecclesiae de hoc mysterio post Scripturam maxime elucet in tribus Symbolis, nimirum, Apostolico, Constantinopolitano, & eo, quod dicitur Athanasii. Haec enim in Ecclesia plurimum frequentantur. Deinde in Oecumenicis Conciliis, Nicaeno, Constantinopolitano,

no, Chalcedonensi, Lateranensi, ac denique in consensu omnium Patrum, omniumque fidelium. Scripturae vero loca praecipua, quibus in Deo Trinitas monstratur, haec sunt. Matth. ultimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in coelo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Gal. 4. *Misit Deus Spiritum filii sui in corda nostra clamantem Abba pater.* Rom. 8. *Si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis.* Joan. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Quae Scriptura non modo Trinitatem personarum indicat inter eas, juxta processioneis modum: nam Spiritum Sanctum a Patre procedere aperte pronunciat. Eundem autem etiam a Filio procedere insinuat, cum ait: *Quem mittam vobis.* Filium quoque a Patre existere significat per hoc, quod Filius Spiritus missurus dicitur a Patre.

Rursum de Patre & Filio, Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Et Joan. 16. *Omnia, quae habet Pater, mea sunt.* Et Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo: & complura alia.*

Quamvis autem Scriptura veteris Testamenti parcius de tanto mysterio locuta fuerit; nec ibi tamen desunt loca, quae vel obscurius personarum in Deo discrimen indicent. Et primum, Patris & Filii, ut Psal. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et rursus pro eo quod est in Vulgata versione, *Apprehendite disciplinam*; Hebraice est, *Osculamini Filium.* Et Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis:* quae duo loca de Patre & Filio intelligenda docet Scriptura novi Testamenti, Matth. 22. Act. 2. & 13. Heb. 2. & 5. Eodem pertinet illud 2. Reg. 7. *Ego ero illi in Filium,* interpretante Apostolo Paulo Heb. 1. Et illud Michaeae 5. de Filii Nativitate: *Egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* Quem locum Matth. 2. etiam Sacerdotes & Scribae Judaici populi ad Christum retulerunt; tametsi mysterium divinitatis ejus ignorantes. Item Prov. 30. de Deo Sapiens ita interrogat: *Quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti? Ubi innititur tam Filii, quam Pa-*

tris naturam esse incomprehensibilem. Ecclesiasticus autem cap. ultimo: *Inuocavi*, inquit, *Dominum Patrem Domini mei*. Apud quem etiam cap. 24. Sapientia Dei de se dicit: *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam*,

De Spiritu Sancto sunt haec & hujusmodi testimonia. Isa. 61. *Spiritus Domini super me*. Et Psalm. 138. *Quo ibo a Spiritu tuo?* Quae sententia cum Spiritum Sanctum ubique esse testetur, divinitatem ejus aperte declarat: quale est & illud Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, & alia multa, quae capit. 7. & 8. ejusdem libri de Spiritu Dei scripta leguntur. Item illud cap. 9. *Sensum autem tuum quis sciat, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis*. Denique tres in Deitate Personas una sententia complexus est David Psalm. 32. cum ait: *Verbo Domini caeli firmati sunt, & Spiritus oris ejus omnis virtus eorum*. His praeterea accedit, quod statim initio Genesis, & postea in eodem libro, & alibi per universas Scripturas veteris Testamenti frequentissime Deus plurali numero vocatur, *Elohim*: quae res non videtur carere mysterio significandae Trinitatis. Nam etsi ad peculiarem phrasim Scripturae sacrae vel Hebraeae linguae hoc recte referatur; ratio tamen illius phrasim jam inde ab initio usurpatae, non alia convenientior reddi posse videtur, quam divinitus ita provisum fuisse, ut tali modo loquendi mysterium Trinitatis per omnem fere Scripturam in originali Lingua tacite nobis insinuaretur. Unde etiam est, quod omnia nomina Dei in Scripturis, uno excepto nomine Tetragrammaton, in quo maxime Divinae essentiae unitas commendatur, reperiuntur interdum numero plurali posita. Item quod nomen Dei singulare, in Scripturis aliquando adjunctum habet verbum vel adjectivum pluralis numeri, ut Ecclesiastae 12. *Memento Creatoris tui*. Et apud Job 35, *Ubi est Deus factor meus*: quibus locis in Hebraeo est, *factores, creatores*: & alibi non raro in Psalmis & Prophetis; sicut & contra persaepe Dei nomen plurale adjunctum habet verbum singulare, ut in capite libri Gen. *In principio creavit Deus coelum & terram*. His enim loquendi modis convenienter videtur simul & personarum in Deo pluralitas, & essentiae uni-

unitas significari; dum in eadem sententia numerus pluralis cum singulari jungitur: & hujusmodi quidem argumento, quod ex nomine Dei pluraliter in Scripturis posito sumptum est, utuntur Magister in textu, & alii multi. Si quibus tamen videatur totum hoc ad nudam phrasim Hebraei sermonis sine mysterii significatione referendum esse; ideoque parum solidum esse contendant argumentum, quod inde petitur, non est de ea re magnopere laborandum, cum aliae satis multae & solidae possint adferri ex Scripturis etiam veteris Testamenti mysterii hujus probationes: quale est, praeter ea, quae supra allata sunt, (illud imprimis quod Gen. 1. Deus dicitur dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Nam illae voces *faciamus*, & *nostram*, numerum quemdam indicant personarum in Deo; sicut hae voces *imaginem* & *similitudinem*, singulariter posita designant unitatem naturae. Nec enim dici potest ut quidam Hebraei volunt Deum ibi sermonem convertere ad Angelos; tum quia Angeli non fecerunt hominam, sed solus Deus; tum quia homo nusquam legitur factus ad imaginem, & similitudinem Angelorum; sed solius Dei, ad cujus imaginem & similitudinem facti sunt etiam ipsi Angeli. Sane locum hunc ad Trinitatis mysterium retulerunt Patres. Hilarius lib. 3. & 4. de Trinitate. Aug. in fine lib. de Gen. imperfecti. Et lib. 12. de Trin. cap. 6. & lib. 14. cap. ultimo. Et Fulgentius de fide ad Petrum cap. 1. & alii. Similiter nec illud caret pluralitatis in Deo significandae mysterio, quod dicit Deus Gen. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; quia nimirum auscultaverat dicenti: *Eritis sicut Dei scientes bonum & malum.* Quo loco in Heb. eadem vox est, quae uni vero Deo tribuitur ut verti potuerit: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*; praesertim cum non sit verosimile tentatorem statim primo accessu voluisse homini persuadere Deorum pluralitatem. Similis est Scriptura Gen. 11. Domino dicente: *Venite, descendamus & confundamus ibi linguam eorum.* In his enim pluralitas, immo Trinitas personarum continetur; pluralitas quidem, quia nemo sibiipsi dicit, *venite & descendamus* &c. Trinitas vero quia nec ad unum dicitur *venite*,
sed

sed ad plures. Si ergo unus loquitur ad plures, tres ut minimum esse oportet: nec est quod in hujusmodi confugiatur ad phrasim Scripturae; nusquam enim in Scriptura legimus dictum; venite, faciamus hoc aut illud, ubi unus solus si- biipsi loqueretur, & non potius ad alios sermonem converteret, ut hoc eodem capite Genesis: *Venite, faciamus lateres*: Et iterum: *Venite, faciamus nobis civitatem*. Et cap. 37. *Venite, occidamus eum*. Item Exod. 1. *Venite, sapienter opprimamus eum*. Et in Psalmis, *Venite, exultemus Domino*.

Sed forte putavit aliquis hoc saltem loco nihil esse absurdum, si dicamus Deum haec verba locutum ad Angelos, juxta opinionem Hebraeorum. Respondeo, nusquam reperiri, sic ad Angelos locutum Deum, ut diceret, faciamus hoc aut illud: Deus enim praecipit Angelis tamquam ministris suis ut faciant, non autem quasi sociis dicit faciamus. Praeterea ad hoc mysterium significandum faciunt, quod Abraham Genes. 18. *Tres vidit, & unum adoravit*; ut de eo canit Ecclesia. Quod Gen. 19. dicitur, pluisse Dominus a Domino, id est, Filius a Patre. Sic enim eum locum intelligi volunt Patres Concilii Sirmiensi apud Hilarium in lib. 6. *de Synodis* & quidem sub anathemate. Item quod Oseae 1. scribitur: *Dicit Dominus: Salvabo eos in Domino Deo suo*; quod Zacha. 2. *Dixit Dominus ad Satan: increpet te Dominus: o Satan*. Et alia hujusmodi.

Proferunt etiam nonnulli illud initium Gen. *In principio creavit Deus coelum & terram*, videlicet urgentes Hebraicam distinctionem, quam noster Interpres vertit, *principium*, illi autem putant, Filium verti posse hoc modo: *in Filio creavit Deus* &c. Sic enim Tertull. in lib. *contra Praxeam*. Et Hilarius in *Psal. 2*. Et alii quidem opinati sunt, ut refert Hieronymus *initio quaestionum Hebraicarum*. Sed, eodem Hieronymo testante, falso id putant: non enim aliud quam *caput, principium*, & quod primum est cujusque rei, vox Hebraea significat. Alii quidem, ut meminit Augustinus lib. 11. *de Civit. cap. 32*. *principii* vocabulum & significatum retinent, sed tamen de Filio dictum putant, *In principio*, sicut ipse Filius Joan. 8. se dicit esse *principium*. Itaque volunt initio

totius Scripturae sacrae fidem Trinitatis nobis esse commendatam, quandoquidem de tertia persona statim sequitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Verum hi quoque a simplici intelligentia Scripturae recedunt, qua *in principio* fuisse, aut factum esse id dicitur, quo nihil prius fuit, aut factum est: sic enim & ipsum Verbum fuit *in principio*, quia nihil fuit ante ipsum. Nam si principium est Filius, cum dicitur: *In principio creavit*, &c. erit similiter principium Filius, ubi dicitur: *In principio erat Verbum*, cum sermo sit similis, atque ita sensus hujus erit, in Filio fuisse Verbum, idest, Filium in seipso: qui sensus proposito Evangelistae minime convenit. Adde quod etsi Filius revera sit principium, nusquam tamen principii vocabulum Filio appropriatum legimus, cum Patri magis ac plenius id congruat, ut docebitur *ad distinct.* 25.

Quod vero ad illam attinet sententiam, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, licet Hebraei *spiritum* interpretentur flatum corporeum; *ventum*, sicut in Psalmo dicitur, *flavit Spiritus ejus & fluent aquae*; Hieronymus tamen loco memorato docet ad litteram, Spiritum Sanctum significari; atque huic intellectui plerique catholici Scriptores concordant; ita tamen, ut dictum id intelligatur cum allusione ad flatum corporeum, hoc aut simili sensu; *Spiritus incumbabat aquis*, idest, *fovebat aquas simul cum terra illi subjecta*; nondum enim separatio aquarum facta erat ad futuram germinationem, quae nimirum fieri solet ex permixtione humoris cum materia terrestri. Si quis igitur Personarum Trinitatem in hoc exordio Genesis requirat, rectius ille recurret ad Hebraicam vocem *Elohim*, quae pluralis est numeri etsi unum in numero faciat, duos ut minimum complectimur, quibus tertiam personam adjungat statim post suo nomine significatam, cum dicitur *Spiritus Domini*, &c.

Et haec quidem de Trinitate ex Scripturis utriusque Testamenti summarie dicta sint. Nam pro divinitate Filii, separatim *dist.* 9. & pro divinitate Spiritus Sancti *dist.* 10. propria testimonia complura ex iisdem Scripturis proferentur. Porro veterum Patrum scripta de hac re extant plurima, passim omnibus legentibus obvia. Utrum autem ratione demonstrari possit hoc mysterium, & in quibus creaturis ima-

go aut vestigium ejus inveniatur, ad proximam distinctionem, declarandum est. Jam ut hoc loco saltem in genere admoneatur, qua cautela utendum sit, loqui volentibus de hoc sacrosancto Trinitatis mysterio; ne vel unitatem naturae incauta locutione quis dividat, vel personarum discrimen confundat, diligenter consideranda sunt & retinenda, quae praescripta habemus in symbolo Athanasii, & in libello Fulgentii *de fide ad Petrum cap. 1.* Cetera eodem pertinentia, ex iis, quae circa distinctionem 4. dicemus petantur.

§ IV.

Qui praecipui errores circa Trinitatem extiterint.

S. Thom. 1. par. qu. 31. art. 2.

DE mysterio Trinitatis, hi praecipui sunt errores, jam olim totius Ecclesiae consensu condemnati.

Primus fuit Judaeorum, qui Trinitatem personarum in Deo prorsus negaverunt. Qua in re cum iis sentiunt Mahumetani, & hodierni quidam Haeretici in sacrosanctam Trinitatem impie blasphemii, ob id Trinitarii vel AntiTrinitarii dicti. Ab hoc Judaico errore quam minimum distat secundus, qui apud Epiphanium, Philastrium, & Augustinum scribentes de Haeresibus Noëtianorum & Sabellianorum esse dicitur. Hi enim, ut naturam, ita & personam in Deo non nisi unam, agnoscunt; docentes eundem esse Patrem, qui Filius & qui Spiritus Sanctus; videlicet tria nomina ejusdem rei, quae rationis tantum diversitatem quamdam significant: ut una eademque persona, alia ratione Pater dicatur, alia Filius, alia Spiritus Sanctus; uti plenius videre est apud Epiphanium *Haeresi 42.* iidem Haeretici consequenter affirmabant, Patrem incarnatum, & passum esse; unde & Patripassiani appellati sunt, idemque fatebantur de Spiritu Sancto. Breviter autem & dilucide refellitur hic error; quia cum Pater sit is, qui genuit, Filius autem qui genitus est, sequeretur, si idem Pa-

Pater qui Filius, ut idem seipsum genuerit, & ex seipso genitus sit, quod est absurdissimum. Oportet ergo non eundem esse Patrem & Filium, quae probatio etiam Spiritui Sancto accommodatur, quem impossibile est a seipso procedere.

Tertius error est Arianorum, qui sicut personas, ita & naturas dividebant in Patre, & Filio, negantes Filium esse Patri *ὁμοούσιον*, idest, *coëssentialem*, siue *consubstantialem*; unde Filium creaturam esse, & non semper fuisse, & natura mutabilem esse, ac proinde non proprie, sed participatione quadam, Deum esse fatebantur; quemadmodum latius videre est apud Scriptores historiae Ecclesiasticae. Eam Haeresim primus doctissime confutavit Alexander Alexandrinus Patriarcha in Epistola ad Alexandrinum Constantinopolitanum, & altera ad universas Ecclesias. Mox eandem condemnavit Ecclesia Catholica in magno Concilio Nicaeno.

Quartus est Macedonianorum, qui ex Ariano fonte manavit, quod enim docebat Arius de Filio, idem affirmabat Macedonius de Spiritu Sancto; nempe Spiritum Sanctum non ejusdem esse substantiae cum Patre & Filio, sed creaturam Patre, Filioque minorem, & utriusque administram; sed & hunc nefarium errorem confessum, anathemate condemnavit Ecclesia in Concil. Constantinopolitano.

Quintus est eorum, qui etsi neque Filium, neque Spiritum Sanctum creaturam esse dicant, neque eos ex nihilo esse, neque in tempore processisse; sed ab aeterno, & ex Patris substantia; in quibus omnibus ab Ario, & Macedonio recedunt: docent tamen Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, tres esse Spiritus aeternos, essentiali numero differentes, nec aequales inter se, sed Patrem ceteris esse longe eminentiorem. Ita docuerunt hoc saeculo novi Ariani, auctore quodam Valentino Gentili: dico novos Arianos, satis enim ea sententia convenit cum doctrina, quam tradiderunt olim Ariani posteriores, ut Maximinus, contra quem disputat Augustinus & alii; & cum dogmate Peratarum, quorum meminit Theodoretus lib. 1. *Haeret. Fab. cap. 18.* qui Trinitatem dicebant esse tres Deos, tres rationes, tres mentes; nec ab ea sententia discrepare videtur, quod docuit Abbas Joachim,

tres personas non esse rem, sive essentiam in numero unam, sed collectione; quomodo multi fideles sunt una Ecclesia. Quae ejus doctrina damnata est in magno Later. Concilio sub Innocencio III. Porro quibus argumentis errores refellendi sint, & Catholica doctrina confirmanda; partim accipi potest ex dictis capite superiori; partim vero ac plenius de singulis infra patebit suis locis.

§ V.

Ad generales quasdam contra praedicta objectiones
responsio.

S. Thom. ubi sup.

Difficultatem, quae ex humana ratiocinatione nascitur, circa mysterium Unitatis, ac Trinitatis in Deo, magna ex parte tollit haec consideratio, si cogitemus ineffabili, & incomprehensibili quodam modo unam eandemque rem singularem, idest, Divinitatem, sive Naturam divinam communicari tribus suppositis, seu personis; quo fit, ut sub pluralitate personarum; res sive natura prorsus eadem cogitari debeat. Qua consideratione posita, non adeo difficilis erit responsio ad objectiones, quae hic moveri solent; cujusmodi sunt istae sequentes, & prima quidem contra perfectam unitatem. Si Pater est Deus, & si Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus, tres igitur Dii sunt; recte enim sequitur, Petrus est homo, Andreas est homo, Philippus est homo, sunt igitur tres homines. Respondetur, non esse simile; quia Deus de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dicitur propter naturam singularem, atque individuum eandem; homo de Petro, Andrea & Philippo, tantum propter naturam specificam eandem, cum natura singularis in singulis sit diversa.

Secunda. Deus est Pater, Deus est Filius, igitur Pater est Filius; & similiter de Spiritu Sancto; quae consequentia valere videtur per syllogismum expository innitentem huic

re-

regulae : *Quaecumque eadem sunt uni tertio , eadem sunt inter se.* Sed respondetur non recte sequi per ejusmodi syllogismum ; tertium , enim intelligitur singulare ; Deus autem non prorsus singulare nomen est : significat enim naturam singularem , sed quae communicari possit tribus suppositis. Quomodo autem Hilarius neget singularitatem esse in divinis , exponetur circa distinct. 23.

Tertia. Regula modo dicta locum habet in creaturis, propter unitatem, seu identitatem perfectam, quae est numeralis; atqui Deo perfectissime competit unitas seu identitas; igitur in Deo multo magis locum habere debet, & proinde firma manebit argumentatio praecedens. Respondetur, regulam in creaturis locum habere, non propter perfectissimam unitatem, sed propter unitatem singularem & incommunicabilem. Unde etsi perfectissima sit unitas Divinae naturae, utpote simplicissima, quia tamen communicabilis est, locum illic non habet regula.

Quarta : *Unum, & indivisum sunt idem,* secundum Philosophum in metaphysic. ergo ubi est perfectissima unitas, non est divisio in plura. Respondeo bene colligi: non enim est divisio Naturae divinae in plura, quippe quae sit natura prorsus individua; verum non sunt idem unum & incommunicabile. Est enim hoc peculiare divinae Naturae, quod cum perfectissime sit una & individua: pluribus tamen suppositis communis existat, id quod in creaturis nec est, nec esse potest.

Postrema: Multiplicatio uno eorum, quae re ipsa unum idemque sunt, necesse est & alterum multiplicari; ergo multiplicatis personis, quae a Natura divina re ipsa non sunt distinctae, consequens erit & Dei naturam multiplicari. Respondetur negatione antecedentis; quamvis enim illud certo modo intellectum, in rebus creatis perpetuam veritatem habeat; non tamen in divinis, ubi res una eademque numero subsistit in tribus personis; proprie in divinis non multiplicatio intelligenda est, sed multitudo, non rerum, sed personarum.

IN DISTINCTIONEM TERTIAM.

§ I.

Deum ex rebus creatis cognosci posse.

EX contemplatione mundi corporei, & partium ejus posse hominem pervenire in cognitionem Dei, quanta sufficiat ad eum colendum & glorificandum, testis est Apostolus Paulus, Rom. 1. ubi de sapientibus hujus saeculi, sic loquitur: *Quod notum est Dei; manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut sint inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Quo pertinet etiam illud ejusdem Apostoli Act. 14. de Deo: *Et quidem inquit, non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de coelo, dans pluvias & tempora fructifera, &c.* Et cap. 17. *Quaerere Deum, si forte atrectent eum, aut inveniant; videlicet in rebus creatis, ut ibidem declaratur.* Idem clare docet Psalm. 18. secundum literam, hoc exordio; *Coeli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiant firmamentum &c.* Job. 12. *Interroga jumenta &c. Quis ignorat quod haec omnia manus Domini fecerit?* Et Sapiens cap. 13. graviter ac diserte traducens eorum ignorantiam, qui ex operibus artificem non cognoverunt, ubi quod ait: *A magnitudine enim speciei & creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri, hunc habent sensum; ex magnitudine & specie, seu pulchritudine rerum creatarum poterit analogice, idest, similitudine quadam rationis, Auctor earum conspici & in notitiam nostram venire.* Quem sensum exigunt cum Graeci codices, tum allegationes Patrum, ut Hilarii lib. 1. de Trinit. circa initium. Chyrsost. hom. 4. in Gen. & hom. 9. ad populum Antiochenum. Et Greg. lib. 26. Moral. cap. 8. *Cognoscitur autem ex creaturis Deus generali ratiocinatione ducta ab effectis ad causam; quod quidem fieri po-*

potest tribus potissimum modis : vel simpliciter inferendo existentiam Dei , velut hoc pacto ; mundus existit eumque constat non a se factum esse , existit igitur ejus Opifex aliquis. Huc faciunt rationes illae , quibus superiori distinctione docebatur , unum esse Deum , & aliae quibus ex S. Thoma proximo capite demonstrabitur Deum esse : vel ex analogia rerum praestabilium , qua non tantum Deum esse , sed quae sint ejus attributa cognoscitur ; quomodo Sapiens loco commemorato docet ex magnitudine , pulchritudine , potentia , & sapientia , quae in rebus creatis inveniuntur , quanto sit ille major , pulchrior , potentior & sapientior , qui res illas fecit : vel denique ex remotione imperfectionis ; quo ratiocinandi modo similiter attributa , seu perfectiones divinae nobis innotescunt. Oportet enim quicquid imperfectionis est in creaturis , a Creatore removeri , cum certum sit , effectricem causam perfectiorem esse in rebus effectis : eam maxime , quae prima & summa causa est. Hunc modum iis locis Scriptura nobis insinuat , quibus excellentiam divinae Naturae commendat , non ex eo , quod est , sed ex eo quod non est , unde saepe in Scripturis , ut Psal. 15. & 49. Isai. 1. Act. 17. & alibi legitur , Deum nullius rei indigere , neque cibo , neque potu , neque habitaculo , neque sacrificio , neque ullo omnino creaturae officio , aut ministerio. Pulchre declarat ex hoc modo perfectionem divinae Naturae Auctor sermonum de Operibus Christi Cardinalibus *apud Cyprianum in praefatione*. Sunt autem attributa , seu proprietates , quae 2. & 3. modo ex creaturis Deo perfectissime inesse probantur , hujusmodi bonitas , scientia , sapientia , justitia , potentia , veritas , pulchritudo , immutabilitas , aeternitas , naturae simplicitas , agendi libertas , & similes , quae , quia omnes in rebus creatis reperiuntur , sed cum imperfectione quadam , necesse est eas in Creatore reperiri eo modo , qui imperfectionem omnem excludat.

His porro modis , ex rebus creatis Deum cognosci , praeter Scripturas jam allegatas , docent Patres , multis locis , ut Dionys. lib. *de Divinis nominibus cap. 7.* Hilarius *ubi supra* , & *super Psal. 51.* , & lib. 12. *de Trinitate* , non procul a fine.
Chry-

Chrysost. *hom. 2. in Joan. & aliis duobus locis ante citatis*. Prudentius in *Apotheosi contra Unionitas*. August. lib. 7. *Confess. cap. 17.* Et lib. 8. *de Civit. cap. 6.* Et lib. 11. cap. 2. & 4. Orosius lib. 6. *Historiae cap. 1.* Prosper. lib. 1. *de Vocatione gentium cap. 5. & lib. 2. cap. 4.* Fulgentius *de fide, ad Petrum cap. 3.* Et *Comment. Amb. adscriptus super Rom. 1.* Quod autem haec praedicatio creaturarum invitet atque instruat hominem etiam ad colendum, diligendum & glorificandum Deum: post Apost. Rom. 1. testatur Prosper loco cit. lib. 2. Testatur & Aug. 1. 10. *Confess. cap. 6.* Cujus ad Deum loquentis, haec sunt verba: *Coelum & terra, & omnia, quae in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles.*

Postremo notandum non solum totum universum, & partium ejus ordinem pulcherrimum cum motibus, & operationibus perhibere testimonium Opifici suo, propter quem ordinem dictum est Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona*, quasi diceret singula bona, propter singulas naturas, cuncta vero valde bona, propter ordinem aptissimum & convenientissimum omnium naturarum in universo, sed & singulas creaturas per se sumptas & consideratas, adeo, ut nulla sit earum tam exigua, tamque contempta, quae non aliquo modo suum Auctorem praedicet, & ad primae causae cognitionem intellectum humanum perducere nata sit. Siquidem in omni quantumvis modica & vili creatura bene considerata, saltem hae tres Dei proprietates, bonitas, potentia, & sapientia elucent, ac menti contemplantis sese statim offerunt.

§ II.

Deum esse an demonstratione doceri possit?

S. Thom. 1. par. qu. 2. art. 2. & 3.

CUM duplex sit apud Dialecticos demonstratio; alia quae ex causis effectum, alia quae contra ex effectis causam monstrat, manifestum est priori demonstrationis modo non pos-

posse doceri Deum esse, cum nec Dei, nec ejus existentiae possit in ullo genere causa proferri. Potest autem demonstrari posteriori modo, quemadmodum recte S. Thom. 1. p. q. 2. art. 2. & 3. & in universum Scholastici circa hanc distinctionem tradunt. Neque enim existimandum est rationes, quibus Deum esse ostenditur, probabiles esse dumtaxat, & quae tantum suadeant non etiam convincant. Nisi enim ratione necessaria, & per se evidenti probari posset Deum esse, non diceret Apostolus inexcusabiles esse sapientes, qui ex visibilibus hujus mundi Deum vel non cognovissent, vel cognitum non glorificassent. Quod Aug. lib. 10. *Confess. cap. 6.* ad alios etiam homines extendit. Unde & liber Sapientiae c. 13. docet facilius dominum saeculi invenire, quam ipsum saeculum aestimare, idest, Deum ex creaturis cognoscere, quam ipsarum rerum creaturarum naturas cognitione assequi. Cum ergo multa in creaturis demonstratione cognoscantur, consequens est, ipsum quoque rerum Auctorem demonstrative cognosci posse. Et ob id Sapiens eodem loco negat his debere ignosci, qui in rerum cognitione versantes, & exercitati Deum ignoraverunt.

Deinde probatur haec res exemplo Philosophorum, praesertim Platonis & Aristotelis, qui Deum esse ex creaturis demonstrative cognoverunt. Platonem quidem praecipue, ejusque sectatores notasse videtur Apostolus Rom. 1. Neminem enim inter Philosophos, ad cognoscendam sempiternam Creatoris virtutem ad divinitatem proprius, quam Platonem accessisse, non immerito a multis creditur. Aristotelem vero constat, demonstratione ex motu, mobili, & movente sumpta lib. 8. *Physic.* & 12. *Metaph.* pervenisse in cognitionem unius primae causae, immobilis, incorporeae, infinitae atque aeternae, quam rerum causam Deum dicimus. Fertur etiam ejusdem Philosophi liber de Mundo ad Alexandrum, in quo clare & demonstrative hoc ipsum adstruitur, ut verissima sit illa apud August. *Epist. 246.* Evodii ad ipsum Augustinum scribentis sententia: *Deum esse, ratio demonstrat*: nec temere ab Orosio lib. 6. *Hist. cap. 1.* dictum sit, quod ratione duce omnes etiam Pagani, & non tantum Philosophi

phi unum Deum Auctorem omnium agnoscunt &c.

Ex his ergo patet in Dei notitiam, demonstrationis via perveniri, qua non tantum discamus Deum esse, sed & proprietates ejus, vel omnes vel plurimas percipiamus. Nam & Apost. Rom. 1. & Sap. 6. 13. proprietates quasdam nominaverunt, ut aeternitatem, potentiam &c.; & Aristoteles locis memoratis, primi motoris & principii aliquot insignes proprietates demonstrando collegit. Est autem ad hanc rem multiplex demonstrandi via.

Prima, quae sumitur ex parte motus, & eorum quae moventur, in quibus necesse est devenire tandem ad aliquod primum movens immobile, sicut recte Philosophus colligit.

Secunda ex ratione causae efficientis; necesse est enim ex causis efficientibus pervenire ad causam primam.

Tertia ex possibili & necessario; neque enim fieri potest, ut omnia sint contingentia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus; & inter necessaria aliquid esse, quod per se sit tale, nec aliunde causam habeat suae necessitatis.

Quarta ex gradibus rerum secundum magis & minus bonum & verum, &c.; in quo ordine necesse est aliquid primum reperiri, quod & maxime tale sit, & proinde ceteris sit causa talium perfectionum.

Quinta ex rerum gubernatione; omnia enim propter finem operantur, etiam ea quae cognitione carent; est igitur mens aliqua, quae res omnes ordinet in suos fines.

Postrema ex ratione ipsius finis; necesse est enim omnia tandem in unum aliquid ordinari, cui finis ratio competat, id autem est simpliciter optimum. Has rationes omnes ultima excepta plenius explicatas videre est apud S. Thomam articulo tertio, quaestionis supradictae.

§. III.

Responsio ad argumenta in contrarium.

S. Thom. ubi sup.

Nunc ad ea argumenta respondendum, quibus ostendi videtur, Deum ex rebus creatis saltem demonstrative cognosci non posse.

Primum tale est; ea quae sunt fidei, non demonstrantur: nam demonstratio facit scire, idest, certo & evidenter cognoscere; fides autem secundum Apost. Hebr. 11. *Est rerum non apparentium*, quod plenius docetur *dist. 24. lib. 3.* Atqui fidei est, Deum esse, juxta illud Symboli: *Credo in Deum*; Et illud Apostoli, ubi supra: *Credere oportet de Deo, quia est.* Ad hoc argumentum respondet Sanctus Thomas *p. quaest. 2. artic. 2.*, quod Deum esse, & alia ejusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim inquit: *Fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, & ut perfectio perfectibile: nihil tamen prohibet illud, quod secundum se demonstrabile est & scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit.* Haec ille. Sed huic responsioni videtur obstare, quod fides hujus articuli, Deus est, non tantum exigatur ab iis, qui rationum naturalium sunt incapaces, sed ab omnibus Christianis, & ad Baptismum venientibus, quantumcumque doctis & ingeniosis, id quod satis & ex Symbolo & sententia Apostoli allegata, immo & ex consuetudine Ecclesiae eam fidem exigentis, videtur probari. Quod etiam sic ostenditur; si enim fides illius articuli tantum exigeretur ab iis, qui demonstrationem non capiunt, eo quod alii hoc idem tenerent per demonstrationem; cum fides sit notitia certior scientia demonstrativa, sequeretur homines indoctos & hebetes habere certiore cognitionem hujus propositionis Deus est, utpote per fidem, quam alios doctos atque subtiles, & in rerum

divinarum contemplatione multum versatos, utpote habentes tantum demonstrativam de Deo scientiam, quod est absurdum. Sequeretur etiam, eum qui fidem haberet dictae propositionis, si postea ejusdem demonstrationem acciperet, fidem ejus, quam prius habebat, amittere, atque ita propter demonstrationem supervenientem certio rem notitiam cum minus certa commutare, quod non minus est absurdum. Quocirca respondendum videtur secundum ea, quae dicemus ad *distincti. 24. libr. 3. & quae eodem loco tradit S. Bonavent. art. 2. q. 1. & 3. & super distincti. 21. quaest. ult.* quod quamvis in plena ratione fidei includatur obscuritas, sive inevidentia rei cognitae, quantum videlicet ad modum cognoscendi attingit; quatenus tamen in fide tantum consideratur certitudo cognitionis accepta ex revelatione divina, sic consistere poterit fides cum demonstratione; nec id mirum, cum simul consistant in eodem scientia & opinio ejusdem, idest, altera ex necessariis, altera ex probabilibus accepta notitia; quemadmodum dicta quaest. 2. recte docet S. Bonavent. Proinde non videtur negandum, quin hujus propositionis, Deus est, possit in eodem esse scientia & fides, nec quidem obstante eo, quod fides sit non apparentium; quia quamvis scientia sit certa & evidens cognitio, non tamen adaequat certitudinem fidei, neque evidentiam visionis, ad quam fides ducit. Unde, habita scientia alicujus articuli, non cessat officium ac ratio fidei, nec quoad certitudinem, qua superat scientiam, nec omnino quoad inevidentiam, quam non ita abstulit scientia, ut coaequaverit visioni, quae erit in patria.

Secundum argumentum: Omnis demonstratio est ex necessariis; atqui nihil est absolute necessarium praeter Deum; ergo non poterit ex effectis demonstrari, Deum esse. Respondetur, demonstrationem omnem hactenus esse ex necessariis, quia debet esse necessaria connexio medii cum extremis. Nam & alioqui ex effectu contingenti causam item contingentem, & contra, dum tamen necessario sit connexio, demonstrative colligimus.

Tertium. Ex effectu non demonstratur causa, nisi cau-

sa sit effectui proportionata; nullus autem effectus est, nec esse potest Deo proportionatus. Respondetur ex quocumque effectu posse demonstrari quod causa sit, licet non ex quocumque possit haberi perfecta cognitio causae: neque enim ullus est effectus, per quem Deus perfecte cognosci possit secundum suam essentiam.

Quartum. Athanasius *lib. de Spiritu Sancto*: *Deitas*, inquit, *non demonstratione rationam traditur; sed Fide & pia cogitatione cum Religione*. Respondetur, Athanasium loqui de Deitate quoad mysterium Trinitatis, de quo infra dicetur.

Postremo objicit quidam, contemplationem creaturarum esse, semperque fuisse viam ad errores & superstitiones; dum earum pulchritudine delectati homines, in iis divinum aliquid inesse putaverunt. Unde Sapient. 14. testatur Scriptura; *Creaturas Dei in odium factas esse, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*. Quare cum non sit idem causa contrariorum, fieri non potest, ut ex iisdem creaturis in unius veri Dei cognitionem veniatur. Respondetur sententiam Sapientis de hac re clarissimam esse *cap. 13.* ut supra satis ostensum est: eodemque accedit quod saepe in Scripturis creaturae invitantur ad laudandum Deum nominatim Ps. 148. & in Cantico trium puerorum, non ob aliud, quam quia quantum in illis est, sufficiens preabent argumentum homini ad cognoscendum & laudandum Deum. Quod ergo dicit Sapiens: *Creaturas in odium & tentationem, & muscipulam factas, &c.* non finem significat, propter quem factae & institutae, vel ad quem per se ducant, sed eventum, qui consequitur ex hominum coecitate & malitia. Non enim ait generaliter *hominum*, sed addit *insipientium*: homines enim factura Dei per insipientiam abutentes, divinitatem iis attribuerunt. Itaque contemplatio creaturarum non est ad errorem via, nisi per accidens; nimirum ex vitio hominis coeci ac depravati rebusque visibilibus addicti, ad invisibilia assurgere non volentis: per se autem via est regia ad cognitionem Creatoris; quia naturaliter effectus manifestat causam, & opus monstrat Opificem. Quamquam Sapiens non de quibuscumque loquitur creaturis, sed de iis, quae in imagines quasdam ar-

tificum opera efformatae, stultorum animos ad sui venerationem & cultum allegerunt.)

§. IV.

Utrum Dei notitia omnibus insit.

S. Thom. 1. part. q. 2. art. 1.

CUM sit ostensum, Deum ex rebus sensibilibus posse etiam demonstrative cognosci, merito quaerendum occurrit; *An Dei notitia omnibus insit hominibus?* quod tamen intellige de adultis & rationis usum habentibus. Nam, sine rationis usu constat, notitiam intellectivam ex sensibilibus accipi non posse.

Partem quidem affirmantem multa sunt, quae suadeant. Primum: quia per se notum est, Deum esse, quemadmodum recte probat *S. Th. 1. p. quaest. 2. art. 1.*, ex eo quia Deus est suum esse; at ea quae per se nota sunt, statim cognitio terminis, ab omnibus cognoscuntur, ut, quod omne totum majus sit sua parte. Secundo: quia dicit *Aug. Tract. 106. in Joan.* nomen Dei in quantum est Deus, universae creaturae, etiam omnibus gentibus, antequam in Christum crederent, non omni modo ignotum esse potuisse; *Haec est enim, inquit, vis verae Divinitatis, ut creaturae rationali jam ratione attenti, non omnino ac penitus possit abscondi, &c. Et super Psalm. 74. Deus ubique secretus est, ubique publicus, quem nulli licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.* Quo pertinere videtur etiam illud ejusdem *Aug. Conc. 8. super Psalm. 118.* Mandata Dei, ut illud de dilectione Dei ex toto corde, non tantum fidelibus, sed & plurimis infidelibus notum esse. Unde consequens est, quod & ibidem Augustinus significat, iisdem infidelibus aequaliter esse notum.

Tertio. *Hieron. in Comm. Epist. ad Galat. 1.* proferens illud Evangelistae: *Erat lux vera quae illuminat omnem hominem, &c. Ex quo, inquit, perspicuum sit, natura, omnibus Dei inesse notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, &c.*

Quar-

Quarto. Hilarius *super Psalm. 52. Quis enim mundum intuens Deum esse non sentiat?*

Quinto. Prudentius (*in Apotheosi contra Unionitas*) sic canit:

*Et quis in dolio recubans inter sacra mille,
Non putat esse Deum summum & super omnia solum?
Quamvis Saturnis, Junonibus & Cytheraeis,
Portentisque aliis fumantes consecret aras:
At tamen in Coelum quoties suspexit, in uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.*

Et alia multa, quae sequuntur in eadem sententiam.

Sexto. Auctor operis imperfecti Chrysostomo adscripti in *Matth. hom. 42. Cognoscere unum Deum pene proprium est humanae naturae: diligere autem Deum religiosi cordis & recti.*

Septimo. Orosius lib. 6. *Hist. c. 1. Deum quilibet hominum ad tempus contemnere potest, nescire in totum non potest. Ac deinceps docet, non modo Philosophos, sed & alios Paganos unum Deum agnoscere, cui ceteros Deos tamquam ministros subjiciant: Quia, inquit, de uno Deo omnium pene una opinio est.*

(Octavo. Joan. Damas. lib. *de Orthod. fide cap. 1. Cunctis, inquit, cognitio, quod Deus sit, ab ipso naturaliter insita est atque ingenta. Quod & repetit cap. 3.*)

Nono. Hugo de S. Victore lib. 1. *de Sacrament. par. 3. cap. 1. Deus sic ab initio notitiam sui in homine temperavit, ut sicut numquam quid esset, totum poterat comprehendere: sic quia esset numquam prorsus posset ignorari. Et cap. 2. Si absconditus totus esset, fides quidem ad scientiam non adjuvaretur, sed infidelitas de ignorantia excusaretur.*

Decimo. Beda *super Job. 34. Omnes peccatores & impii contra inditum sibi bonum naturae agunt, sicut de hujusmodi ait Apostolus: Qui cum cognovissent Deum &c. ubi autem cognoverunt Deum, nisi in ratione & judicio mentis? &c.*

Undecimo. Catechismus ad Parrochos, tractatu de Sacramento Ordinis, dicit; naturali instinctu, homines agnoscere Deum

Deum colendum esse : Id autem agnoscere non possunt , nisi cognoscant Deum esse.

(Duodecimo. Testimoniis ipsorum Ethnicorum id probatur. Dicit enim Cicero libr. 1. *de natura Deorum* : Omnibus innotuit , & quasi insculptum , esse Deos. Et *de responsis Arusp.* Quis est tam vecors , qui cum suspexerit in Coelum , Deus esse non sentiat ? Et libr. 1. *de Legibus*. Nulla gens est , inquit , neque tam immansueta , neque tam fera , quae non , etiamsi ignoret qualem Deum habere debeat , tamen habendum sciat. Et libr. 1. *Tusc. quaest.* Firmissimum hoc adferri videtur : cur Deos esse credamus , quod nulla gens tam fera , nemo hominum tam sit immanis , cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Sed & apud Justinum q. 1. *ad Gentes* introducuntur Ethnici asserentes , Dei notitiam omnibus hominibus esse communem.

Postremo ; nulla gens est , quae non utatur jurejurando.

Homines enim , ut generaliter ait Apost. Hebr. 6. *per majorem sui jurant* , & *omnis controversiae eorum finis ad confirmationem est juramentum* : atqui jurare est Deum testem invocare , estque actus Religionis ; ergo omnium hominum animos tangit Religio Dei.

(Verum pro parte contraria facit primo ; quod Scriptura multis locis attribuit hominibus quibusdam ignorantiam Dei , ut in Psalmis & alibi : unde illud Psalm. 13. & 52. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*. Et illud Psalm. 78. & Jerem. cap. 10. *Effunde iram tuam in gentes , quae te non noverunt*. Nam & peculiariter de populo Israelitico scriptum est : *Notus in Judaea Deus*. Item Apostolus 1. Cor. 1. *In Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*. Et capite 15. *Ignorantiam Dei quidam habent*. Et 1. Thess. 4. *Gentes quae ignorant Deum*. Et 2. Thess. 1. *In flamma ignis dantis vindictam iis , qui non noverunt Deum*. Et Sapiens cap. 13. *Vani sunt omnes homines , in quibus non subest scientia Dei , & de his , quae videntur bona , non potuerunt intelligere eum , qui est ; neque operibus attendentes cognoverunt quis est Artifex , &c.* Et alia hujusmodi multa. Deinde constat fuisse quosdam , atque etiam nunc esse , qui omnem prorsus opinionem Deitatis , tamquam inanem ac falsam rejicerent & contemnerent,

nec unum Deum agnoscentes, nec multos, ut fuere apud Graecos Protagoras, Diagoras, Theodorus, Athei dicti; & apud Latinos Plinius historiae Naturalis Scriptor, ut ipse lib. 2. *ejus operis cap. 7.* non obscuris verbis profitetur: ut certe mirum sit, hominem, qui totam rerum naturam tanta diligentia scrutatus sit, non agnovisse Opificem. O caecitatem humanae mentis!

(Ex his igitur quoad praesentem quaestionem duo accipi possunt, de quibus non sit dubitandum. Unum est, veri Dei notitiam in particulari, idest, secundum omnes aut praecipuas divinae Naturae proprietates non omnibus hominibus inesse: immo Deum hoc modo a multis adhuc gentibus & plurimis hominibus ignorari; atque a multo pluribus ignoratum fuisse ante descensum Filii Dei in terram, quando notus in sola fere Judaea Deus verus, falsorum autem Deorum cultus per totum mundum vigeat. Atque haec res ex Scripturis manifesta est. Alterum, non defuisse prioribus saeculis ac ne hodie quidem deesse homines, qui nullam prorsus nec veri, nec falsi Dei opinionem habeant, sed simpliciter dicunt in corde suo, non est Deus; existimantes ipsam naturam esse primam omnium rerum naturalium causam; humana vero omnia non nisi humana providentia administrari, quae, quia ad omnia sese extendere non potest, ideo plurima in rebus humanis casu ac temere fieri sine providentia superioris causae. Qua opinione imbutos homines tamquam Atheos detestati sunt olim etiam Ethnici.

(Ceterum quae in diversum allatae sunt sententiae, partim ostendunt non ita obtenebratam esse per peccatum mentem humanam, quin in ea remanserit impressa atque innata quaedam generalis opinio de Deo, ejusque providentia circa mundum & res humanas, sed quae multis errorum nebulis, ac superstitionum maculis infuscata fuerit ac deformata, dum summa illa Natura in plures Deos distrabitur: dum etiam lignis & lapidibus atque aliis inanimatis rebus communicantur; dum alia multa indigna illi stulte & insipienter affingantur; detractis e contra iis, quae sunt illi propria: partim vero docent omnibus inesse lumen rationis naturalis, quo

valeant ex rerum contemplatione ad unius etiam veri Dei cognitionem pertingere, nec sane paucos fuisse qui illuc usque profecerint. Multi enim docti ac sapientes opinionem illam generalem de Deo in animis suis ita confirmarunt, ac diligentiori consideratione rerum, quae in mundo sunt & fiunt, excoluerunt, ut etiam in particulari multa de Deo vere ac magnifice sentirent. Neque tamen illa generatim opinio de Deo ita universaliter omnibus est communis, ut nulla sit exceptio. Cum enim Natura humana in aliis plus, in aliis minus sit depravata; mirum non est, aliquos etiam reperiri in quibus abolita, ac deleta penitus videatur opinio qualiscumque de Deo; quales Atheos esse jam diximus, quos notasse videtur Aug. *Tract. 106. in Joan.* quando post verba supraposita ita subjunxit: *Exceptis enim paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur Auctorem,* &c. Et serm. 10. de verbis Domini; *Pauci, inquit, inveniuntur tantae impietatis, ut impleatur in eis quod scriptum est: Dixit stultus in corde suo, non est Deus, insania ista paucorum est. Sicut enim magna pietas paucorum est: ita magna impietas nihilominus paucorum est.* Haec ille. Ob hanc igitur causam Orosius & Auctor operis imperfecti, cum quadam significatione exceptionis, dixerunt, pene omnes homines unum Deum nosse: Unde & illa Hilarrii interrogatio, *Quis enim mundum intuens,* &c. Et illa Ciceronis, *Quis est tam vecors,* &c. non prorsus negativam exigunt responsum, sed significant, paucos eosque valde hebetes aut depravatos esse, qui id non sentiant.

(Quibus ita declaratis utcumque, jam apparet quemadmodum ad ea fere omnia, quae in contrarium objecta sunt sit respondendum, ut non sit opus morari in singulis; nisi quod ad primum respondemus, hanc propositionem, Deus est, esse quidem per se notam: non tamen quoad nos, quibus sensibilia prius innotescunt, per quae proinde nos in Dei cognitionem manu duci oportet, sicut eodem articulo plenius ipse S. Thomas explicat.)

Ad quintum respondetur. Prudentium respicere potissimum ad tempus revelati Evangelii, cujus occasione factum est,

est, ut plurimis Gentilibus etiam iis, qui nollent Evangelium quoad cetera recipere, saltem innotesceret, ipsa ratio-
ne quodammodo eos ad hoc cogente, unum esse Deum, a
quo universum hoc administraretur.

Ad octavum respondet S. Thom. *loco jam citato*, quod
cognoscere Deum esse in aliquo communi, sub quadam con-
fusione sit nobis naturaliter insitum, in quantum scilicet Deus
est hominis beatitudo. Omnes enim naturaliter appetunt bea-
titudinem, quam proinde, & naturaliter norunt generali bea-
titudinis apprehensione. Verum haec solutio non videtur esse
ad mentem Damas. quocirca rectius ejus sententia, ex iis
quae diximus, explicanda venit.

Ad nonum. Hugo non aliud vult, quam Deum non esse
prorsus humano generi incognitum, sed ab homine cognosci
posse, partim ex instinctu naturae, partim ex institutione di-
vina; licet perfecta Dei cognitio non hujus sit vitae, sed
in aliam vitam reservetur.

Ad id quod ex Justino objicitur, patet quidem etiam ex
dictis responsio. Notandum tamen Justinum, seu quisquis Au-
ctor est earum quaestionum, non prorsus hoc Gentilibus,
quod illi assumebant de generali Dei apud omnes homines
notitia concedere, sed magis contendere, falsum id esse, ni-
mirum si intelligatur de notitia veri Dei distincta.

Ad postremum respondetur, non constare, an omnes om-
nino gentes utantur juramento; sed etsi omnes utantur, quod
non negamus, fieri tamen posse, ut multi sint homines, qui
eo tantum utantur ex consuetudine, nescientes quid nomen
juramenti importet, aut jurandi ritus sibi velit, nisi in ge-
nere, quia est caeremonia quaedam verborum, qua quis, id
quod affirmat, confirmare intendit.

§. V.

An solis naturæ viribus in Dei notitiam perveniri possit?

S. Thom. 1. par. qu. 12. art. 13. & 1. 2. qu. 109. art. 1. & 3.

EX supradictis oritur quaestio, utrum cognitionem veri Dei, qualem non paucos hujus saeculi sapientes ex rerum visibilium contemplatione fuisse assecutos diximus, solis naturæ viribus, idest, solius luminis naturalis adminiculo, fuerint iidem illi adepti: an vero ad eam opus habuerint gratia Dei peculiariter illuminante; propterea quod ad tantum bonum vires naturæ non se extenderent. Cui quaestioni probabiliter ad hunc modum respondetur.

Primum, sicut solo ductu rationis naturalis potuerunt hujus saeculi sapientes Philosophi, & alii consequi veram aliquam cognitionem officiorum vitae humanae, quod satis probant *Ethica Aristotelis*, *Officia Ciceronis*, & aliorum *Ethnicorum sapientium scripta*, praesertim *Stoicorum*, ut *Epiceteti*, *Senecae*, *Plutarchi*: ita dicendum videtur, eosdem solo lumine naturali instructos, pervenire potuisse in notitiam unius primæ causæ atque principii rerum, a quo, non solum facta sint omnia, verum etiam conserventur & gubernentur; idque non aliqua necessitate naturæ, sed proposito & voluntate. Cujusmodi sane de Deo notitiam *Platonici* consecuti fuisse videntur. Quod enim ad cognitionem *Officiorum vitae* attinet, non ita vitiata est per peccatum humana natura, ut non de multis agendis & fugiendis possint homines solo ductu rationis recte judicare; praesertim si cultura ingenii & institutio accesserit. Non enim inquit *Augustinus*, *lib. de Spiritu & lit. cap. 28.* usque adeo in anima imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea, velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suæ facere aliqua legis, vel sapere &c. Unde idem *Agustinus lib. de duabus animabus cap. 2.* dicit: *leges divinas penitus esse naturæ indi-*

ditas apud animum nostrum. Et super Psalm. 57. quod nemo etiam ante Legem ignoraverit quid justum esset, quodque in cordibus nostris scriptum sit a veritate, *quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*; ut etiam illi, quibus lex non est data, haberent unde judicarentur. Similia scribit l. 2. de lib. arbitr. c. 10. lib. 2. Confess. cap. 4. In expositione Psalmi 118. Conc. 8. & 25. Et lib. 11. de Civit. c. 8. Consentiant Ambros. lib. de Paradiso c. 8. Hieron. super Isaiae 14. Et super Malach. 2. Et in Epistola ad Algasiam q. 8. Prosper. l. 3. de Vita contemplativa cap. 11. Et contra Collatorem cap. 22. Hugo lib. 1. de Sacramentis part. 3. cap. 3. Adde S. Thomam 1. 2. quaes. 56. art. 6.

Probant haec loca Patrum, reliquias quasdam legis naturae post peccatum in homine relictas esse. Quae quidem reliquiae, non tantum ad aliqualem eorum, quae agenda sunt, verum ipsius Dei Auctoris & gubernatoris notitiam, per se valere ac sufficere videantur. Quod & probatur iis Patrum sententiis superiori capite recitatis: quibus testantur, Deum, ut mundi Auctorem, non omnino potuisse gentibus esse incognitum. Nihil enim prohibet, quominus illa rudis de Deo notitia naturae hominis velut innata; ejusdem naturae viribus, absque peculiari illustratione divina incrementum aliquod capiat ex diligenti contemplatione rerum creaturarum. Ceterum iidem Sapientes ad exactam cognitionem officiorum pervenire non potuerunt propter humanae mentis caliginem ex peccato contractam, ac multo minus proprium finem, in quem referenda sunt officia, cognoscere, sed circa ista multipliciter erraverunt: ita nec putandum est potuisse eos, sola facultate naturali, pervenire ad propriam & absolutam Dei notitiam, qua nimirum cognoscerent omnes, aut certe praecipuas ejus proprietates, & quomodo sit causa rerum; an ut artifex ex praejacente materia; an vero, ut & ipsius Auctor materiae: quod sane Philosophorum nemo cognovit. Et rursus, utrum omnia gubernet generali quadam ratione & providentia; an particulatim: atque immediate etiam singula curet: quod item a nemine Philosophorum traditum fuisse legimus. Nam Platonici, qui ceteris exactius & subli-

nus de Deo philosophati putantur, mundum quidem a Deo factum docent, sed ex materia praevia, Deoque coaeterna, quomodo sensisse Platonem testatur, Ambros. *in principio libri Hexameron.* Et de Platoniceis similia refert Augus. lib. 8. *de Civit. cap. 5. & seq.* ubi inter alia scribit *cap. 12. & rursus lib. 10. cap. 1.* sensisse Platonem, ejusque sequaces, pluribus Diis esse sacrificandum. Sed & lib. 12. *cap. 26.* Platoni tribuit, quod putaverit animas quidem humanas a summo Deo creatas esse, corpora vero a Diis minoribus formata. Leguntur autem ejusmodi quaedam apud Platonem in lib. *de Republic. & de Legibus.* Patet itaque illos Sapientes, qui magna quaedam de Deo cognoverunt, notitiam illam suam multis erroribus involutam atque permixtam habuisse; de quibus proinde recte Aug. lib. 2. *de Civ. cap. 7.* *Quidam eorum, inquit, magna quaedam, quantum divinitus adjuti sunt, invenerunt, quantum autem humanitus impediti sunt, erraverunt.* Et lib. 18. *cap. 41.* *Quo humana se porrigit infelicitas, si divina non ducit auctoritas?* Quo circa idem Aug. lib. 8. *de Trin. cap. 9.* distinguens inter fidem & eam cognitionem, quae ante fidem susceptam de Deo habetur: *Valet, inquit, fides ad cognitionem & ad dilectionem Dei, non tamquam omnino incogniti, aut omnino non dilecti; sed quo cognoscatur manifestius & quo firmiter diligatur.* Et Oros. l. 6. *cap. 1.* cum dixisset omnium fere hominum opinionem convenire in unum aliquem Deum summum, subjecit. *Hucusque humana scrutatio, etsi cum labore, potuit: at ubi ratiocinatio defecit, fides subvenit: nisi enim crediderimus, non intelligemus. Ab ipso audias ipsique Deo credas, quod verum velis scire de Deo.* Sic ille. Denique probatur ex eo, quod Adam peccando non totam de Deo notitiam amisit, licet eum fidem amisisse Patres testentur. De qua re agetur *ad distin. 23. lib. 2.* Timuit enim Deum post peccatum; unde sequitur quod aliquam licet imperfectam Dei scientiam retinuerit. Nihil ergo prohibet, quominus ex viribus naturae in Adam corruptae homo similiter ad imperfectam quamdam Dei notitiam, ratiocinando, per ea quae facta sunt, devenire: non enim hoc in Adam amisisse videtur corrupta posteritas, quod ipse Adam non amisit, quando peccavit.

Ut

Ut igitur quaestionem concludamus, licebit constituere quadruplex discrimen inter eam notitiam, quam de Deo consequi possunt homines, solo naturali lumine rationis adjuti, & eam, quam per fidem divinitus infusam accipiunt Christiani. Primum est, quod notitia per fidem statim acquiri possit; illa vero philosophica longi temporis moram cum magno studio postulet.

Secundum, quod Christianorum de Deo notitia certissima sit, utpote revelationi divinae subnixa; Philosophorum vero nec omnino certa, nec stabilis, sed quae opinionis potius, quam scientiae nomen mereatur. Quamvis enim demonstrativa esse possit, ut ostensum est supra, tamen propter tarditatem & caliginem mentis humanae, fit, ut non ea certitudine ac firmitate assentiendi, quam parere nata est demonstratio, semper ab intellectu suscipiatur. Aut enim haeretur in principiis, aut non satis est ex illis evidens collectio. Quod si etiam demonstrata fuerit ea cognitio, minor tamen adhuc erit ejus certitudo, quam fidei.

Tertium, quod nostra notitia quam de Deo divinitus accepimus sit ab omni errore pura & vacua: illa vero philosophica multis erroribus admixta sit & coinquinata.

Postremum, quia divinum hoc fidei donum efficit, ut communior sit, & ad multo plures perveniat Dei cognitio; cum e diverso pauci fuerint ingeniosiores simul & studiosiores, qui rerum contemplationi vacantes magna quaedam de Deo nosse potuerint.

De multiplici hoc discrimine videatur S. Thomas *part. 1. quaes. 1. art. 1.* Et 2. 2. *quaest. 2. art. 4.* ubi docet, etiam ea religionis dogmata fide suscipienda esse, quae ratione naturali probari possunt; idque propter majorem certitudinem fidei, quam ejus cognitionis, quae ex naturali ratione possit accipi.)

§. VI.

Explicatio cujusdam difficultatis circa praedicta.

S. Thom. par. qu. 12. art. 12. & 1. 2. qu. 109. art. 1.

Circa doctrinam superiorem difficultas oritur ex eo, quod tam Scriptura quam Patres, omnem veram, quam de Deo habemus notitiam, beneficio & gratiae Dei adscribere videntur. Nam Apostolus Roman. 1. de mundanis sapientibus, quibus quod notum est Dei manifestum fuit, loquens: *Deus enim, inquit, illis manifestavit; Et rursus: Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; Et statim post: Dicentes enim se esse sapientes, id est, suis viribus tribuentes sapientiam, quam adepti erant, & in seipsis de ea gloriantes; stulti facti sunt.* Quae singulae sententiae plane significant, Dei donum fuisse scientiam, quam de Deo Philosophi acceperant; de qua proinde non in seipsis sed in Deo gloriari, Deoque gratias agere debebant. Deinde probant hoc generales sententiae Scripturae, quae testantur omnem sapientiam & omnem scientiam esse a Deo. Ut Ecclesiastici 1. *Omnis sapientia a Domino Deo est.* Psalm. 93. *Qui docet hominem scientiam.* 1. Reg. 2. *Deus scientiarum Dominus est.* Item sententiae generales, quae testantur omne bonum esse a Deo, ut Jacobi 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* 1. Corinth. 2. *Quid habes quod non accepisti: Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis.* 2. Corinth. 10. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur: & alia hujusmodi multa.* Quibus accedit illa quoque generalis sententia Concilii Arausicani canon. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum.* Et illud Ecclesiastici: *Sine tuo Numine nihil est in homine: nihil est innoxium.* Et quidem locum Apostoli Rom. 1. sic intellexisse videntur Augustin. & alii, ut praeter externam creaturae visibilis praedicationem significetur, necessarium esse internum Dei auxilium ad Dei notitiam ex rebus creatis percipi-

cupiendam. Sic enim ait Augustinus, *Sermone de Kalendis Januarii, recitante Beda super illud. Roman. 1.* Dicentes enim se Sapientes, stulti facti sunt Non enim debebant sibi arrogare quod ille donaverat, nec se jactare ex eo, quod non a seipsis, sed ab illo habebant: quod illi utique Deo reddendum fuit: ut ad hoc tenendum quod videre poterant, ab illo sanarentur, qui dederat ut viderent. Si enim hoc facerent, humilitatem servarent, &c. Et *Sermone 55. de verbis Domini.* Dicentes se esse sapientes, idest, donum Dei sibi tribuentes, stulti facti sunt. Et libro de Spiritu & Litera capite 12. Dicentes se esse sapientes, quod non aliter intelligendum est, nisi hoc ipsum sibi tribuentes. Similia leguntur in expositione Psalmi 47. Item *Epistola. 112. capite 11. Et tractatu 2. super Joannem.* Et apud Haimonem *super Epistolam ad Rom. Rursum Augustinus lib. 10. Confessionum capite sexto* cum dixisset coelum & terram omnibus praedicare, ut Deum ament; adjecit: *Altius autem tu misereberis, cui misertus eris. Alioquin Coelum & terra surdis loquuntur laudes tuas.* Quo pertinet & illud supra citatum ex lib. 2. de Civitate capite septimo; *Quosdam magna quaedam, quantum divinitus adjuti sunt, invenisse.* Et libro 15. capite sexto: *Nihil prodesse omnem praedicationem veritatis etiam a Deo per creaturas loquente; nisi accedat interna gratia.* Sed & libro de Praedestinatione Sanctorum capite 19. & saepius alibi ex debita gratiarum actione colligit donum gratuitum. In eadem sententiam & Prosper subinde loquitur utroque libro de vocatione Gentium, sed apertissime libro primo, capite quarto: *Cum enim quidam, inquit, non solum ad instituta utilissimarum artium, & doctrinas liberalium disciplinarum, sed etiam ad inquisitionem summi boni aciem mentis intenderint; & invisibilia Dei per ea, quae facta sunt intellecta conspexerint; non agentes gratias tamen Deo; nec confidentes illum sibi esse hujus facultatis Auctorem, sed dicentes, se esse sapientes, hoc est, non in Deo; sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis atque rationibus propinquassent, evanuerunt in cogitationibus suis: & quod illuminante Dei gratia invenerunt, obcaecante superbia perdididerunt, relapsi a superna luce ad tenebras suas, hoc est, ab*
in-

incommutabili atque aeterno bono ad mutabilem corruptibilemque naturam &c. Cujusmodi etiam scribit in Epistola ad Demetriadem negans contemplationem creaturarum quicquam posse proficere ad cognoscendum Deum, ut nec alia quaecumque adminicula externa persuadendae veritatis, nisi ille summus & verus agricola potentiam sui operis adhibuerit, juxta illud Apostoli; *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Beda quoque *super Job. 34.* *Nisi ipse Deus, inquit, dignatus fuerit se homini revelare: quis est qui possit eum suis viribus intueri, vel perscrutando ad majestatem ejus accedere?* Haec igitur si vera sunt, non apparet quemadmodum solis naturae viribus ad aliquam Dei notitiam, vel imperfectam possit homo pertingere. Unde nonnulli his argumentis moti putaverunt, nihil prorsus de Deo cognosci posse ex creaturis etiam summis ingeniis quantolibet labore & studio, nisi peculiari a Deo accepta illuminatione, propterea quod sine ea ad talem cognitionem vires naturae non sufficerent.

Nos interim ad propositam difficultatem respondentes dicimus, verissimum id esse, quod Scripturae palam docent, omnem sapientiam & omnem scientiam, ac generaliter omne bonum hominis esse Dei donum, utpote ab auctore Deo profectum, atque homini datum; sive ad illud bonum consequendum sufficiant vires naturae corruptae, sive non. Deus enim omnium bonorum auctor & largitor est, & prima omnium causa, qui omnia in omnibus operatur; cui proinde de omnibus & in omnibus gratiae sunt agenda, sicut monet Apostolus *1. Thessal. ultimo*; & in quo solo gloriandum, ut alibi idem Apostolus saepe docet. Non tamen ad omnem scientiam opus est peculiari illuminatione seu revelatione, qualis est revelatio Fidei; eo quod ad multarum rerum, atque etiam ipsius Dei aliqualem cognitionem percipiendam ex creaturis adhuc sunt proportionatae vires humanae naturae, nondum per Christum reparatae; sicut sine gratia Dei per Christum multa potest homo in officiis humanis, non provehantibus ad salutem vitae aeternae; sed solummodo conducen-
 tibus ad honestam conservationem hujus vitae temporalis:
 quae

quae tamen ipsa, in quantum bona sunt, in Deum auctorem omnia sunt referenda. Unde Augustinus *Epist.* 130. quod Polemon ille Atheniensis, non solum ebriosus, sed & ebrius in scholam Xenocratis ingressus, ejus sermone in alios mores repente conversus est: *Idipsum*, inquit, *quod melius in eo factum est, non humano opere tribuerim, sed divino.* Quod & probat verbis subsequentibus. Et Beda *libro primo in Cantica*, virtutes & bona opera infidelium tribuit gratiae, idest, dono & beneficio Dei. Qua de re disputans Sanctus Thomas *de Veritate, quaest.* 24. *art.* 14. generaliter docet, quod nulum bonum, nec supernaturale, nec naturale, nec morale, potest homo sine Deo operari. Quae autem ad salutem pertinent non potest homo facere sine gratia Dei, idest, misericordia Dei, qua dirigitur ad salutem, ea vero est gratia Dei per Christum.

Dicendum igitur Apostolum ad Roman. 1. non loqui de peculiari revelatione, qualis facta est Prophetis, qualis & nobis fit per Fidem: sed de manifestatione, quae fit per creaturas visibiles, Deo nihilominus intus operante, & illam sui cognitionem per rerum visibilium contemplationem illis tribuente; id quod Apostoli verba, *Deus illis manifestavit: & supra positae Patrum sententiae significant.* Itaque merito reprehendi Philosophos, quod de manifestatione tali modo facta, Deo gratias non egissent, sed sibi quoque ingenio suam illam sapientiam tribuissent, sicut merito reprehensibilis est, qui victoriam sibi non Deo tribuit; tametsi suis viribus, industria, consilio partam. Quod & Scriptura nos docet Deuteron. 8. & 32. atque alibi; & ex Scriptura Sanctus Thomas *lib. de Regimine Principum cap.* 8. docte prosequitur.

Si quae vero Patrum dicta forte exigere videntur, gratiam & illuminationem peculiarem; ad ea respondere possumus ipsius Prosperi verbis, qui *lib. 2. de Vocatione Gentium cap.* 17. scribit, tan acerbo vulnere naturam humanam sauciatam esse, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea plene valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discussit. In eo ergo quod ait, *plene*, significat posse, aliquos aliquosque per contemplationem spontaneam

erudiri ad cognitionem Dei, absque peculiari illa & supernaturali illuminatione divina. Quare sicubi negant Patres Dei notitiam haberi posse, sine peculiari illuminatione divinitus accepta, poterunt intelligi de cognitione plena & certa, qualis est, quae per Fidem habetur; vel qualis haberi poterat ex viribus naturae integrae. Quamquam proprie nec cognoscere Deum omnino & absolute dicendus est, qui ei adimit proprietatem aliquam, sine qua non est Deus; vel eam tribuit, quae in Deum competere non potest, velut Deum corporeum esse; necessario agere praescientem, aut providentiam rerum omnium non habere; non omnium rerum Auctorem esse, & similia. Quam ob causam Scriptura passim de Gentibus simpliciter pronunciat, quod Deum ignoraverint, ut Tobiae 8. & 13. Galat. 4. 1. Thessal. 4. & aliis locis supra citatis. Ceterum pro majori declaratione supra dictorum, consideranda est doctrina S. Thomae 1. 2. qu. 109. art. 1. ubi docet, ad cognitionem cujuscumque veri, hominem indigere auxilio divino, ut intellectus a Deo moveatur ad suum actum; non autem indigere ad cognoscendam veritatem in omnibus, nova illustratione superaddita illustrationi naturali; sed in quibusdam, quae excedunt naturalem cognitionem hominis, in natura corrupta excedit plena de Deo cognitio: non autem imperfecta, qualem Philosophi habuerunt. Unde dicit idem Doctor eadem quaestione art. 2. ad tertium; *quod natura humana magis est corrupta per peccatum, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri.*

§. VII.

Trinitatis Mysteriorum ratione demonstrari non posse.

S. Thom. 1. part. qu. 32. art. 1.

NULLA ratione naturali demonstrari posse distinctionem personarum in Deo, seu trium, seu duarum tantum, communis est ac receptissima Theologorum doctrina. Et quidem ea

ea demonstratione, quae ex causis procedit, non posse, manifestum est ex eo, quia Trinitatis in divinis nulla est causa. Quod autem neque ex effectis, idest, ex creaturis demonstrari possit, hujusmodi demonstratione ostenditur, quia ex creaturis perveniri non potest in cognitionem Creatoris, nisi tamquam causae, atque principii respectu earum; Atqui ratio causae respectu omnium creaturarum prorsus aequaliter & indifferenter tribus in Deitate personis communis est; quia ut habet certissimum axioma Theologicum: *Trinitatis opera indivisa sunt, & inseparabilia*; sic, ut nihil agat in creaturis una persona, quod non idem eodem prorsus agant reliquae, nimirum una eademque virtute & operatione, quae est essentia divina aequaliter omnibus tribus communis: unde nec tres personae tria dici possunt rerum principia; sed unicum principium, simplex & indivisum. Nulla igitur ex Trinitate personarum in operibus Dei potest existere diversitas, sicut solet in operibus humanis ex diversitate Opificum, non eadem, vel eodem modo operantium: Consequens igitur est ex operibus Dei nulla demonstratione colligi possit personarum in Deo distinctionem; quandoquidem, etsi per impossibile non essent in Deo plures personae, sed una tantum, nihilominus tota creatura prorsus eadem atque eodem modo a Deo processisset, aut procedere potuisset. Hinc est quod Patres, mysterium hoc inscrutabile esse, semper professi sint, quodque Ecclesia in Festo Sanctissimae Trinitatis, utatur illis Apostoli verbis Roman. *xi. O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei*, &c. Itaque Athanasius lib. *de Spiritu Sancto* loquens de hoc Deitatis in tribus personis mysterio; *Deitas*, inquit *non demonstratione rationum traditur, sed fide & pia cogitatione cum Religione*. Et Hilarius lib. *i. de Trinitate*: *Non putet homo sua intelligentia generationis secretum posse consequi*. His adde quod difficilimum est credere Trinitatem personarum, etsi revelatam a Deo, quare multo minus ad eam cognoscendam pertingere poterit ingenium humanum ex ratione naturali. Etsi vero non possit ratione demonstrari; Fide tamen supposita, possunt adferri congruentiae quaedam, quibus doceatur, non esse absurdum, nec contra rationem id, quod credimus.

Prima congruentia est ; quia summi & infiniti Boni est seipsum summe & infinite communicare , quod non fit nec fieri potest in creaturis : ergo congruum est , ut fiat in productione personae , vel personarum in divinis.

Secunda ; perfecta beatitudo comprehendit omnia bona : Est autem insigne quoddam bonum consortium aequalium personarum : ergo illud Deo , utpote perfectissime beato , tribuendum.

Tertia ; praecipuum ad foelicitatem bonum est amicitia , quae quidem non consistit nisi inter plures : cum & Gregorius testetur , quod charitas minus quam inter duos , esse non possit ; ergo nec illud bonum a Deo , ut qui summa foelicitas est , removeri debet.

Quarta ; gignere sibi simile magna perfectio est , quae proinde non est a Deo removenda , qui est omni ex parte perfectus ; ergo Deus gignit Filium sibi per omnia similem.

Quinta ; quia melius est Deum ab aeterno produxisse aliquid & fuisse principium actu , quam potentia tantum , atque ita otiosum fuisse ; igitur ab aeterno produxit ex se personam unam , vel plures sibi aequales. Quae ratio plus habebit momenti si statuamus , quod est valde probabile non potuisse creaturam aliquam a Deo fieri ab aeterno.

Postrema ; quia multa creaturis impressa sunt vestigia Trinitatis , ut infra docebimus.)

(§. VIII.

Quaedam in contrarium argumenta solvuntur.

S. Thom. eodem n. 1. qu. 32.

ADversus superiorem doctrinam , quaedam objici solent. Primum ; quod creaturis omnibus , ut modo diximus , impressa sunt vestigia Trinitatis , immo & quibusdam impressa Trinitatis imago , quemadmodum postea dicetur : atqui ex vestigio tamquam sensibili affectu fere cognoscitur ac deprehenditur , & ex imagine agnoscitur ille , cujus est imago ;

licebit igitur & sacrosanctam Trinitatem simili demonstrationis modo cognoscere ex creaturis. Quam collectionem confirmare videtur Aug. lib. 6. *de Trinitate cap. 10.* dum ex eo, quod in creaturis apparet vestigium Trinitatis, docet, nos non Creatorem tantum, sed & Trinitatem per ea, quae facta sunt intelligere.

Secundum; Isaiæ ultimo Dominus naturali ratione probat se generare, & proinde Filium habere, dicens: *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? & si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero?*

Tertium; Naturali ratione scire possumus a Deo procedere cognitionem & amorem, quodque haec duo non sint aliud a Deo, sed unum & idem cum ejus essentia. Siquidem naturali ratione cognoscitur nullum esse accidens in Deo, sed quicquid in eo est, essentiam ejus esse: igitur processio Filii per modum conceptus, & Spiritus S. per modum amoris, naturaliter intelligi potest ac demonstrari. Et hujusmodi ratione docet S. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. *in corpore*, & *ad tertium*, processionem esse in divinis, eamque duplicem, ex qua sequitur Trinitas personarum.

Quartum; Summa Veritas est per se maxime cognoscibilis; atqui Deus trinus & unus est Summa Veritas; ergo est per se maxime cognoscibilis, & proinde in ejus cognitionem ratione naturali poterit perveniri.

Quintum; Profertur hujusmodi demonstratio: Mundus factus est summa potentia, ergo Pater est; summa sapientia, ergo Filius est; & summa bonitate, ergo Spiritus Sanctus est.

Sextum; Ricardus a Sancto Victore lib. 1. *de Trinit. cap. 4.* *Ad omnia*, inquit, *quae credere oportet non deest ratio non solum probabilis, sed necessaria.*

Septimum; In historia S. Caeciliae Tiburtinus Virgin gratias agit, quod cito unum esse Deum in tribus personis e per rationes aperte probasset.

Octavum; Glossa quaedam super illud Roman. 1. *Invisibilia Dei* &c. teste S. Thoma super eundem locum dicit, quod; *Per invisibilia Dei intelligitur persona Patris, & per sempiternam virtutem, persona Filii, & per divinitatem persona Spiritus Sancti.* Si-

Significat ergo Philosophos in cognitionem trium personarum ex visibilium contemplatione pervenisse.

Postremo probatur hoc ipsum de Philosophis ex Augustino, qui libro 10. *de Civitate cap. 23.* testatur, Porphyrium, & Plotinum Platonicos in divinis cognovisse Patrem, & Filium; quod quidem illi accepisse videntur ex libro sexto Platonis de *Republica*, ubi bono tamquam Patri Filium attribuit ei simillimum. Eodem loco Augustinus Spiritus Sancti quamdam notitiam iisdem Philosophis tribuere videtur. Sed & in commentario illius loci Ludovicus Vives inter alia commemorat Oraculum quoddam Serapidis, in quo expresse nominantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ac rursus August. lib. 7. *Confessionum cap. 9.* legisse se scribit in libris Platoniorum exordium illud Evangelii secundum Joannem, *In principio erat Verbum* &c. non quidem his verbis, sed hoc idem omnino multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & quae sequuntur. De quo exordio testatur idem Augustinus lib. 10. *de Civitate cap. 29.* dicere solitum quemdam Platicum, dignum illud esse quod aureis literis conscriptum per omnes Ecclesias in locis eminentissimis legendum proponeretur. Quin & Tractatu 2. in *Joannem* dicit, multos Philosophos id, quod est in principio Verbum vidisse, quod ceteri tantum credunt, & non vident.

Praeterea refert Suidas de Hermete Trismegisto, quod agnovit & scripserit Trinitatem in una Divinitate. Commemorat & Lactantius lib. 4. *divin. Institut. cap. 6.* testimonia quaedam de Filio Dei ex libris ejusdem Hermetis, & ex versibus Sibyllarum. Et cap. 9. Verbum Dei ne Philosophis quidem ignoratum fuisse, Zenonis Philosophi exemplo, confirmat.

(Sed ad haec ita respondemus. De primo quidem, cum vestigium & imago sint tantum similitudines rerum, non posse ex iis id demonstrari, cujus sunt similitudines. Nam similitudo declarat quidem, sed non probat; hoc est si res prius cognita fuerit aut credita, tum adjuncta similitudine, magis illustrabitur; at si prorsus sit ignota, non poterit in cognitionem nostram res ea cadere per similitudinem; velut si quis nun-

nunquam viderit regem vel leonem, neque quicquam de iis legerit, vel audierit, is, leonem ex solo vestigio aut regem ex sola imagine cognoscere numquam poterit; neque omnino sciet haec ipsa esse aliquarum rerum similitudines. Ad eundem modum qui Trinitatem prorsus ignorat, in ejus cognitionem ex creaturis tamquam signis duci non poterit: sed si jam ante, fide Trinitatis imbutus fuerit, ejus imaginem & vestigia quaedam in rebus deprehendet, per quae fides praeconcepta firmetur atque augeatur.

Ad secundum, loquitur apud Prophetam Dominus de generatione filiorum per adoptionem, & de multiplicatione filiorum Ecclesiae. Nec firma est de generatione naturali, quamvis interdum a Patribus ad eam accommodetur; quia posito per impossibile, quod Deus non habeat Filium, adhuc per Omnipotentiam suam poterit res producere & rebus dare foecunditatem. Mirum est autem in hoc argumento solvendo laborare Antisiodorenses, cum non aliud, quam congruentiam quamdam, de qua superiori capite, concludere ex eo liceat.

Tertium argumentum non aliud probat, quam eandem essentiam cognitionis & amoris divini cum ipso Deo, quia demonstrari potest in Deo non esse accidens: sed non inde sequitur demonstrative Personarum distinctio. Nam & Filius cognoscit et amat, & Spiritus Sanctus; nec tamen Filii est filius, nec Spiritus Sancti filius, nec Spiritus Sanctus.

Ad quartum, summa Veritas per se quidem, & proinde ad supremum intellectum, idest, divinum, est maxime cognoscibilis: non autem in ordine ad intellectum creatum, praesertim humanum. Sed summae Veritatis, quoad unitatem Deitatis haberi potest a nobis cognitio ex creaturis: quoad Trinitatem vero, non nisi per revelationem.

Quod quinto loco propositum est, minime demonstrat; quia tria ista, Potentia, Sapientia, Bonitas, etsi quadam ratione approprientur singula singulis Personis, de qua re suo loco dicemus: revera tamen tribus Personis sunt communia, nec minus perfecte in una earum reperiuntur, quam in alia.

Ad sextum respondet S. Thomas *de Veritate* q. 14. artic. 9. *ad primum*. Sententiam Richardi intelligendam de omni cre-
di-

dibili, quod non est per se notum. De omni enim tali habetur ratio non solum probabilis, sed etiam necessaria, quamvis eam nostram praesentiam contingat latere, ut ibidem addit Richardus. *Unde, inquit S. Thomas, rationes credibilium sunt ignotae nobis, sed Deo notae & Beatis, qui de iis non fidem, sed visionem habent.* At verior responsio est, Richardum ita quidem sensisse, ut liquet ex sequentibus, & maxime libro tertio & deinceps, sed non sine errore. Conatur enim rationibus humanis demonstrare Personarum pluralitatem in Divinis, sed vere non demonstrat.

Ad septimum, probatio quam ad declarandum mysterium Trinitatis adhibuerat Sancta Caecilia, sumpta erat ex quodam ternario artis, memoriae, & intelligentiae, quae sunt in eodem animo hominis, nec ad aliud assumpta, quam, ut ea qualicumque similitudine persuaderetur non esse absurdum quod de Trinitate personarum in Deo tradit Religio Christiana.

Quod octavo loco objicitur, hodie non extat in Glossa, facile tamen cum S. Thoma respondetur, iis verbis non significari, quod Philosophi, ductu rationis potuerunt pervenire per ea, quae facta sunt, in cognitionem Personarum quantum ad propria, quae non significant habitudinem causae ad creaturas; sed secundum appropriata, quae revera sunt omnibus Personis communia.

Ad postremum respondetur: Philosophos in suis scriptis similiter quidem fortassis aliquando locutos fuisse, quomodo Scriptura Sacra loquitur, sed sensu longe diverso. Quod enim Christiana Fides praedicat tres distinctas personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum esse Deum, non plures, non magis in eorum cogitationem ex sola ratione naturali venire potuit, immo multo minus, quam mysterium Incarnationis Verbi Dei, ac Redemptionis generis humani, quod teste Apostolo 1. Cor. 2. *In cor hominis non ascendit, sed solo spiritu Dei revelatur.* Philosophi ergo illi per Filium Dei non personam a Patre distinctam, & de ejus substantia genitam intellexerunt, sed mentem, seu rationem operatricem, Deo inexistentem, atque ex Deo ortam, rerumque Opificem, quomo-

modo in homine , atque ejus anima inest ; & ab ea procedit ratio practica , velut principium operationum hominis , quae tamen non est suppositum quoddam consubstantiale ipsi animae ; neque generatione proprie dicta ab ea promanat ; sive rationem illam operatricem imaginati fuerint Deo esse accidentariam , quomodo hominis & animae intellectivae accidens est ratio practica : sive etiam eo assurgere valuerint , ut illam existimarent , non esse revera distinctam ab essentia Dei. Nec ob aliud tantopere laudatum ab illis est exordium Evangelii Joannis , quam quod per λέγου rationem hujusmodi significatam intelligerent , per quam a Deo omnia facta essent. Si quid autem de personarum in uno Deo pluralitate cognoverunt , non est dubitandum ad ejusmodi cognitionem , eos peculiari illustratione divinitus adjutos fuisse , quando nec quidem unius Dei exactam , & errore vacuam cognitionem , absque tali auxilio , consequi potuissent , ut supra ostensum est. Idem de Trimegisto , & Sibyllis dicendum , utpote qui magis prophetico spiritu , quam ingenio humano divina quaedam mysteria chartis mandasse videntur , nimirum similes Balaa-mo , quem licet Gentilem , & Idololatram , Spiritu tamen Divino quaedam de Christo prophetasse constat ex sacris Literis.

§ IX.

In quibus rebus , & quomodo vestigium Trinitatis
inveniatur ?

S. Thom. 1. p. q. 45. art. 7.

INter imaginem , & vestigium Trinitatis , ita distinguunt Theologi , ut per vestigium intelligant obscuram , ac per tenuem quamdam Trinitatis repraesentationem : per imaginem vero similitudinem ejus expressiorem , quae nimirum pertingat usque ad propriam quamdam rei significatae repraesentationem.

Reperitur vestigium Trinitatis in omni prorsus creatura:
Estis Theol. Tom. I. I Quod

Quod ita declaratur : In omni re insunt haec tria , Unitas , Species & Ordo. Est enim res unaquaeque una , secundum naturam suam certis limitibus comprehensam ; habet & Speciem , seu pulchritudinem , quam ei forma sua tribuit vel essentialis , vel accidentaria ; habet postremo Ordinem , seu aptam compositionem partium , vel qualitatum , vel affectionum suarum. Porro Unitas respondet Patri. Nam sicut unitas est principium numeri , & fundamentum Speciei , atque Ordinis : ita Pater in divinis principium reliquarum Personarum. Species respondet Filio ; quia sicut unaquaeque res cognoscitur per formam , seu speciem suam : ita Pater per Filium , quippe qui sit *Patris imago*. Col. 1. & *figura* , sive *charactèr substantiae ejus*. Heb. 1. Unde ipse dicit Joann. 14. *Si cognovissetis me , & Patrem meum utique cognovissetis*. Et iterum : *Qui videt me , videt & Patrem* : Ordo respondet Spiritui Sancto , cui tribuitur amor , bonitas & concordia , qua fit , ut plurium rerum & partium ejusdem rei decens inter ipsas ordo consistat. Agit de hac re Augustinus lib. 5. *de Trinitate*. cap. 9. , & libro primo *de Vera Relig.* cap. 7. 43. & 55.

Porro aliud Trinitatis vestigium nobis insinuatur in eo , quod Sapientiae 11. dicitur , Deum omnia in mensura , & numero , & pondere disposuisse. Quae tria quomodo in Deo sint , & in omnibus operibus Dei reperiantur , pulchre docet August. lib. 4. *de Gen. ad lit.* cap. 3. 4. & 5. Aliud item vestigium in eo constitui potest , quod in omnibus rebus sint haec tria , *esse* , *posse* , & *operari*. Rursum aliud in eo , quod tres solum passiones sunt omnibus rebus communes , unum , verum , bonum.

Possunt & alia hujusmodi in rebus assignari Trinitatis vestigia , de quibus generatim , quemadmodum in creaturis inveniantur , multa disserit Augustinus in libris *de Trinitate* , videlicet a lib. 9. usque ad 15.

§. X.

Imago Trinitatis in quibus & quomodo reperiatur.

S. Thom. 1. part. q. 93. art. 5. & 8.

Imago Trinitatis, quam diximus esse propriam quamdam Trinitatis repraesentationem, non in omni creatura, sed in sola intellectuali reperitur, id est, in homine, & Angelo, quae res ab Augustino fuse declaratur pluribus locis a Magistro citatis, sed praecipue lib. 14. *de Trinit. cap. 7. & seq. Et lib. 15. cap. 20. & seq.* breviter autem a nobis explicari potest hoc modo.

Sunt in omni intellectuali creatura haec, memoria, intelligentia, voluntas. Ubi memoria secundum Augustinum lib. 14. *de Trinit. cap. 11.* non accipitur pro sola rerum praeteritarum recordatione, sed in genere significat actualem cogitationem, qua mens contemplando sibi praesto est. Igitur memoria cogitamus, intelligentia comprehendimus, voluntate amamus. Jam vero quemadmodum cogitatio reliquarum duarum actionum origo est: nam de re unaquaque prius cogitamus, quam eam, vel intelligentia comprehendamus, vel voluntate amemus: ita Pater origo est & principium Filii, & Spiritus Sancti: deinde sicut comprehensio praecedit amorem, prius enim rei naturam, ac modum comprehendimus, quam amore in eam feramur; ita Filius prior est Spiritui Sancto. Denique sicut ex cogitatione praevia & subsequente rei comprehensione, seu conceptu, qui quoddam verbum mentis est, oritur amor: ita ex Patre, qui primum principium est, & Filio, qui verbum Patris est, procedit Spiritus Sanctus, cui amor peculiari ratione tribuitur.

Rursum, quemadmodum haec tria facultatum, vel actionum genera sunt inter se distincta quidem, sed tamen in una mentis humanae, vel Angelicae natura conveniunt; ita trium in Deo personarum distinctio Naturae Divinae non dividit Unitatem. Hoc praeterea consideratione dignum est, quod hae tres facultates mutuo sese contineant, & reflexione, seu

recuperatione quadam se invicem ingrediantur per suas operationes. Siquidem cogitamus, seu meminimus nos intelligere & velle, sive amare; intelligimus nos meminisse & velle, & volumus meminisse & intelligere: sic enim & Pater in Filio est, & Spiritu Sancto; & Filius in Patre, & Spiritu Sancto; & Spiritus Sanctus in Patre, & Filio. Eandem rem declarat Augustinus lib. 9. *de Trinit. cap. 4.* ex his tribus: mente, notitia & amore; sed eadem videtur similitudo diversis verbis proposita: mentis enim est meminisse, id est, cogitare, unde & nomen accepisse videtur: notitia vero non aliud est, quam intelligentia: & amor motus est voluntatis in rem volitam. Similis declaratio est apud Augustinum lib. 13. *Confes. cap. 11.* ex his tribus mentis attributis, esse, nosse, velle; quam Trinitatis imaginem pluribus etiam verbis explicat lib. 11. *de Civit. Dei cap. 23.* & quinque sequent.

Ceterum facile quivis intelligit ejusmodi similitudines non per omnia congruere rei, cui accommodantur. Neque enim mens Angelica, vel humana est ipsa memoria, intelligentia, & amor, licet haec illi sint: sicut ibi unus idemque Deus est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: sed hic mens subjectum est, tria vero illa ejus accidentia. Nam quod Augustinus dicit lib. 9. *de Trinit. cap. 4.* haec tria in animo existere substantialiter, non tamquam in subjecto, ut color in corpore, quae verba recitat ex eo Magister litera o, non aliud vult, quam tria haec naturaliter, & per se competere omni naturae intelligenti; non autem, ut accidentia, quae, sine subjecti corruptione possunt omnino separari, atque abesse; quomodo color ad naturam corporis in genere considerati omnino non pertinet. Sunt igitur haec, quae diximus, & in quibus constituit August. Trinitatis imaginem, accidentia quaedam naturalia, ad mentem, seu animam relata, non autem cum ea res una, & eadem. Unde patet nec imaginem perfecte respondere Trinitati, cujus imago est, ac multo minus vestigium, immo prorsus nihil esse in rebus creatis ita simile tantae rei, quod non vicissim infinitis partibus ei dissimile existat, ut & Augustinus fatetur iis locis, quibus imagines quasdam ex rebus creatis Trinitati assignat.

Postremo loco notandum , tam imagines Dei , ac Trinitatis in homine & Angelo , seu bono , seu etiam malo , quam vestigium ejus in ceteris rebus , ita penitus esse impressas , ut absque rerum ipsarum interitu deleri , atque obliterari nunquam queant. Sed de imagine plura ad distinctionem 16. libri 2.

§. XI.

Trinitatis Mysterium ex ternarii numeri perfectione declaratur

S. Thom. 1. part. q. 32. art. 1. ad 1.

PRaeter ea , quae haecenus , ad insinuandum mentibus nostris aliquousque mysterium SS. Trinitatis dicta sunt , facit non parum ad ejusdem mysterii declarationem , quod omnibus saeculis apud omnes populos ternarius numerus magnam habuit venerationem ; utpote prae ceteris numeris , qui quidem numero sunt infiniti , peculiari ratione perfectus , atque sacratus semper habitus. Perfectus quidem ; quia in hoc numero primum omnia nominamus , cum duo , non omnia , sed ambo , vel utrumque dicantur , ut annotavit Philosophus lib. 1. *de Coelo cap. 1.* Deinde perfectam qualitatem significare volentes , hunc numerum apponimus , velut cum aliquem dicimus ter beatum , ter maximum. Quo sermonis schemate plus aliquid significatur , quam si dicas decies , aut centies beatum , maximum : sic nos Eucharistiae Sacramentum ter augustissimum appellamus. Sacratum vero , ac divinum semper habitum fuisse constat ; quia non tantum in Christianorum mysteriis , sed etiam in Gentilium sacris hoc numero caeremoniae definiri , ac perfici solent. Unde est & illud de ternario apud Poëtam : *Número Deus impari gaudet.* Nec alia causa est , cur incantationibus hunc numerum assidue adhibendum praescripserit Diabolus , ut satis docet Pharmaceutria Virgilii , quam quo ea , quae Deo debentur , sibi impendi cupiat , honoris divini aemulus. Quin & Pythagorici res omnes ternario numero comprehendi tradiderunt , & sine eo nihil fieri , nihil

hil conservari posse. Ob quas causas Aristoteles, *ubi supra*, affirmavit, tria omnia esse, & ter ipsum omni ex parte, atque in ipsam naturae legem retulit; quod hic numerus tamquam perfectus, & praecipuus apud omnes habeatur, eamque ob rem in eorum sacrificiis celebrandis adhibeatur.

Quocirca non immerito existimatur, ideo quodam occulto naturae instinctu, tantum honoris ab hominibus semper attributum fuisse numero ternario; quod is, velut character quidam increatae Trinitatis in animis hominum impressus haerere; quamvis ab illis quantae rei character, seu vestigium hoc esset, ignoraretur. Significat autem hic numerus eo ipso, quo in divinis locum habere agnoscitur, singularem, & super eminentem quamdam divinae Naturae praestantiam. Cum enim creatae naturae omnes sic suis terminis contineantur, ut una quaeque particularis natura in unica hypostasi existat, in pluribus autem existere nequeat; ea est excellentia, perfectioque Divinae, atque increatae Naturae, ut una ei hypostasis, in qua subsistat, non sufficiat, sed tres hypostases, seu personas necessario requirat, in quibus ita subsistat, ut ipsa natura sit tres illae Personae; cum ibi propter summam simplicitatem, non sit aliud natura, aliud suppositum, sicut in rebus creatis accidit, sed res una atque eadem.

Porro de ternarii numeri mysterio, & perfectione videre est August. lib. 2. *de Doct. Christ. cap. 16. de Serm. Domini in monte cap. 19. Et in expositione Psalmi 6.*

IN DISTINCTIONEM QUARTAM.

§. I.

De varietate Vocum, quibus utimur de Deo loquentes.

S. Thom. 1. part. q. 13. tota. Et q. 39. art. 3. 4. & 5.

PRIUSquam veniamus ad quaestionem de generatione Dei ex Deo quam tractat hac distinctione Magister, explicanda est varietas vocum, seu quae Deo, vel Divinis Personis tribuuntur.

buuntur, ut eorum vim ac proprietatem cognitam habentes sciamus, quomodo convenienter, & inoffense de tanto mysterio loquendum nobis sit; minusque in solvendis argumentis, quae contra hoc mysterium adferri solent, laboremus.

Igitur Nominum, quibus de Deo loquentes utimur, alia sunt absoluta, & essentialia; ea nimirum, quae Dei naturam nude significant absque personarum insinuatione, hujusmodi sunt, *Deus, divinitas, ens, sapiens, bonus, essentia, sapientia, bonitas*. Alia sunt relativa, sive personalia, id est, quae personarum inter se relationem aliquam significant, qualia sunt, *Pater, Filius, paternitas, filiatio*. Praeter haec sunt, quaedam notionalia, quae actus, ut vocant, notionales designant: vocantur autem actus notionales, quibus progressus unius personae ex altera secundum originem significatur; inde enim notificantur ipsae personae; hujusmodi vocabula sunt, *generatio, spiratio, gignere, gigni*.

Porro huic divisioni subjungenda est, & altera. Nominum, quibus de Deo loquentes utimur, alia sunt abstracta, ut *Deitas, paternitas, generatio, sapientia*. Alia concreta, ut *Deus, Pater, gignens, sapiens*: & horum alia, quae a Grammaticis substantiva dicuntur, ut *Deus pater*: Alia adjectiva, ut *gignens, sapiens*. Sed inter haec omnia unum est, quod peculiarem considerationem postulat, videlicet, hoc nomen *Deus*; habet enim quaedam cum aliis concretis communia, quaedam vero propria, praeter aliorum concretorum nominum consuetudinem. In primis autem significat hoc nomen Divinam naturam, & id, quod eam habet; quemadmodum hoc vocabulum, *homo*, significat humanam naturam, & id quod eam habet; proinde quemadmodum *homo*, modo sumitur pro certo aliquo singulari, in quo est humana natura, velut cum dicimus hominem ambulare, vel sedere; interdum vero pro hominis natura concretim quidem significata, sed absque respectu ad singularia supposita, velut cum dicimus, hominem esse animal divinum, ac praestantissimum; aut hominem esse potioris animalis speciem: sic & vocabulum, *Deus*, sumitur interdum pro eo, quod Naturam divinam habet, tamquam certa aliqua persona, vel suppositum,

ut

ut cum dicimus *Deum gignere*, *Deum nasci*, *Deum procedere*. Haec enim ita Deo competunt, ut ad certas personas referri debeant. Alias vero eandem Naturam concretim quidem designat non tamen habita ratione alicujus personae, velut cum dicimus, *unum esse Deum*, *eumque trinum*: haec enim certae alicui personae vere tribui non possunt. Denique sicut vocabulum *homo*, ita nonnumquam secundum totam speciem sumitur, ut tamen etiam ad singula referri possit, velut cum in genere dicimus, hominem esse animal mente praeditum, ad imaginem Dei formatum; haec enim & singulis hominibus perinde tribui possunt; sic & vocabulum, *Deus*, saepe numero Naturam Divinam concretim ita significat, ut tamen ejus attributum etiam ad singulas personas possit referri; ut cum dicimus, Deum esse rerum omnium auctorem, & conservatorem, sapientem, justum, misericordem.

Jam si quaeras, unde nobis liquere possit primo, an secundo, an tertio modo eorum, qui dicti sunt, Deus accipiatur. Respondeo id dijudicandum ex attributis, aliisque circumstantiis; quemadmodum exempla singulis modis adjuncta commonstrant. Ceterum nunc e diverso videndum quantum inter eadem duo vocabula, *Deus*, *homo*, sit discriminis ex eo proveniens; quod *homo*, more aliorum concretorum significet quidem unam naturam communem, sed multas particulares pro multitudine suppositorum: *Deus* autem naturam significet unam, atque individuum; quae etsi communis sit tribus Personis; non tamen pro numero personarum multiplicatur, sed secundum rem prorsus eadem est in singulis. Hinc enim fit, ut, *Deus* semper accipiatur pro eo, quod Naturam Divinam habet, absque certae alicujus personae restrictione, nisi ei addatur aliquid, per quod ad personam determinetur; quemadmodum docet S. Thomas 1. p. q. 39. art. 4. ad tertium rationem reddens, quare verum sit, *Deus generat*, nec tamen verum sit, *Deus non generat*, cum in Deo sit una persona generans. Siquidem in priori propositione vocabulum, *Deus*, per verbum adjunctum determinatur ad personam *Patris*: In posteriori autem nihil est, quo determinetur ad certam personam: ideoque ejus sensus est, absolute non competere Deo generationem: qui
sen-

sensus manifeste falsus est. Nec obstat negatio postposita nomini; nam hoc nomen, *Deus*, etiamsi tribus Personis commune sit, attamen ratione naturae significatae, quae est forma non multiplicabilis, potius singularis, quam indefinitam propositionem constituit; vocabulum autem *homo*, ob rationem contrariam, quia nimirum formam significat multiplicabilem, semper pro eo sumitur, quod naturam humanam habet cum respectu ad suppositum; nisi vox adjuncta certum suppositum respuat. Unde absolute verum est, homo non ambulat, quia cum id indefinite dicatur, sufficit in aliquo hominis supposito verum reperiri.

Et haec quidem ex parte de vocabulis Deo attributis. Nam de iisdem atque aliis, tam in genere, quam in particulari dicitur adhuc infra suis locis, ut *dist. 9. 22. 23. & alibi.*

§. II.

Quomodo concretis nominibus utendum sit in divinis.

S. Thom. 1. part. qu. 39. art. 3. 4. & 5.

PRaeter ea, quae de varietate vocum, quibus de Deo loquentes utimur, dicta sunt, peculiariter hoc loco de concretis nominibus, quae Deo tribuuntur, observandum est tale inter ea discrimen, quod substantiva si plurali numero dicantur, inducent non modo numerum personarum, sed etiam naturarum. Id, quod etiam in rebus creatis usu venit, ut cum dico, Petrus & Andreas sunt homines. Adjectiva vero tantum inducunt multitudinem personarum, non necessario naturarum; licet haec naturarum multitudo per accidens in creaturis consequatur. Ex quo discrimine ostenditur, hanc falsam esse; *Pater & Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Dii, tres Domini, tres Creatores*: nam voces istae cum sint substantivae, non tantum suppositorum, sed & naturarum multitudinem important plurali numero enuntiatae. Sed dicendum est, prout in Symbolo Athanasii tota confitetur Ecclesia, *Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt unus Deus, unus Dominus & similiter.*
Estii Theol. Tom. I. K unus

unus Creator. Vere autem dixeris, *Pater & Filius sunt duo spirantes; Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt tres creates, tres sancti, tres beatificantes*: hujusmodi enim vocibus tantummodo in personas; non etiam in naturam numerus invehitur. Utrum autem concedi possit *tres esse aeternos, increatos, immensos, omnipotentes*, quod pariter negare videtur in Symbolo Athanasii, expendetur circa distinctionem nonam. Illud certum & indubitatum haberi debet, has propositiones, *tres personae sunt Dii, aut sunt tres Dii*, nulla ratione concedendas esse; licet ab illis in Catholicum sensum detortis, nonnulli Catholici reperiantur non abhorrere: nam, ut in eodem Athanasii Symbolo palam Ecclesia profitetur; *sicut sigillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur. Ita tres Deos, aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur.*

Porro, quemadmodum recte dicimus, *tres personas esse unum Deum*, ita e converso dicere nihil prohibet, *unum Deum esse tres personas, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum*; quod praeter Augustini auctoritatem a Magistro adductam, doceri facile potest conversione dialectica, tamquam evidentissima argumentatione.

§. III.

Quod recte dicitur Deus Deum genuisse.

S. Thom. 1. part. qu. 39. art. 4. ad 3. 4. & 5.

AD quaestionem, quam hac distinctione sibi proponit Magister: *An Deus Deum genuerit, & an Deus ex Deo genitus sit*, sana & Catholica responsio cum Magistro est affirmativa. Sequitur enim ea evidenter ex his propositionibus certissima fide tenendis, *Pater genuit Filium, & Filius ex Patre genitus est*, cum hac subsumptione similiter ex fide certissima, *Pater est Deus, & Filius est Deus*. Atque hanc fidem professi sunt Patres tam Nicæni, quam Constantia. Concilii Filium Dei in Symbolo pronunciantes *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo*

vero. Probatur autem idipsum ex iis omnibus Scripturis, quae docent, *Patrem esse Deum, & Filium esse Deum*, atque hunc ex illo genitum. Sed peculiariter illum loquendi modum probant haec, ac similes Scripturae, quae nomen Dei, vel Domini geminant sic, ut necessario referri debeat ad aliam atque aliam personam, ut Ecclesiastici ultimo: *Invocavi Dominum Patrem Domini mei*. Perinde enim est ac si diceret, Deum Patrem Dei mei. Et Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo*. Nam & illud tale est, ac si dixisset, Deus Deo meo. Item, Gen. 19. *Pluit, Dominus a Domino*, idest, Deus a Deo. Nam in Hebraeo est nomen Dei tetragrammaton. Si ergo haec hujusmodi recte & sane dicuntur, fatendum est, similiter recte dici, quod *Deus genuit Deum*; quodque *ex Deo genitus est*. Unde & Augustinus passim in libris de Trinitate, & alii Patres sic loquuntur & loquendum docent. Qua ratione etiam a Prudentio dictum est *In Apoth. contra Patripassianos*, Deum Patrem esse fontem Dei, nempe Filii & Spiritus Sancti. Porro eadem prorsus ratione fatendum est Deum ex Deo procedere, quia & Filius dicit, *Ego ex Patre processi* Joan. 8., & Fides Catholica docet, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere. Similiter quoque fatendum, quod Deus Deum mittit, nempe Pater Filium, & uterque Spiritum Sanctum, & quod Deus a Deo mittitur, nempe Filius a Patre, & Spiritus Sanctus ab utroque, idque juxta auctoritatem Scripturae Sanctae, compluribus locis.

§. IV.

Responsio ad argumenta in contrarium.

S. Thom. 1. part. quaest. 39. artic. 4. argum. 4.

Contra propositiones jam dictas objicitur hujusmodi argumentum: Si Deus Deum genuit, ergo vel se Deum genuit; vel alium Deum, sicut de homine recte sequitur, genuit hominem, ergo se, vel alium hominem; & rursum: si Deus ex Deo genitus est; ergo vel ex se Deus

genitus est, vel ex alio Deo; quorum utrumque absurdissime dicitur. Illud quidem; quia natura non capit, & ratio prorsus aversatur, ut idem gignat seipsum, aut ex seipso gignatur, genitumve sit. Unde Augustinus libr. 1. de Trinitate cap. 1. *Qui putat, inquit, ejus esse potentiae Deum, ut seipsum ipse genuerit, eo plus errat, quod non solum Deus ita non est, sed nec spiritualis, nec corporalis creatura: nulla enim omnino res est, quae seipsam gignat, ut sit* Haec ille. Et merito: nam & contradictionem includit ea sententia, hanc nimirum, ut quidpiam sit, & non sit principium ejusdem. Alterum vero aequè absurdum, quia inde evidenter sequitur plures esse Deos.

Sed respondetur neutrum esse consequens. Ut enim haec propositio vera sit, Deus Deum genuit, sufficit distinctio personarum in eandem naturam concurrentium, & proinde non est simile, quod tamquam simile afferebatur de homine. Nam in rebus creatis plura supposita, plures habent naturas singulares, non autem in Deo. Quare licet diversitas, seu distinctio personarum in humana natura arguat alium, atque alium hominem, non tamen in Divina natura alium, atque alium Deum. Qui enim dicit alium Deum, non personam tantum, sed & naturam aliam, saltem numero distinctam significat, sicut qui dicit alium hominem. Multo minus sequitur, quod se Deum genuerit; cum hic etiam persona eadem significetur: sed ex dicto antecedente distincte inferendum erat hoc modo; ergo Deus genuit eum, qui est alia persona Divina a gignente. Unde & Augustinus cum in *Soliloquiis libro primo cap. 17.* dixisset de Patre & Filio: *Qui gignit & quem gignit, unum est, ex quo sequi videbatur, quod idem genuisset seipsum, retractat eam locutionem lib. 1. Retract. cap. 4.* dicitque dicendum fuisse: *unum sunt*, ut personarum pluralitas & distinctio significaretur, sicut aperte ipsa Veritas loquitur dicens: *Ego & Pater unum sumus.*

Alterum argumentum, quod ut & prius a Magistro adfertur, tale est: Si Deus Deum genuit; ergo, vel Deum genuit qui Pater est, vel Deum, qui Pater non est; si Deum, qui

qui Pater est ; ergo Pater genuit Patrem , idest , seipsum. Si vero Deum , qui Pater non est ; ergo est aliquis Deus , qui non est Deus , qui Pater.

Hujus argumentationis posterius membrum concedendum est. Genuit enim Deus Pater Deum Filium , qui Pater non est. Quod autem deinde subinfertur , aliquem esse Deum , qui non sit Deus Pater , quamvis improprius sit sermo , cum in Dei vocabulum proprie non cadat signum particulare , concedi tamen potest hoc sensu : Est aliqua persona , quae Deus est , & Pater non est ; quamquam simpliciter hic sermo vitandus est , quo dicitur , aliquem Deum non esse Patrem , vel sine signo , Deum non esse Patrem. Nam prior propositio ratione signi indicat Dei naturam esse formam multiplicabilem ; posterior , cum sit singularis , absolute removet a Deo Paternitatem , quod utrumque falsum & absurdum est.

§. V.

Quo sensu quidem dixerint Deum a se genitum.

S. Thom. ubi supr.

OCcasione superioris argumenti , quo concludi videbatur Deum ex seipso genitum esse , si Deus ex Deo genitus est , cum non sit , nisi unus Deus , ne forte cuiquam illa propositio , qua Deus dicitur a seipso genitus , non omnino falsa videatur , quod nonnulli veteres Scriptores sit locuti reperiantur , explicandum hic breviter , quid illi & quo sensu dixerint. Augustinus itaque citante Magistro in textu §. ultimo in Epistola ad Maxim. quae est 66. Pater , inquit , ita genuit de se alterum se , ut totus maneret in se. Lactantius lib. 1. Divinarum Instit. cap. 7. Deus ex seipso procreatus est. Et ex Seneca : Deus ipse se fecit. Et lib. 4. cap. 8. Hermetem Trimegistum allegat , dicentem ; Deum esse αυτοπάτορα ἢς αὐτομήτορα idest , ipsum sui Patrem & sui Matrem. Cujusmodi sententia etiam apud Senecam Philosophum reperitur.

Sic

Sic & ab Orpheo Poeta Deus *αὐτογενής*, quasi a seipso genitus dicitur. Et ab Aristotele in Politicis, *αὐτόφωτος*, idest, a seipso natus, seu naturam habens. Similia nomina Deo attributa leguntur in versibus Sibyllae recitatis a Lactantio lib. 1. cap. 7. Quale est & illud Oraculum vetus, a Justino martyre in Paraenetico prolatum: *Soli Chaldaei & Hebraei sapientiam nacti sunt, regem a seipso genitum caste colentes.* Praeterea Dion. Areopagita lib. de Divinis Nominibus, dicit, Deum a seipso esse. Sic enim Graecam vocem *αὐτογενής* superioribus similem interpretantur quidam, quasi ea significet, Deum sibi ipsi essentiae suae auctorem esse & principium. Nonnus etiam Graecus, idemque Christianus Poeta in quodam carmine, Filium & Spiritum Sanctum vocat *αὐτόγενον*, idest, per se, vel a seipso ortum. Epiphanius sub finem libri 2. contra Haereses, in haeresi Ariatorum Filium vocatum *αὐτόδεον* quasi per se & a se Deum. Atque eandem vocem substantivatam Maximus Dionysii Scholiastes Divinis personis tribuit. Huc denique accedit Richardi Victorini doctrina lib. 1. de Trinit. conantis ostendere substantiam primam, principalemque a semetipsa esse. Id enim docet ejus libri cap. 5. & multis sequentibus, & in ceteris ejusdem operis libris saepe repetit, tamquam rem confessam & certam. Item Anselmi in lib. de processione Spiritus Sancti cap. 4. ubi sic ait; *nulla persona a seipsa potest existere, nisi sola Patris.*

Verum explicandum, quo pacto haec omnia, aut recte dicta sint; aut, ut recte dicta, accipi possint. Nam Christianorum, & Catholicorum sententias aequum est benigne interpretari, quatenus commodum aliquem sensum verum admittant.

De sententiis vero Ethnicorum, siquid forte sonent a recta fide alienum, non est, cur multum laboremus, cum satis constet eos perfectam veri Dei notitiam non habuisse. Respondemus ergo, Augustinum figurate locutum esse, quomodo vulgo dici solet, intimus alicujus amicus esse alter ipse, quomodo, quem Ciceroni in eloquentia comparamus, alterum Ciceronem vocamus. Quibus locutionibus significa-

tur summa similitudo , seu convenientia duorum inter se. Ita Deus alterum se genuisse dicitur , quia Filium genuit sui simillimum , utpote ejusdem secum naturae. Hoc explicat ipse Augustinus alibi. Nam in Tractatu de Cantico novo cap. 7. dicit de Patre. *Ita genuit de se alterum , qualem se , ut totus maneret in se.* Quamquam etiam responderi potest cum Magistro , quod Deus Pater genuit alterum se , idest , genuit alterum , hoc est , quod ipse , nempe verus & unus Deus , licet non sit ipse , idest , Pater. Quod enim non sentiat Augustinus proprio sermone , Deum genuisse seipsum , manifestum est , ex verbis ejus , lib. 1. de Trinitate cap. 1. quae supra posuimus.

Lactantium vero plerique absurdi erroris accusant ; quod senserit vere & proprie Deum a seipso genitum , & factum esse. Satius tamen fuerit Christianum Scriptorem , etsi minus circumspecte , etiam alibi , de tanto Mystero locutum , a tanta opinionis absurditate vindicare : neque enim videtur Lactantius aliud voluisse , quam quod vocabula graeca , non modo ab Ethnicis , verum etiam a Christianis usurpata , Deoque , vel Divinis Personis attributa significant ; nempe Deum ita esse , ut essentiam suam a nullo alio habeat , sensu videlicet negativo potius , quam affirmativo , quantum ad illud , a seipso : Hoc enim eam vim habet , ut si dicas : non aliunde , seu non ab alio. Quod quidem de Deo simpliciter asseritur : de personis autem Filio & Spiritu Sancto , non simpliciter , sed cum hac declaratione , a nullo alio essentialiter , sive substantialiter distincto. Quod annotandum est propter Antotheanos Haereticos , qui supradictis Patrum sententiis abutuntur ad patrocinium sui erroris , quo docent Filium ita esse *αὐτόθεος* , ut essentiam divinam a nullo alio acceperit. Non est ergo idem , si proprie loquamur , Deus per se est , Deus a se est. Nam illud verissimum est , & vocibus illis Graecis ex *αὐτο* compositis proprie significatur ; hoc autem falsum , nisi improprietate aliqua & catachresi sermonis excusetur.

Similis expositio adhibenda est verbis Richardi , quibus , a semetipsa , dicit , esse essentiam Divinam. Unde & ejus Com-

mentator admonet satius fuisse , si sine praepositionibus *a*, *ab*, *ex*, sermonem hujusmodi enunciasset , ne videretur significare Deum sibi ipsi esse causam essendi : cum Dei nulla sit causa , nihilque omnino sit , quod seipsum efficere possit. Quocirca in hac materia , si proprie & inoffense loqui volumus , hae & hujusmodi propositiones , secundum regulam sanae fidei , potissimum declaratae in Symbolo S. Athanasii , retinendae sunt & usurpandae : *Pater a nullo est*; nec ab alio , nec a seipso , nec factus , nec genitus , nec procedens. Filius non a nullo est , nec a seipso , sed ab alio , scilicet a Patre , non factus , sed genitus : Spiritus Sanctus non a nullo est , nec a seipso , factus , nec genitus , sed procedens : Deus nec a seipso est , nec ab alio , vel factus , vel genitus , vel procedens. Neque tamen hae propositiones verae sunt : Deus non est genitus : Deus non est procedens : Contradicunt enim his veris : Deus est genitus : Deus est procedens , nimirum Deus ex Deo ; unde necesse est priores falsas esse. Eadem ratione fatendum videtur hanc esse falsam : Deus a nullo est : contradicit enim huic verae : Deus ab aliquo est. Sensus enim prioris est : Deus non est ab aliquo , ac proinde falsam videtur , ut istae : Deus non generat , Deus non generatur : hujusmodi enim propositiones falsas esse supra ostendimus ad hanc *dist. cap. 1.* Si vero illa : Deus a nullo est , sensum habeat affirmativum istum : Deus est ingenitus , vera erit ratione personae Patris. Erit & vera , si accipiatur hoc sensu : Deus a nullo alio est. Significat enim haec propositio , Deum non esse a quoquam , qui , vel quod sit alius , vel aliud , idest , diversus , vel diversum a Deo.

§. VI.

Recte personam de essentia praedicari , & contra ; cum solutione argumentorum.

S. Thom. 1. part. q. 39. artic. 6.

CUM in Divinis non sit realis differentia naturae ad personas , sed tantum personarum inter se , ut ex iis , quae infra suis locis dicenda sunt , aperte patebit ; consequens est , & personam unamquamque & omnes simul de essentia , & vicissim essentiam de personis , sive singulis , sive simul omnibus , enunciari vere posse , his modis : Pater est essentia divina , Filius est essentia divina ; &c. Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt essentia divina , & contra : essentia divina est Pater &c. Argumenta vero quae solent ab argutis in contrarium objici , in forma syllogismorum , velut ad incommodum ducentia ex talibus propositionibus concessis , solvi possunt ex iis , quae partim hac *distinctione* , partim *dist. 2.* dicta sunt de vario usu vocabulorum in Divinis.

Sunt autem syllogismi hujusmodi : Omnis essentia Divina est Pater , Filius est essentia Divina ; ergo Filius est Pater. Item , nulla essentia Divina genuit Filium , atqui Pater est essentia Divina ; ergo Pater non genuit Filium. Quorum syllogismorum propositiones majores ita probant : quia cum essentia divina sit una & individua , si quid de ea dicitur , aut removetur , id universaliter de ea dici aut removeri oportet. Sed dicendum illas propositiones , etsi universali signo affectas , non esse plane universales. Sicut enim vox illa , Deus , non omnino singularis est , propter personarum , quibus competit , pluralitatem : ita si huic voci , Divina essentia , adjungas signum universale , non statim efficias propositionem perfecte universalem , videlicet ob singularem naturae significatae unitatem. Quo fit ut vera sit propositio relata ad unam personam , & perinde se habet,

atque si signo careat. Quod si plenam universalitatem dictarum propositionum efficere voles, facere id poteris adjectione signi alicujus, quod pleniorē habeat vim distribuendi, nempe pro ipsis suppositis, ut si dicas: Omne quod est essentia Divina, est Pater; cujus sensus est: quidquid subsumi potest sub essentia Divina, est Pater. Item: Nihil quod est essentia Divina genuit, idest, nihil, de quo praedicatur essentia Divina, genuit. Quae propositiones sic ad plenum universales jam falsae deprehenduntur, additis nimirum subsumptionibus syllogismorum. Et possunt similia exempla vitiosa proferri de rebus creatis, ut Pater de Micalo Musico & Aristomene intelligibili, apud Philosophum lib. 1. *prio. Anali. cap. 25.*

IN DISTINCTIONEM QUINTAM.

§. I.

Utrum essentia Divina dicenda sit gignere vel gigni.

S. Thom. 1. part. 9. 39. art. 5. in corp. & ad 3. & 5.

EX supradictis oritur quaestio, num vere dicatur, quod in Divinis essentia genuit essentiam, aut essentia de essentia genita est, vel quod Pater essentiam genuit, aut essentia genuit Filium, atque omnino, *an essentiae competat gignere, vel gigni.* Sic enim videri potest ex eo, quia Deus non aliud est, quam Divina Essentia. Vere, autem dici, quod Deus Deum genuit, quodque Deus ex Deo genitus est, jam superiori distinctione, monstravimus. Huic quaestioni cum Magistro, tum hac distinctione, ubi eam prolixè tractat, tum distinct. 5. lib. 3. ubi eandem refricat, simul ex communi Theologorum sententia respondendum est, essentiam Divinam neque gignere, neque gigni, neque omnino ad intra producere neque procedere, sive essentiam cum essentia, sive cum persona conferas. Quamvis enim Deus & Divinitas eadem penitus res sit; atque adeo inter naturam &

& personas in Deo nulla fit realis distinctio, quae prohibeat quominus natura de personis dicatur & contra: nos tamen, humana loquendi consuetudine imbuti, pro varietate vocabulorum aliter apprehendimus rem significatam: dum audimus Deitatem, essentiam, bonitatem, vocibus nimirum abstractis; aliter, cum Deum, ens, bonum, vocibus concretis. Et haec quidem, scilicet natura & suppositum in creaturis, reipsa distincta sunt, unde & vocabulorum introducta est diversitas. In Divinis autem, ubi reipsa non differunt, retineri nihilominus debuit illa diversitas vocum, conceptibus nostris congruens. Cum igitur in creaturis actus sint suppositorum; essentia autem non agat, sed sit principium actus in supposito, & proinde actus non de essentia, sed de suppositis dicantur; simile quid etiam in Divinis usus loquendi observat. In quibus etsi realiter essentia non differat a supposito, differt tamen ratione, & quoad modum significandi, quia suppositum in Divinis est distinctum quid, essentia vero communis. *Et ideo*, inquit S. Thomas q. 1. art. 1. *super hanc distinctionem; in Divinis quaecumque praedicantur de supposito, non secundum modum, quo differt ab essentia, praedicantur etiam de essentia. Dicimus enim quod essentia creat & gubernat, & hujusmodi; sed actus qui dicitur de supposito secundum modum, quo differt ab essentia, non potest de essentia praedicari, & hujusmodi actus est generandi, qui praedicatur de supposito Patris, secundum quod distinctum est a supposito Filii. Unde non est concedendum, quod essentia generat, sed quod Pater generat virtute essentiae, seu naturae.* Sic ille. Praeterea probatur haec responsio ratione: Si enim essentia essentiam gigneret, tunc eadem res seipsam gigneret, eo quod sit una simplicissima in Deo essentia. Hujus autem, ut aliquid seipsum gignat, absurditatem ostendimus superiori distinctione. Aut certe neganda esset individua & simplicissima unitas essentiae Divinae, fatendumque esset, in Deo plures esse numero essentias, quod non minus est absurdum & Catholicae fidei contrarium. Neque tamen eadem sequentur incommoda, si dicatur Deum Deum genuisse; quia essentia rem pure significat; Deus autem

rem significat simul cum supposito, maxime si ei verbum notionale, idest, actum notionalem significans adjunctum fuerit: ideoque cum dicitur, Deum Deum genuisse, distinctio quidem aliqua realis significatur; at ea non naturarum est, sed suppositorum. Rursum si persona genuit essentiam, vel essentia personam, cum generatio necessario requirat distinctionem realem gignentis & geniti, consequens erit, personam realiter ab essentia distinctam esse, quod est omnino absurdum. Inde enim sequeretur, quod nec essentia de persona, nec persona de essentia vere dici posset, sicut ob eam causam, nec Pater dici potest de Filio, nec contra. Sequeretur etiam quaternitatem esse in Deo, idest, quatuor quaedam re distincta, scilicet tres personas, & ab iis diversam essentiam divinam. Sicut enim essentia diversa foret a Patre, si a Patre genita esset, sic & a Filio, si Filium genuisset, & a Spiritu Sancto, si ab ea Spiritus Sanctus processisset. Probat etiam Magister hoc modo: Deus est essentia, idest, per essentiam suam Divinam: Si ergo Deus genuit essentiam, sequitur Deum genuisse id, per quod est, & esse per id, quod genuit. Sic enim & Augustinus lib. 6. *de Trin. cap. 1. & lib. 7. cap. 1.* probat Patrem non esse sapientem sapientia, quam genuit; quia si ea sapiens est, ergo ea est. Habet ergo esse per id, quod genuit. Quod est absurdum. Denique pro hujus doctrinae declaratione, faciunt verba Augustini lib. 7. *de Trinitate cap. 6.* Sic enim ait: *Tres personas ejusdem essentiae, vel tres personas unam essentiam dicimus. Tres autem personas ex eadem essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona.* Sic Augustinus, satis declarans illam formam loquendi, qua dicitur personam esse ex essentia, significari quod persona sit ab essentia re distincta. Expressius autem haec doctrina definita habetur in Concilio Lateranense sub Innocentio III. de qua Concilii definitione paulo post plura.

§. II.

Responsio ad ea, quae ex Patribus objiciuntur.

S. Thom. 1. part. q. 39. art. 5.

Recenset Magister aliquot dicta Patrum, quae superiori doctrinae contrariari videntur velut ista: *Quod Deus de seipso id, quod ipse est, genuit. Quod: Filius est sapientia de sapientia, consilium de consilio, voluntas de voluntate, substantia de substantia, essentia de essentia. Quod: Divinitas Filii de natura Patris nata est. Quod: nihil nisi, quod natum est, habet Filius. Quod: natiuitas Dei provelta est ex natura Patris. Quod: genita natura in se gignentem habuit naturam, in forma naturae se gignentis manens, formam naturae corporalis accepit. Quod: ex innascibili Deo natiuitas unigenita in naturam unigenitam subsistit.* Quarum sententiarum prima est apud Augustinum libr. *de Fide & Symbolo cap. 3.* Secunda apud eundem libr. *7. de Trinitate cap. 20.* Tertia apud Fulgentium *de Fide ad Petrum cap. 2.* Quarta apud Hilarium libr. *4. de Trinitate.* Quinta apud eundem l. *5.* Sexta & septima apud eundem libr. *9.* His a Magistro recitatis & alia similia reperiuntur alibi. Quale est illud apud Athanasium in Symbolo; *Deus ex substantia Patris ante saecula genitus.* Qui modus loquendi satis frequens est apud Veteres. Hieronymus quoque *initio Commentarii sui in Matthaeum*, natiuitatem Filii Dei ex Patre vocat generationem Divinitatis. Et Augustinus praeter jam dicta *Sermone 63. de diversis cap. 12.* dicit: *quod Deus Pater est Pater Verbi & Sapientiae suae & Virtutis suae.* Idemque libr. *7. de Trin. cap. 2.* & libro *15. cap. 14.* affirmat, *quod: Filius est fons essendi de fonte essendi.* Quomodo & apud Prudentium legitur in *Apotheosi contra Patripassianos*, *quod; Pater est fons Deitatis.* Rursum Augustinus libr. *15. de Trinit. cap. 15. & 20.*, Verbum esse, dixit, Filium substantiae Patris. Unde & Ludovicus Vives *initio expositionis suae in orationem Dominicam*, ausus fuit dice-

cere Christum, Filium omnipotentis essentiae ac naturae Dei Patris. His adde, quod apud Dionysium *de Divinis nominibus* cap. 2. & Pachimerem ejus interpretem, & Eusebium lib. 1 *Histor. cap. 4.* dicuntur *Filius & Spiritus Sanctus essentiali*; quod vocabulum significare videtur ipsius essentiae productionem. Ob hujusmodi auctoritates Patrum vehementissime contendit Richardus a Sancto Victore lib. 6. *de Trinit. cap. 22. & 23.* simpliciter asserendum esse, quod *substantia genuit substantiam*, & eos qui hoc dicere non audent, acerbe & false reprehendit, tamquam id negantes, quod passim a Sanctis Patribus affirmatur.

Verum ob rationes supra positas, ac potissimum propter auctoritatem magni Concilii Lateranensis, in quo Magistri sententia fuit approbata *capite secundo, relato in decretales, titulo de Summa Trinitate, & Fide Catholica cap. Firmiter credimus*; potius Magistro, quam Richardo assentiendum est; atque ad objecta respondendum, quod in ejusmodi sententiis Patrum, non tam quid dixerint, quam quid significare voluerint, nobis sit considerandum. Cum enim saepenumero improprie ac figurate, interdum etiam dure loquantur, non omnia illorum dicta sunt ad praescriptam nobis regulam exigenda, sed quaedam commoda interpretatione mellienda; dum de mente eorum aliunde satis constet. Nec Richardi sententiam adjuvat, quod Patres multoties sic locuti inveniantur, quodque nemo legatur aperte damnasse ejusmodi locutionem. Dicimus enim Patres locutos esse improprie; atqui locutiones impropriae saepe valde sunt usitatae, nec tamen ob id proprietatis jure donandae, nec ad disciplinas, quae propriis uti volunt sententiis, recipiendae. Sic enim etiam frequentissime dicunt Patres; *Verbum Dei suscepisse hominem*, rarius autem *humanitatem*, cum tamen istud proprie dicatur, illud improprie: ideoque per hanc propriam locutionem exponendum. Quod si contenderemus, ideo proprie dici, quia frequens occurrit in libris veterum, Haeresim inde extrueremus Nestorianam, quae ponit personam humanam assumptam a persona Filii Dei. Siquidem homo personam proprie significat humanam. Sed de ea re *in lib. 3.* Ut

Ut igitur improprietatem supra dictarum sententiarum explicemus, atque ad proprium sermonem redigamus: Prima earum significat, quod Pater genuit Filium, qui est hoc ipsum, quod Pater, licet non idem ipse, qui Pater. Secunda, quod Filius, qui est sapientia, & essentia, & consilium, &c. sit de Patre, qui est sapientia, & essentia, &c. quodque sapientiam, & essentiam, ac cetera omnia Filius per generationem habeat a Patre. Tertia, quod Filius a Patre Divinitatem nascendo accepit. Quarta, quod Filius nihil habet, nisi quod a Patre nascendo accepit. Quinta, quod Filius natus ejusdem est naturae cum Patre, ex quo natus est. Sexta, quod genitus Filius habuit naturam gignentis, in qua manens suscepit naturam humanam. Postrema, quod ex Patre ingenito, Filius unigenitus in naturam, unica generatione communicatam subsistat. Idcirco autem confidentius hisce modis locuti sunt Patres, quia contra Arianos, cum quibus illis disputatio erat, inculcare voluerunt Filium esse Patri consubstantialem, eundemque ex Patre genitum, non a Patre factum, & proinde quicquid a Patre habet, habere per generationem.

Ex his jam satis intelligitur, quomodo & aliae similis formae locutiones in scriptis Patrum occurrentes, exponi debeant. Nam apud Hieron. generatio Divinitatis non aliud est, quam generatio secundum Divinitatem, quae opponitur generationi secundum humanitatem; utraque enim Christo competit. Augustinus autem Deum dixit esse Patrem virtutis, & sapientiae suae; quia est Pater Filii, qui est Virtus, & Sapientia Patris. Idem dixit, Verbum esse Filium substantiae Patris, quia est Filius Patris, secundum substantiam, quam ei Pater gignendo communicavit. Verum hujusmodi impropriae locutiones non sunt a Neotericis affectandae; maxime post improbationem Concilii Lateranensis.

Notandus tamen est ordo quidam inter abstracta, ut bene admonent S. Thomas & Scotus super hanc distinctionem: plus enim abstrahit essentia quam substantia, & plus substantia quam sapientia, virtus, bonitas, & hujusmodi. Unde
mi-

minus concedendum est essentiam generare, quam substantiam, & minus substantiam, quam sapientiam, &c. Omnia tamen haec improprie dicuntur, ideoque nullae tales locutiones sunt extendendae, *inquit S. Thomas*; sed ubi reperiuntur, pie interpretandae. Porro nihil absurdi est Filium, & Spiritum Sanctum dici essentiatos, sicut & Patrem essentiatorem, si essentiator ille intelligitur, qui dat essentiam, essentiatus autem, qui accipit; quae expositio videtur satis propria: non enim eadem sunt dare essentiam, & eam gignere. Nam proprie etiam in humanis filius gignitur, & essentia datur, seu communicatur. Quod vero ad phrasim attinet, quae est in Symbolo Athanasii, & frequenter apud veteres *Filium esse, seu genitum esse de, vel, ex substantia Patris*, recte docent S. Thomas, Bonaventura, Scotus, & alii *super hac distinct.* locutionem esse propriam, & omnino retinendam, qualis, & illa, quae in Symbolo sequitur: *Et homo est ex substantia matris in saeculo natus*. Non enim talis sermo significat substantiam generare, aut eum, qui generatur, substantiae Filium esse, sed patrem, seu matrem gignere filium ejusdem secum substantiae, atque naturae. Nam praepositio *de, vel ex,* (solent enim hae duae propositiones indifferenter in materia generationis usurpari, licet S. Thomas distinguat) proprie designat principium simul & consubstantialitatem. Hoc autem principium in proposito duplex est: alterum *quod*, ut Pater; alterum *quo*, ut essentia. Est igitur Filius de Patre, & de essentia Patris: de Patre, quidem, tamquam de principio generante: de essentia vero Patris, tamquam de principio generationis communicato. Unde etiam accedit hoc principium teste S. Thoma *q. 2. art. 1.* ad similitudinem materialis principii, si a materia removetur totum, quod est imperfectionis; & remaneat haec sola de conditionibus materiae, quod est permanens in re producta, quodque per eam res subsistat. Haec enim perfectio competit essentiae Divinae, respectu Filii a Patre geniti.

§. III.

Declaratio erroris Abbatis Joachim cum ejus
refutatione.

S. Thom. 1. part. 9. 39. art. 2. & 5.

DOCTRINAM Magistri supra positam usque adeo insecutus fuit, edito libello, quidam Abbas Joachim, ut illum Haeticum & insanum vocaret; propterea quod doceret Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse rem quamdam summam, quae tamen neque esset generans, neque genita, neque procedens. Unde dicebat, Magistrum non tam Trinitatem, quam quaternitatem ponere in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam, quasi quartam. Ipse vero contra docebat nullam esse rem, quae sit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; neque tres personas esse unam essentiam, vel substantiam, vel naturam, nisi unitate impropria, & quasi collectiva, & similitudinaria, quemadmodum multi homines dicuntur unus Populus, & multi fideles una Ecclesia. Utebatur autem, ad id probandum, his Scripturae testimoniis: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Actor. 4. *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est.* 1. Cor. 6. *Qui plantat, & qui rigat unum sunt.* 1. Cor. 3. *Multi unum corpus sumus in Christo.* Rom. 12. *Populus meus, & populus tuus unum sunt.* 3. Reg. 22. Potissimum vero urgebat illud Christi in Evangelio Joan. 17. pro electis Patrem orantis *ut sint unum, sicut & nos.* Et iterum: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Et iterum: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus, ut sint consummati in unum.* Postremo proferebat illud 1. Joan. 6. *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Et hi tres unum sunt.* Ex his igitur ostensum putabat, tres personas non aliter esse rem unam, quam quo-

modo cetera jam memorata unum esse dicuntur ; praesertim cum aliqua ex illis , in comparationem rei propositae ipsa Scriptura adhibuerit. Hunc errorem cum Libello ad ejus defensionem conscripto damnavit Synodus Lateranensis sub Innocentio III. cujus decretum habetur *extra de summa Trinitate* , & *Fide Catholica cap. Damnamus* , in quo idem error doctè refutatur , & Catholica veritas perspicue declaratur. Negat autem Synodus quaternitatem a Magistro constitui in Deo ; quia Divinae Personae non sunt ab essentia Divina distinctae , sed quaelibet illarum trium est res illa summa , quam dicimus essentiam Divinam. Quae tamen res non est generans , neque genita , neque procedens , sed est Pater generans , & Filius , qui generatur , & Spiritus Sanctus , qui procedit , ut distinctiones sint in Personis & unitas in natura.

Ceterum ad loca Scripturae , quibus Auctor ille nitebatur , non est difficile respondere , juxta ea quae respondet ipsa Synodus. Nam prima quinque probant quidem in Scripturis interdum plura dici unum improprie , scilicet consensu , sine , similitudine , collectione , sed non probant tres Personas Divinas eo tantum unitatis modo dici unam rem , atque substantiam : immo cum Deus non sit vocabulum collectivum , sicut Populus , Corpus , Ecclesia & similia , sed unius perfectissimae , ideoque simplicissimae naturae significativum , multo minus dici potest tres Personas Divinas esse unum Deum collectione , quam tres Personas humanas esse unum hominem ; quod tamen non nisi valde improprie diceretur , sicut & improprie plures dicuntur unus homo , propter consensum , finem , aut similitudinem. Ac contra potius , sicut tres humanae personae , quantumlibet inter se consentientes , & similes propriissime vocantur , tres homines : ita secundum dictam opinionem , propriissime dicendum esset , tres Divinas Personas esse tres Deos. Quod est a Christiana Fide alienissimum.

Ad eam comparationem , quae ex verbis Christi profertur , hanc indicat responsionem Synodus Lateranensis. Quando a Divinis ad humanas res declarandas petuntur similitudines , eas accipiendas esse pro modo , & conditione

rerum , quae hinc inde inter se comparantur : nimirum accipiendo Divina , divino & perfecto modo ; humana , humano modo & imperfecto , v. gr. dicit Dominus Matth. 5. *Estote perfecti , sicut & Pater vester caelestis perfectus est ;* cum tamen Deus per naturam perfectus sit , homo tantum per gratiam , & Dei perfectio omnem imperfectionem excludit , non ita perfectio hominis. Sic quoque dicit frequenter Dominus in Levitico : *Sancti estote , quoniam ego Sanctus sum.* Sic igitur & de unitate sentiendum : orat enim Christus , ut fideles unum sint unione charitatis , sicut ipse cum Patre unum est unitate naturae. Nam & eodem loco ait Dominus : *Et ego claritatem , seu gloriam , quam dedisti mihi , dedi eis :* cum inter gloriam filii naturalis , & gloria adoptivi , maximam esse constet differentiam. Quemadmodum igitur non ejusdem rationis est claritas filii naturalis & adoptivi , ita nec ejusdem rationis unitas fidelium inter se , & Filii cum Patre ; sed utraque suo modo sunt intelligenda , sitque in illis comparatio unius cum altero dumtaxat , secundum analogiam quamdam qua magnis componere parva solemus , & perfectis imperfecta ; quod maxime locum habere necesse est , ubi Divinis comparantur humana ; quia , ut in eodem Synodi decreto dicitur ; *inter Creatorem , & creaturam non potest tanta similitudo notari , quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.*

Ad postremum eadem valet responsio : sicut enim in priori sententia naturae unitas , ita in posteriori unitas , seu consensus testimonii significatur. Quamquam etiam responderi potest illud , secundo loco , positum : *Et hi tres unum sunt ,* non in omnibus , sed tantum , ut ibidem Synodus loquitur , in quibusdam codicibus inveniri : nam & in Graecis quibusdam omnino non legitur ; in quibus autem legitur , adjectam habet propositionem , hoc modo : *Et tres ad unum sunt.* Qua lectione satis datur intelligi , aliter haec tria , aliter tria superiora unum esse hac testimonii ratione , quia unius rei perhibent testimonium : hoc enim significatur cum dicitur : *ad unum sunt* , idest , ad unum & idem significandum conveniunt : illa vero unum natura & substantia , de quibus proinde propriissime dicitur : *Et hi tres unum sunt.*

IN DISTINCTIONEM SEXTAM.

§. I.

Utrum voluntate an necessitate Pater Filium genuerit.

S. Thom. 1. part. q. 41. art. 2.

Quaerebant olim ex Catholicis Haeretici Eunomiani ad evertendum humana subtilitate mysterium naturalis Filii Dei ex Patre generationis: *utrum voluntate Pater Filium genuisset, an necessitate*: utrique responsionis parti struentes insidias. Si enim *necessitate* diceretur Filium genuisse; consequens videbatur eum hoc egisse invitum, & proinde, miserum esse; quod impium est sentire. Si *voluntate*, mox Filium Dei non natura, sed consilio & voluntate Patris, esse Filium pro sua doctrina haeretica concludebant. Eunomius enim, quemadmodum refert Augustin. lib. 15. de Trinitate cap. 20. *Dei Filium non naturae dixit esse Filium, sed voluntatis Dei; quomodo de nobis adoptivis Dei Filiis dicit Jacobus Apostolus cap. 1. Voluntarie genuit nos Deus verbo veritatis.* Quaestionem aliis verbis ita proponebant: *Utrum volens, an nolens; & utrum voluntarie, an involuntarie Pater Filium genuerit.*

Sed priusquam respondeamus, verba quaestionis, ut primo loco proposita est, exponenda sunt; & declarandum, quot modis aliquid voluntate fieri dicatur; & quot modis necessitate. Voluntate quippiam fieri duobus modis intelligi potest. *Uno modo*, ut opponatur ei, quod est fieri naturaliter; quomodo voluntate fieri dicuntur, quae sunt in potestate facientis ut vel fiant, vel non fiant: cujusmodi sunt, quae libere fiunt, & plerumque deliberatione praevia. *Altero modo*, voluntate fieri dicuntur, quaecumque ab aliquo fiunt, voluntate ejus probante & consentiente. Quomodo dicimus hominem voluntarie vivere, pulchrum & sanum esse; licet ea voluntate sua non effecerit. Et quod ad rem

pro-

propositam proprius accedit, voluntate amare seipsum, suamque foelicitatem expetere, quamvis contrarium velle omnino non possit.

Duobus item modis aliquid necessitate fieri, vel esse dicitur: aut enim *necessitate extrinsecus illata*, & vim adferente, quomodo fiunt, ea, ad quae facienda metu tormentorum adiguntur homines; quomodo & in naturalibus recte dicimus, lapidem in altum projectum necessitate sursum impelli: atque hujusmodi vocatur partim coactiva, seu cogens & contristans, partim simpliciter violenta necessitas; estque contraria voluntario utriusque generis: aut *necessitate naturali*, eaque vel prorsus absoluta, qualis est in solo Deo, veluti qua necesse est Deum esse, eumque bonum, & sapientem esse: hac enim omnino impossibile est aliter se habere; vel absoluta tantum respectu potentiae creatae; eo quod potentia creata facere non possit, ut ea aliter se habeant: quomodo necessaria sunt, mundum esse, Angelos esse, coelum moveri, mortalia aliquando mori, ignem calidum esse, hisque similia: quae tamen, per omnipotentiam Dei, possunt aliter se habere. Hoc autem necessitatis genus repugnat quidem liberae voluntatis electioni, & deliberationem excludit: non tamen semper repugnat voluntati probanti, & consentienti; sed saepe cum ea concurrat. Deus enim necessario simul & voluntarie Deus est, & homo necessitate simul, & voluntate suam foelicitatem appetit, & Beati necessitate simul, ac voluntate Deum, quem vident, diligunt.

His ita explicatis, ad quaestionem responderi potest, *Patrem genuisse Filium voluntate simul, & necessitate*; voluntate quidem, non deliberante, sicut Eunomius docuit, quasi voluntas gignendi antecesserit nativitatem Filii Dei: quem sensum, velut impium, merito rejiciunt Augustinus, loco supradicto, & Hieronymus *super Ephes. i.* verbis in textu recitatis: sed voluntate approbante, quam & concomitantem vocant. Necessitate quoque genuit non violenta neque coactiva, (non enim violentia, aut coactio cadere potest in Deum Omnipotentem, & Beatissimum), sed naturali, qua quid ita est, aut fit, ut aliter se habere nequeat. Sicut enim
Deus

Deus non potest non esse , ita Deus Pater non potest non gignere Filium. Unde olim quaerentibus Haeticis : utrum Deus Filium volens genuerit , an nolens , & utrum voluntate , an necessitate , vicissim hanc opponebant Catholici quaestionem ; utrum Deus volens sit Deus , an nolens , utrum voluntate an necessitate : utriusque enim quaestionis dissolvendae eadem est ratio. Commemorat hoc , ex supracitato Augustini loco , Magister , & Auctor Dialogi 65. *quaestionum* q. 7. *inter Opera Augustini*. Quod autem idem Auctor ad quaestionem respondet , nec voluntate , nec necessitate Patrem genuisse Filium , id de voluntate antecedente , seu eligente , deque necessitate coactiva intelligendum est , ut facile patet locum insipienti. Et sane quia ablativus ille , *voluntate* , magis insinuare videtur habitudinem principii activi , quam concomitantiam , seu complacentiam , ut voluntate fieri dicantur , quae procedunt a voluntate , tamquam actionis principio ; hinc convenientius negatur , quam asseritur Patrem genuisse Filium voluntate. Quocirca Cyrillus eandem tractans quaestionem lib. 2. *Dialogor. cum Hermia sub finem* , respondet , nec voluntate , nec praeter voluntatem Patris genitum Filium , quia non hoc elegit , ut gigneret : nec tamen gignit necessitate compulsus. Rectius vero (quemadmodum iidem Auctores indicant) dicitur Patrem gignere Filium naturaliter , seu naturae foecunditate , quam aut voluntate , aut necessitate , cum illud & proprie dicatur , & apertum habeat sensum : haec autem duo propter ambiguum intellectum sint obnoxia cavillis Haeticorum. Rectius quoque dixeris Deum volentem , quam voluntate gignere : quia sicut ablativus magis designat actionis principium , ita participium magis aptum est concomitantiæ significandae , ut cum dico ; Petrus stans loquitur. Juxta quem sensum accipienda sunt etiam haec Richardi Victorini verba lib. 6. *de Trinitate cap. 17. Ingenitum velle habere de se sibi conformem , atque condignum , idem mihi videtur , quod gignere Filium : & tamen genitum , quam ingenitum velle habere condilectum , idem videtur , quod producere Spiritum Sanctum*. Nam si proprie Richardus sua verba intelligat , respondebimus cum Scoto , aliud videri Augusti-

no. Illud vero quod Neotericus quidam scripsit : quod Pater Filium suum participem esse voluit Divinitatis , & regni sui aeterni cum Spiritu Sancto , non videtur justa reprehensione carere. Significat enim ille sermo , voluntatem Patris esse principium & causam participandae Divinitatis cum Filio , & Spiritu Sancto , quod alienum est a sententia Patrum Orthodoxorum.

§. II.

Quomodo Pater Filium consilio genuisse dicatur?

S. Thom. 1. part. q. 41. art. 2.

Nonnullam difficultatem habet , quod legitur in Formula Fidei , edita in Synodo Sardicensi , ad hunc modum : *Eos qui dicunt , quod neque consilio , neque voluntate Pater genuerit Filium , anathematizat Sancta & Catholica Ecclesia.* Quod exponens Hilarius in libro de Synodis , sic ait : *Nativitatis in eo , idest Filio , adeo perfecta natura , ut qui ex substantia Dei natus est : etiam ex consilio ejus , ac voluntate nascatur. Ex voluntate enim , atque consilio , non ex corporalis passionis naturae , essentiae Dei de essentia Dei genitae absoluta perfectio est.* Sic ille. Quod si consilio Patris natus est Filius ; igitur non tantum voluntate approbante , sed etiam eligente progenitus videtur. Consilium enim praecedit electionem , & electionis gratia suscipitur. Auget hanc difficultatem , quod Hilarius usus est praepositione , *ex* , dicendo quod *ex consilio , & ex voluntate Patris natus est Filius.* Quae enim fiunt voluntate consentiente , & concomitante , licet dici possint fieri voluntate , non tamen *ex voluntate* , ac multo minus *ex consilio*.

Sed respondemus sensum verborum Synodi subindicatum fuisse ab Hilario per id , quod addidit , *non ex corporalis passionis naturae.* Opposuit enim haec duo , gignere consilio , ac voluntate , seu quod Hilario idem est , *ex consilio , & voluntate* , & gignere passione naturae corporalis. Cum enim Filius sit Verbum Patris cogitanda est ejus generatio per modum

dam verbi, quod a mente procedit, quam consilii, & voluntatis nomine Synodus significavit, non per modum ejus rei, quae corporali affectione gignitur ex altera. Commendare igitur voluit Synodus nobilitatem generationis Divinae, utpote quae pure spiritualis sit, & ab omni concretionem corporali longe remotissima. Denique suam, ac Synodi sententiam satis aperit Hilarius in eodem libro, exponens anathematism. 24. & 25. Concilii Sirmiensis, ubi docet, nec naturali necessitate, quasi lege coactum, Patrem genuisse Filium, nec etiam tali voluntate, qua condidit creaturas, quas potuit non facere; sed natura simul, & voluntate; voluntatem intelligens coactioni oppositam. Non enim, inquit, coactus, vel naturali necessitate ductus, cum nollet genuit Filium; sed mox ut voluit sine tempore, & impassibiliter ex se Unigenitum demonstravit. Et paullo post: Ante tempora omnia Pater ex naturae suae essentia impassibiliter volens Filio dedit naturalis nativitatem essentiae. Haec ibi.

IN DISTINCTIONEM SEPTIMAM.

§. I.

Quid sit in Divinis generatio.

S. Thom. 1. p. q. 27. art. 2.

PRIUSquam quaestionem, quam de potentia, & voluntate gignendi tractat hac distinctione Magister, explicandam veniamus, praemittendum de generatione Divina, quid sit, & qua ratione Deo competat. Est quidem proprie generatio nihil aliud, quam communicatio essentiae per modum naturae; quod tum in Deo, tum in creaturis licet non omnibus reperitur. Homines enim, & bestiae, & plantae generant, Sol autem non generat hoc pacto, ut nec cetera inanimata. At peculiariter in Divinis generatio describi potest; quod sit unius Personae ab alia, per modum intellectus, cum perfecta naturae, similitudine processio. In qua descriptione,

ne, quod primo loco dicitur, *unius Personae ab alia*, ostendit hanc generationem, non accidentariam esse, qualis est in creaturis, qua verbum a mente procedit, aut calor ab igne, sed substantialem, qua nimirum res per se subsistens producitur: nec eam qualemcumque, sed personalem, quae in solis rebus intellectu praeditis invenitur, ut est hominis ex homine generatio. Illud vero, *per modum intellectus*, distinguit generationem filii Dei a processione Spiritus Sancti, qui a Patre, & Filio, non per modum intellectus, sed voluntatis procedit, ut infra declarabitur *dist. 10. & 13.* Denique postremum illud: *cum perfecta naturae similitudine*, non tantum excludit metaphoricam (qualis inter alias est, quae fit per adoptionem) & aliam quamlibet generaliori nomine dictam generationem, quae corruptioni in genere solet opponi; quaeque definitur: *mutatio a non esse ad esse*; sed praeterea denotat singularem perfectionem generationis Divinae, qua distinguatur a generatione rerum animatarum, ipsiusque hominis, quae in creaturis est perfectissima. Nam & hanc, in immensum perfectione superat generatio Divina; quod ita declaratur: Homo generat hominem ejusdem secum naturae, nec non secundum qualitates, plerumque similem, non ita tamen, quin diversa numero sit natura singularis in gignente, & genito, specie dumtaxat eadem. Sed & qualitates, licet multae similes existant; aliae tamen etiam multae nominari possunt dissimiles: & ut dantur omnes similes, nulla tamen penitus in utroque eadem numero reperiri poterit. In Divinis autem, hoc solo excepto, quod hic genuit, ille genitus est, tam natura, quam proprietates omnes, quae quidem a natura reipsa non sunt distinctae, prorsus eadem numero sunt in gignente, & genito; adeo ut perfectior inter gignentem, & genitum naturae similitudo, seu convenientia cogitari non possit. Itaque ad qualemcumque notitiam hujus perfectissimae generationis capiendam, debemus quidquid in generatione creaturae imperfectum est, cogitatione remove, quidquid autem perfectum, retinere. Perfecta sunt autem, quod utrumque tam gignens, quam genitum, res est per

se subsistens ; immo in hominibus utrumque persona , quod gignens genito suam essentiam cum proprietatibus communicet ; quodque vicissim genitum a gignente essentiam cum proprietatibus accipit ; quodque illi , secundum essentiam , & proprietates assimilatur. Imperfecta vero , quod generans est tempore prius genito , nec eandem numero naturam cum proprietatibus genito communicat ; quod genitum , primo infirmum & impotens , paulatim deinde suscipit incrementa ; quod naturam non eandem numero , sed specie tantummodo a gignente transfusam accipit , nec eandem numero proprietates , sed tantum specie : quin & saepenumero , secundum proprietates multum sit dissimile generanti ; quod ipsa generatio fiat ex materia ; quod fiat separatione partis , seu decisione seminis ; quod sit successiva , temporisque moram propter alterationes in materia praevias necessarium requirat ; quod procedat a non esse ad esse ; quod in ea inveniatur mutatio tam generantis , quam geniti , ipsiusque subjectae materiae ; denique , quod fiat ad extra , idest , ad id producendum , quod est a producente aliud , atque diversum. Quae omnia si cogitationem removentur a generatione (nihil enim horum ad propriam rationem generationis pertinet) poterit utcumque percipi mente , quae sit in Divinis generatio , & ejus quanta perfectio.

Jam ex dictis hoc etiam manifestum est , in Divinis non translatione aliqua a creaturis assumpta , sed proprie , immo omnium propriissime usurpari vocabula Patris , & Filii. Sequitur enim horum nominum proprietatem proprietatem generationis , quam in Divinis perfectissimam esse jam ostendimus.)

§. II.

An generatio in Divinis recte vocetur conceptio?

S. Thom. 1. part. q. 27. art. 2.

ID probatur ex Proverb. 8. *Nondum erant abyssi , & ego jam concepta eram.* Item , generatio est processio per modum

dum intellectus; talis autem processio vocatur conceptio mentis. Item, Filius Dei est Verbum; Verbum autem proprie concipi dicitur.

Contra, conceptio sonat imperfectum aliquid, scilicet receptionem materiae in utero, ut formetur in foetum. Respondetur imperfectum omne hic removendum esse, & sola retinenda perfecta. Et videndum, an conceptio in propria sua ratione includat aliquid imperfectum. Nam certe conceptio mentis non videtur quidquam imperfectum includere.

Maximus dicit *homil. 6. Natalis Domini*, quod *Christus de Deo Patre sine conceptione processit*. Respondetur: intelligit Maximus conceptionem Matris; sequitur enim: *Quod enim Deus est, solius est Patris Unigenitus, quod homo, solius Matris est filius.*

§. III.

An possit a nobis intelligi generatio Divina?

S. Thom. 1. p. 2. art. 2.

Generationem aeternam Filii Dei non posse a nobis intelligi Patres passim affirmare videntur. Dicit enim Hilarius lib. 1. *de Trinitate*: *Non putet homo, sua intelligentia generationis secretum posse consequi*. Qui & lib. 12. *circa med.* vult eo solo, quo aeterna est, generationem illam a nobis comprehendere non posse. Similiter Ambrosius lib. 1. *de Fide ad Gratianum cap. 5*. *Mihi, inquit, impossibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum &c.* quae recitat Magister dist. 9. §. H. Atque his consentanea scribit idem Ambrosius lib. 4. *in Lucam ad illud cap. 5. Duc in altum*. Idem affirmat Prudentius *in Apotheosi contra Unionitas*. Idem & alii Patres ad hoc fere utentes illo Prophetiae testimonio *Isai. 35. Generationem ejus quis enarrabit?* Hoc enim de aeterna Filii Dei generatione dictum accipiunt Alexander Episcopus Alexandrinus *in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, quae extat apud Scriptores Ecclesiasticae histor.* Augustinus *de Symbolo ad Ca-*

theumenos lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 3. Chrysostomus hom. 1. de incomprehensibili Dei Natura tom. 5. & apud eundem, Auctor operis imperfecti in Matth. homil. 1. Leo serm. 9. de Nativitate Domini. Et alii plerique. Huc etiam Ecclesia accommodat illud Apostoli Rom. 11. O altitudo divitiarum &c. Quod autem de generatione Filii dicunt, id, sine dubio, ad processionem Spiritus Sancti pertinere volunt.

Verum haec Patrum doctrina non de qualicumque cognitione, seu intelligentia Divinae generationis, sed de plena atque perfecta, quam comprehensionem vocant, est accipienda. Dicuntur enim haec a Patribus contra Arianos, qui volentes comprehendere modum generationis Divinae, nec contenti simplici intelligentia, secundam fidem Catholicam, varios proferebant modos generationis in creaturis, quibus ostendere se putabant, non posse Filium ex Patre sic gigni, ut ei consubstantialis esset simul & coaeternus; non advertentes fieri non posse, ut aliqua sit creatura, quae perfecte repraesentet id, quod est in Deo; ideoque opus esse, ut ad perfectiorem repraesentationem ex pluribus rebus adductae similitudines jungantur, ut quod uni deest, alia suppleat, quemadmodum docet Augustinus *serm. 38. de verbis Domini cap. 8. 9. & 10.* Unde ut ostendatur Dei Filius Patri consubstantialis, comparatur Filio hominis, ut coaeternus; comparatur splendori, ut perfecte similis; comparatur imagini in mundo speculo resultanti; ut immaterialiter genitus, comparatur verbo mentis; tametsi nec omnia ista simul sumpta, quantumvis in suo genere perfecta, perfecte valeant exprimere modum rei, cujus gratia assumuntur, ut ex supradictis satis liquet.

Neque vero his repugnat Hieronymus, qui scribens in cap. 3. Eccl. pronomen, *quis*, in Scripturis non pro impossibili, sed pro difficili semper (pro quo Magister dist. 9. habet saepissime) accipi dicit; prolato hoc eodem ex Isaia exemplo, *Generationem ejus quis enarrabit?* Siquidem idem Hieron. *initio Commentarii sui in Matth.* ex hac ipsa Prophetiae sententia, effatu impossibilem asserit generationem Divinitatis. Et constat alibi in Sacris Literis pronomine, *Quis*, impossibile signi-

gnificari, ut Psalm. 82. *Deus quis similis erit tibi?* Et Psalm. 88. *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* Et alia hujusmodi. Proinde dicendum videtur Hieronymum, qui, *semper*, pro eo, quod est plerumque, aut fere semper posuit, locutum fuisse de imperfecta enarratione generationis Divinae, aut certe de generatione Christi secundum carnem. (Neque absurdum videri debet, eum diversis locis de alia, atque alia generatione propheticam sententiam interpretari, cum in uno & eodem loco, nimirum in Commentario Isaiae 53. utraque illius sententiae expositionem adferat: *Aut enim*, inquit, *de Divinitate ejus accipiendum est, quod impossibile sit Divinae Nativitatis nosse mysteria; aut de Partu Virginis, quod difficulter possit exponi.*) Nam & Leo Pontifex *serm. 3. & 9. de Nativitate Domini* ad utramque Christi nativitatem, dictum Prophetiae refert. Et Augustinus *serm. 12. de Tempore* dicit, difficile esse judicare, de utra potius generatione dictum id accipi debeat. (Ac fortasse neutra expositio literalis est; sed tertia quaedam, qua nimirum referatur ad generationem filiorum Dei ex adoptione, idest, Ecclesiae Christi propagationem & multiplicationem, juxta id quod ibidem dicitur: *videbit semen longaevum, videbit & salvabitur*; ut sit sensus: semen ejus quis poterit enumerare? Sed nunc ad quaestionem a Magistro tractatam veniamus.)

(§. IV.

Utrum potentia & voluntas gignendi comperat etiam Filio?

S. Thom. 1. part. q. 41. art. 4. 5. & 6.

Olim Ariani probare volentes Patrem & Filium non potentia aequales, nec eandem utriusque esse voluntatem, Catholicis objiciebant hujusmodi argumentum: Pater potuit & voluit gignere Filium; Filius autem gignere Filium nec potuit, nec voluit; igitur potuit & voluit aliquid
Pa-

Pater, quod nec potuit, nec voluit Filius; ac proinde nec potentia sunt aequales, nec ejusdem per omnia voluntatis Pater & Filius. Quaerunt igitur Catholici, sit ne fatendum & dicendum, *etiam Filio inesse potentiam & voluntatem gignendi*: quod quibusdam videtur, ut omnimodam aequalitatem Patris, & Filii defendant.

Verum ut haec difficultas expediatur, vigilanter distinguendum est in Deo, inter potentiam, & potentiam gignendi, & rursum inter voluntatem, & voluntatem gignendi. Nam potentia & voluntas, si nihil aliud addatur; significant principia operandi atque efficiendi aliquid, illa quidem remotum, haec autem propinquum. Quando enim ad potentiam voluntas accedit, tunc demum opus efficitur. Actus igitur tam potentiae, quam voluntatis, est facere, seu operari aliquid. Id autem fit, vel ex praesistente materia, vel ex nihilo. Ex quibus intelligitur potentiam & voluntatem Dei referri ad creaturas, quae per utramque efficiuntur, non ad Personas Divinas, quarum nulla facta dici potest. Atque hoc est, quod Theologi tradunt, potentiam, & voluntatem Dei esse principia actionum Dei ad extra, idest, earum, quas Deus exercet in rebus, extra suam ipsius essentiam positis. Hanc potentiae propriam significationem prae oculis habuit Hilarius *in libro de Synodis*, ubi sedulo distinguit inter id, quod fit potestate seu virtute, & quod natura. Sic enim habet (*in declaratione quinti anathematis Episcoporum Orientalium*): *Omnis nativitas in naturam ex natura gignente consistit; Creatio autem sumit exordium de creantis potestate, potente scilicet Creatore ex nihilo condere creaturam.* Et paulo post: *Qui creat, efficit pro potestate quod condit, & est opus virtutis creatio, non naturae ex natura gignente nativitas*: Sic ille. Ex quibus patet, potentiam in Divinis proprie non dici respectu generationis, uti nec voluntatem, sed tantum respectu earum actionum, quae fiunt circa res a Deo diversas, creandas aut creatas. Quae operationes, cum sint toti Trinitati communes, facile jam fuerit intelligere: quomodo non obstante eo, quod potentia & voluntas gignendi non sit Filio cum Patre communis, eadem tamen omnino potentia sit, eadem-

eademque voluntas Patris & Filii, & quomodo quaecumque potest & vult Pater, eadem omnia possit & velit Filius; quod & de Spiritu Sancto similiter dicendum. Qua de re ex professo ad *distinctionem* 20. Ceterum si potentiae & voluntati addas gignendi vocabulum, ut fit in quaestione proposita, tum voces istae, potentia & voluntas, propria ac germana sua significatione alienatae, transferuntur ad significandum gignendi principium: quod quidem tribus personis non est commune, sed Patri proprium. Neque est attributum aliquod Divinae essentiae, sed principium actus notionalis. Jam itaque non sequitur: Patri competit potentia gignendi quae non Filio; igitur potest aliquid Pater, quod non Filius: & de voluntate similiter. Sumitur enim in antecedente determinatio alienans.

Sed objicies illud Augustini libr. 3. *contra Maximinum cap. 7. Ubi est Omnipotentia Dei Patris, si non aequalem Filium gignere potuit?* Respondeo August. improprie loqui. Nam omnipotentia proprie res factibiles respicit, ut supra declaratum est, & tribus Personis communis est. Augustinus autem eo nomine simul comprehendit potentiam quamdam Patri propriam, quae est gignendi potentia. Ad quod significandum non dixit simpliciter, *ubi est Omnipotentia Dei*, sed addidit, *Patris*. Pertinet autem ad potentiam Patris, ut Pater est, idest, ad potentiam gignendi, ut gignat alium sibi aequalem, secundum naturam.)

(§. V.

Collatio duarum opinionum circa potentiam generandi.

S. Thom. 1. part. quaest. 41. artic. 5.

IN explicanda superiori difficultate, variant nonnihil Doctores. Nam Magister hac distinctione, & post eum Sanctus Thomas *1. p. quaestio. 41. artic. 5.* Cui & Scotus subscribere videtur, docent, propriam quidem esse Patris gignendi potentiam, nec Filio competere; non tamen qua-

tenus est potentia, sed quatenus generandi, idest, non propter id, quod in recto significatur, sed quod in obliquo. Horum opinione potentia generandi principaliter significat, attributum Divinae Naturae, sed ex adjuncto relationem. Unde & statuunt potentiam generandi convenire Patri ratione divinae Naturae: licet ipse generandi actus ei conveniat ratione personae.

Confirmant hanc opinionem tribus potissimum argumentis, quorum hoc primum est: in rebus creatis potentia generandi competit supposito ratione naturae, ut homini ratione naturae humanae; igitur & in Divinis competit Patri generandi potentia, ratione Naturae Divinae.

Alterum. Genitum simile est gignenti in eo, cuius ratione fit generatio; atqui Filius non est similis Patri secundum proprietatem personalem, sed secundum naturam: Quod patet tam in Deo quam in homine; igitur generatio fit non ratione personae sed naturae.

Tertium ex auctoritate Hilarii & Joannis Damasceni, quorum ille libro 5. de Trinitate circa finem testatur, Deum ex Deo genitum potestate & virtute naturae: & infert: *Nativitas igitur Dei non potest non eam, ex qua proventa est, tenere naturam.* Damascenus autem lib. 1. *Orthod. cap. 8.* dicit generationem opus esse naturae.

Porro aliorum sententia, cujus auctores sunt S. Bonaventura & Durandus, gignendi potentiam tribuit Patri ratione proprietatis personalis, sic, ut potentia gignendi, etiam principaliter significet aliquid personale, non essenziale; Quo dato, consequitur non modo actum generandi, sed & ejus actus potentiam Patri, non ut Deus est, sed ut talis persona, competere. Probat haec sententia iisdem rationibus, quibus & altera oppugnatur, quarum haec prima est. Si potentia gignendi competit Patri ratione naturae, cum natura sit Filio communis; sequitur gignendi potentiam etiam Filio competere. Neque ad hoc argumentum satis idonea videtur responsio, si cum Magistro dicas, potentiam generandi, quae est in Patre eandem esse cum potentia nascendi, quae est in Filio; tum quia potentia generandi est a potentia

tia agendi, qualis non est potentia nascendi; tum quia absurdum est in eo, quod gignitur, praeintelligere aliquam potentiam, antequam existere cogitetur; cum per ipsam generationem simul cum natura accipiat omnem suam potentiam. Quae res ex analogia creaturarum facile potest intelligi.

Altera ratio: quaerenti quare Pater generet? non recte respondetur, quia Deus est. Ita enim oporteret & Filium generare, qui & ipse Deus est: ergo quaerenti cur possit Pater generare, similiter non recte respondetur, quia Deus est. Nam & hinc simili prorsus argumento sequeretur etiam Filium posse generare, cum & ipse sit Deus.

Tertia: gignere competit Patri ratione potentiae gignendi; ergo sicut gignere proprium est & personale, sic & gignendi potentia. Id enim quod pluribus est commune, non potest esse ratio praesertim adaequata ejus, quod est uni proprium, qualis ratio est gignendi potentiae cum voluntate conjuncta.

Hae rationes, ut improbabilem ostendunt sententiam priorem; ita posteriorem multum confirmant. Juxta quam etiam ut capite praecedenti declaratum est, longe facilius Haereticorum importunitati occurritur respondendo, potentiam & voluntatem gignendi in Deo non esse absolute potentiam, & voluntatem, sed tantum secundum quid.

Argumenta vero prioris opinionis solvi posunt hoc modo. Primum quidem; quia non est verum, si proprie loquamur, rebus creatis competere gignendi potentiam ratione naturae, seu essentiae, sed potius ratione cujusdam proprietatis naturalis, nimirum foecunditatis, qua natura non in ipsa creatione, sed post a Deo donata legitur, Genes. 1. Unde & natura in multis absque ejusmodi facultate consistit.

Ad secundum ita respondetur; ut constet inter gignentem & genitum similitudo non oportet fieri generationem ratione naturae, in qua similes sunt, sed sufficit, ut gignens in tali sit natura, qualem genito communicat, vel contra, talem naturam genito communicet, qualem ipse habet. Hoc autem est, etiam si generandi potentia competat Patri ratione proprietatis personalis. Alioquin isto argumento non

tantum potentia, sed & actus gignendi doceretur esse naturae, non personae.

Ad postremum: Hilarii verba quomodo sint accipienda, ex iis quae circa distinction. 5. dicta sunt, manifestum relinquitur; hoc interim addentes, Hilarium per virtutem & potestatem naturae, non aliud intelligere, quam foecunditatem naturalem, quam dicimus soli gignenti propriam. Significat enim id, quod omnibus in confesso est, Patrem producere Filium per modum naturae, idest, naturalis foecunditatis. Et eadem ad Damascenum est responsio. Unde nec dicunt hi Patres, quod Pater, & Filius producant Spiritum Sanctum virtute naturae, aut quod spiratio sit opus naturae; quod tamen eadem ratione dicere potuissent, si per naturam non aliud quam essentiam significare voluissent.

§. VI.

Contra eos, qui dicunt Filium potuisse gignere, sed noluisse.

S. Thom. ubi supra.

Quorumdam opinio fuit Filio in Divinis vere competere gignendi potentiam. Unde & fatebantur eum potuisse gignere alium Filium, sed noluisse; nitentes auctoritate S. Augustini, qui lib. 3. *contra Maximinum* c. 12. negans ideo Patrem potentiozem Filio, quia Pater genuit, Filius autem non genuit, hanc subjicit rationem: *neque enim, inquit, non potuit, sed non oportuit. Immoderata enim esset Divina generatio, &c.* Verum isti hac responsione nondum evadunt laqueos Arianorum. Licet enim fateantur Filium potuisse gignere, negant tamen hoc eum voluisse; atque ita illis manet adhuc consequens, si non potentia minorem, saltem voluntate diversum esse a Patre Filium, cum Pater gignere velit, Filius autem nolit. Deinde etiam per se absurdum est Filio tribuere gignendi potentiam absque voluntate & actu.

Primo, quia in Divinis atque aeternis eadem sunt posse
&

& esse : si ergo potest esse ex Filio generatio , sequitur eam esse.

Secundo , quia si ponamus potentiam illam nunc demum reduci ad actum , sequeretur personam genitam non esse gignenti coaeternam : quare nec Deus erit , & proinde nec ejusdem cum gignente naturae. Quod si ita est , non erit illa veri nominis generatio , sed cujusdam creaturae productio. Unde adhuc sequeretur Filium non esse Patri aequalem secundum potentiam , si Pater possit Deum ex se gignere , Filius autem non possit.

Tertio , quia potentia gignendi filios ac nepotes in hominibus partim est , ut perfectio , quae uni filio non communicatur , possit alii vel aliis communicari , & contra ; partim ut continua propagatione aliorum ex aliis possit natura perpetuari ; quorum neutrum in Divinis usum habet , nec habere potest. Unicus enim Dei Filius , & perfectissima est imago Patris , & est Patri coaeternus. Quare frustra poneretur in Filio similis potentia.

Quarto , quia si Filio tribuitur potentia gignendi absque voluntate & actu , licebit eandem tribuere & Spiritui Sancto : licebit & Patri tribuere potentiam gignendi plures Filios , & de spirandi potentia similiter. Quae omnia a Catholico sensu sunt penitus aliena.

Ceterum quid sibi velint Augustini verba recte exponit Magister. Tale est enim , ac si dixisset : *non quia non potuit , sed quia non oportuit* , idest , quod Filius alium Filium non genuerit , non accidit ex defectu potentiae ; hoc est , ex impotentia sive imbecillitate aliqua Filii , sed ex eo , quod non conveniat praestantiae Naturae Divinae , ut Filius ex Patre genitus , alium ex se Filium progeneret. Est igitur negatio illa , *non potuit* , in Augustini verbis non prorsus negative , sed privative accipienda , ut impotentiam & imbecillitatem significet ; quae omni modo tam a Filio , quam a Patre removenda est.

IN DISTINCTIONEM OCTAVAM.

§. I.

Quomodo soli Deo competat vere ac proprie *esse*.

S. Thom. 1. part. qu. 13. art. 11.

AD intelligendam Naturae Divinae excellentiam, confert in primis ea consideratio, qua cogitetur quemadmodum soli Deo competat vere ac proprie *esse*. Quamvis enim incomprehensibilis, & proinde ineffabilis sit Deus, ideoque proprio vocabulo, quod naturam ejus perfecte nobis declararet, enunciari non possit, juxta illud Prov. 30. *Quod nomen est ejus, & quod nomen Filii ejus, si nosti?* multoque sit facilius de Deo, quid non sit, quam quid sit dicere, teste Augustino super Psalm. 26. & 85. & Sermone 14. Paris. cap. 12. ut tamen ad invisibilia Dei conspicienda per ea, quae facta sunt, aliquatenus erigeremur, usa est Scriptura Sacra ad insinuandas nobis Dei proprietates multis metaphoris, aliisque impropriis locutionibus a creatura sumtis, interdum quoque vocibus quibusdam, quae ad declarandam excellentiam summae illius Naturae proprius accedunt. Inter quas velut principium elegit Augustinus, *Essentiae* nomen libr. 5. de Trinitate cap. 2. & lib. 7. capit. 4. & 5. Nam substantiae vocabulum ad Dei Naturam significandam minus aptum idcirco visum est eidem Augustino, quod a *substando* dictum innuat aliquid, quod vel accidentariis formis, vel generibus substet aut subjiciatur. Quare non omnino simplex, ac nudum rei esse significat, sicut *Essentiae* nomen. Nam & quod Graece dicitur *ουσια*, melius ac magis proprie cum Quintiliano libro 3. capit. 7. *essentiam* vertas, quam *substantiam*, cui apud Graecos proprie respondet *ουσια*, si utriusque vocis *ουσια* sequendum sit. Quae altera causa fuit, cur Augustino magis placuerit *essentiae* nomen, quod nimirum ei proprie respondeat nomen *ουσια* apud Graecos.

Porro

Porro, essendi proprietatem Deo vindicat Scriptura pluribus locis. Nam Exod. 3. Moysi Deus de suo nomine quaerenti respondit; *Ego sum qui sum*: Ac rursus: *Sic dices Filiis Israel: Qui est misit me ad vos.* Ubi quamquam in Hebraeo legatur verbum futuri temporis, recte tamen tam septuaginta Interpretes, quam Hieronymus redderunt tempus praesens. Est enim Hebraeis familiare futurum tempus, velut commune, pro aliis & maxime pro praesenti usurpare. Significantius autem id a Septuaginta redditum est, qui participio praesenti articulum praefixerunt *ὁ* quasi dicat, *ille Ens*. Atque ex hoc Scripturae loco probat Joannes Damascenus lib. 1. *Orthod. Fidei* cap. 12. omnium nominum, quae de Deo dicuntur, principalissimum hoc esse, quod jam diximus. Id ipsum Christus in Evangelio significavit, quando Judaeis Divinitatem suam volens insinuare, praesenti tempore ejusdem verbi usus est, cum de praeterito secundum nostrum intelligendi modum loqueretur, dicens: *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Joan. 8. Adde, quod Propheta Job semel & iterum soli Deo tribuit esse, ut cap. 14. *Nonne tu, qui solus es.* Et cap. 23. *Ipse enim solus est.* Quo etiam pertinet, quod omnia creata tamquam nihilum dicuntur comparatione Dei, ut Isaiae 40. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatae sunt ei.* Et Dan. 4. *Omnes habitatores terrae apud eum in nihilum reputati sunt.* Si enim omnia, praeter Deum, sunt quasi nihil, solus igitur Deus vere & proprie est. Quo circa recte Augustinus libr. *de Fide & Symbolo* capit. 4. allegatis Domini verbis ad Moysen, Exod. 3. concludit quod de solo Deo proprie dici potest hoc verbum, *Est*. Recte etiam Isidorus libr. 7. *Etymol. capit. 1.* & post eum Rabanus super illud Exodi: *Qui est misit me ad vos*, quorum verba titulo Hieronymi refert Magister, cum dixissent Deum solum vere *essentiae* nomen tenere, quia in ejus comparatione, qui *vere est*, quia incommutabilis est, quasi non sunt, quae mirabilia sunt, ita concludant: *Solus ergo Deus vere est; cujus essentiae comparatum nostrum esse non est.* Cujusmodi sententiae etiam alibi apud Patres obviae sunt. Patet

autem ex his non sic Deo soli tribui vere ac proprie esse quasi cetera non sint; sed quia Deo idipsum esse convenit excellentissimo modo, quo nulli convenit creaturarum, & que multipliciter.

Primo: quia ei convenit *semper esse*; quomodo non sunt, quaecumque aliquando non fuerunt, ut omnes creaturae, & multo magis quae aliquando peritura sunt.

Secundo: quia ei convenit *necessario esse*, quomodo absolute nihil est rerum creatarum. Unde Gregorius Nyssenus libr. 6. de *Philosophia* dicit, omnia praeter unum Deum esse contingentia. Sed tamen ea magis ab hac Dei perfectione recedunt, quae etiam secundum causas creatas contingentia sunt, ortui & occasui obnoxia.

Tertio: quia ei convenit *immutabiliter esse*, secundum quodcumque mutationis genus, ut infra ostendetur. Hoc autem nulli convenit creaturae, ne quidem beatificatae. Sunt enim omnes natura sua mutabiles, ac revera aliquo modo mutantur.

Quarto: quia ei convenit *ubique esse*. Nam & hic essendi modus, prout Deo competit, nulli competere potest creaturae.

Postremo: quia nec ullus quantumlibet imperfectus essendi modus, potest ulli creaturae competere, nisi Deo, qui perfectissimus est, dante & conservante: qua ratione *fons essendi* a Patribus vocatur.

Quare autem inter omnia, quae Deo tribuuntur, *essentiae* nomen maxime nobis demonstret excellentiam Deitatis, duae potissimum rationes sunt.

Prior: quia *esse* significat rem absque ulla determinatione vel temporis, vel loci, vel qualitatis, vel accidentis, vel alterius cujuscumque modi; & proinde maxime servit hoc vocabulum significandae naturae ejus, quod est aeternum, immensum, infinitum, simplex, immutabile, nullis accidentibus subiectum, nullis locorum spatiis comprehensum &c. Unde Joan. Damascen. lib. 1. cap. 12. rationem reddens hujus Divini nominis apud Moysen: *Totum enim*, inquit, *in seipso comprehendens, habet idipsum esse, velut quoddam pelagus substantiae infinitum & interminum*. Sic ille.

Posterior: quia *esse* actum significat, non potentiam.

Unde propriissime illi tribuitur, qui tantum est actu, & nullo modo potentia. Cujus quidem rei consideratio ad intelligendam praestantiam Naturae Divinae prae ceteris valet plurimum. Et quamvis alia attributa, ut sapientia, bonitas, justitia, & hujusmodi, actus & perfectiones significant, non tamen eo modo, quo *essentia*, quae actum significat, non ad certum genus contractum, ut illa, sed generaliter prorsus & simpliciter; ideoque magis valet ad naturam Dei indicandam, in qua omnes perfectiones aliis nominibus significatae revera unus actus sunt, unaque perfectio. Quod autem Dionysius in lib. *de divinis Nominibus cap. 1. & seq.*, boni appellationem docet peculiariter ex omnibus Deo competere, tamquam primam & perfectissimam, Joanne Damasceno etiam *ubi supra* attestante his verbis: *quemadmodum Sanctus Dionysius, ait: primum Dei nomen est bonum, non enim primum est dicendum de Deo esse, sed ipsum bonum.* Hoc, inquam, supradictis non adversatur. Loquitur enim ibi Sanctus Dionysius, & cum eo conformiter Damascenus de Deo, non quatenus est in seipso, sed qua ratione se diffundit etiam extra se, nimirum praebens se participandum aliis. Quod potissimum facit ratione bonitatis, quia bonum est sui diffusivum.

§. II.

Quod nomen Deo maxime proprium?

S. Thom. 1. part. q. 13. art. 9. & 11.

EX dictis responderi potest quaerenti, quod nomen inter ea, quae Deo tribuuntur in Scriptura Sacra, sit ei maxime proprium. Si enim ut jam dictum est, *essentiae* vocabulum ad indicandam Dei naturam convenientissimum est, sequitur illud nomen, quo *essentia*, vel *esse* significatur, Deo propriissimum esse. Sunt autem hujusmodi duo, inter ea decem quae a Sancto Hieronymo in *Epistola ad Marcel- lam* sunt enumerata & exposita, *sextum*, videlicet, & *nonum*.

num. *Sextum*, *Qui est*, Exod. 3. De quo diximus supra. Nomen יהוה quod a numero literarum τετραγράμματος & ex eo quod ob venerationem ab illius prolatione, extra solemnes caeremonias Judaei abstinere solent, ineffabile a Patribus tam Graecis, quam Latinis dictum est. Nam Judaei, quoties hoc nomen inter legendum occurrebat, consuetudine a majoribus accepta, loco ejus pronunciare soliti sunt אדני , quod *Dominum* sonat, & interdum אנכי , quod *Deum* vel *Deos* significat. Hoc & in sua versione Hieronymus imitatus est Exodi 3. in his verbis: *Ego Dominus qui apparui Abraham Isaac & Jacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis.* Est enim Hebraice loco Adonai, *Jehovah*, sicut & loco omnipotentis, *Saddai*. Quod apud Hieronymum in Epistola ad Marcellam decimo loco inter Dei nomina reponitur. Quamquam idem Hieronymus Exodi 15. *Jehovah* vertit *omnipotentem*, cum ait: *Omnipotens, nomen ejus*; Septuaginta vero utrobique, sicut & alibi verterunt κύριος , idest, *Dominus*. Hanc vocem, *Jehovah*, ab essendo deductam esse censent Hebraicae linguae periti, & quidem ab eo ipso vocabulo Hebraeo, cujus loco nos habemus Exod. 3. *Qui est*; ut revera haec duo, *Qui est*, & *Jehovah*, non sint apud Hebraeos diversa Dei nomina, sed unum & idem per derivationem paulo aliter expressam. Licet alii malint hoc posteriori nomine plus aliquid significari, quam priori; nempe eum, qui ita est, ut etiam esse faciat, idest, qui sit principium, ac velut fons essendi aliis rebus. Unde non immerito Deo ut maxime proprium tribuitur etiam hoc nomen. Quod & per Prophetam Isaiam significatum est, apud quem cap. 42. Deus sic loquitur: *Ego Dominus, hoc est nomen meum.* Est enim eo loco, sicut alibi passim, vocabulum *Jehovah*.

Sed de intellectu loci Exod. 7. restat scrupulus. Quaeritur enim, quomodo hoc nomine, *Jehovah*, non fuerit Deus notus Abrahae, Isaac, & Jacob; cum & nomen ipsum iis ore Dei editum fuerit, ut Gen. 15. cum ait: *Ego Dominus*; Hebraicae *Jehovah*, qui eduxit te de Ur Chaldaeorum; nec dubitandum sit, quin etiam hujus nominis significatum

tenuerint, scientes Deum esse tale Ens, quod sit fons omnis entis. Neque enim eorum probari potest responsio, qui dicunt priscis illis Patriarchis incognitum fuisse mysterium quoddam, in illo vocabulo latens, quod Moysi fuerit revelatum; idque duplex, nempe mysterium Trinitatis in Deo, & futurae humanitatis in Christo. Volunt enim tribus primis literis significatas esse tres Personas Divinas; quarta vero, quae eadem est cum secunda, significatam Incarnationem secundae Personae, idest, Filii Dei. Hanc quippe Personam propter geminam Naturam Divinam & humanam bis positam censent. Verum ne haec quidem mysteria latuerunt Sanctos Patriarchas, praesertim Abraham omnium credentium Patrem. Hic enim, quando ipsi apparuerunt tres Viri, Genes. 18. Unum in tribus adoravit, videlicet unum in tribus Personis Deum agnoscens (ut eum locum multi ex Patribus intellexerunt) prout etiam de illo canit Ecclesia: *Tres vidit & unum adoravit.* Sed neque mysterium Incarnationis Christi ignoravit, cui de Christo ex semine ejus nascituro non semel facta fuit promissio; & de quo ipse Christus, Joan. 8. ait: *Abraham exultavit ut videret diem meum, & vidit & gavisus est.* Proinde melius alii respondent, id quod ad Moysen dictum est, referendum, non ad significationem vocabulorum, sed ad declarationem rerum significatarum. Nam *Saddai* potentem, vel sufficientem significat; *Jehovah* autem eum, qui esse facit. Illud potestatem solam indicat, hoc potestati actum adjungit. Sensus igitur hic esse videtur: antiquis illis Patribus satis persuasum fuit, me esse omnipotentem, nec dubitarunt, quin quaecumque promitterem, praestare possem & vellem. Unde & fides rerum commendatur *Hebr. 11.* non tamen illis exhibui adeo manifesta atque illustria meae potentiae opera, cujusmodi per te jam sum exhibiturus. Quae enim Deus per Moysen exhibuit, omnium eorum, quae Vetus Scriptura continet, maxime sunt admiranda. Unde & in Psalmis a Davide, & ab aliis alibi saepe commemorantur.

Plura de Dei nomine maxime proprio videre est apud Sanctum Thomam 1. part. q. 13. art. 11. & apud Paulum

Burgensem super Exod. 3. fuse de hac re disserentem ; ubi & contendit nomen τετραγραμματος magis esse proprium Deo, quam nomen, *Qui est* : cujus rationes apud ipsum requirat studiosus.

§. III.

Quomodo praeteritum, & futurum Deo tribuantur.

S. Thom. 1. part. 2. q. 10. art. 2. ad 3.

CUM propriissime Deo tribuatur verbum, *est*, praesentis temporis, quo nimirum significatur aeterna, & immutabilis stabilitas, & stabilis aeternitas essentiae Divinae, in qua nihil est praeteritum, nihil futurum : consequens est verba praeteriti, & futuri temporis, aut non vere, aut minus proprie Deo tribui. Non vere, si cum emphasi intelligantur, idest, cum exclusione praesentis temporis ; quomodo a Poëta dictum est, *Fuimus Troes, fuit Ilium*. Et ab Apostolo Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebrae*. Item 1. Corinth. 6. *Et haec quidem fuistis*. Hoc modo interdum Sanctus Augustinus docet de Deo dici non posse, *fuit*, & *erit*, sed tantum, *est* ; quia & quod fuit, jam non est, & quod erit, nondum est, *ut lib. de Fide & Symbolo cap. 4. Et lib. 83. quaest. 9. 17.* Sic etiam intelligenda sunt verba a Magistro citata, quibus dicitur, quod *Deus tantum est, qui non novit fuisse, vel futurum esse*. Quae verba non esse Hieronymi, cui ea Magister adscribit, sed Isidori jam supra monuimus. Vere autem, sed minus proprie eadem verba Deo tribuuntur, sine praesentis temporis exclusione intellecta. Vere quidem, quia sic Scriptura loquitur : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Et Apoc. 1. *Qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Quod dictum est ad significandam sempiternitatem Dei, juxta id, quod ibidem vocatur α & ω , *primus & novissimus, principium, & finis* ; quasi quod nulli tempori desit, sed omnia tempora aeternitate sua complectatur. Item 4. capit. *S. S. S. Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui*

qui venturus est. Et iterum cap. 11. *Qui es, & qui eras, & qui venturus es: venturus autem, id est, futurus.* (Unde Augustinus Traët. 99. in Joann. super illud cap. 16. *Quaecumque audiet loquetur. Quamvis, inquit, Natura illa immutabilis, & ineffabilis non recipiat fuit & erit, sed tantum, est; tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas & mutabilitas, non mendaciter dicimus: & fuit & erit, & est; fuit in praeteritis saeculis; est in praesentibus; erit in futuris.* Fuit, quia numquam defuit: Erit, quia numquam deerit: Est, quia semper est. Proinde cum secundum volumina temporum, locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit, aut potest, aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuslibet temporis verba. Sic ille. Minus autem proprie, *fuit, & erit*, illi tribuuntur, ut ex iisdem Augustini verbis intelligi potest; quia praeteriti, & futuri temporis verba inventa sunt ad significandas rerum mutationes, quae tempore mesurantur, & cum tempore transeunt. In Deo autem nihil est mutationi obnoxium, nihil tempori subiectum; cui proinde solum praesentis temporis verbum aptissime & propriissime tribuitur, utpote maxime idoneum significandae aeternitati Divinae. Idque etiam declaratur ex congruentia, quam habet tempus praesens cum aeternitate; dicitur enim tempus praesens ratione praesentis momenti (quod vocamus instans) copulantis partem temporis praeteritam cum futura, quod quidem cum fit unicum, & indivisibile, totum simul existit: sic & aeternitas unica cum sit & indivisibilis, existit tota simul. Hoc tamen discrimine, quod instans temporis transeat, aeternitas autem permaneat, quod idcirco recte dixeris, *esse instans quoddam numquam transiens, sed semper manens*, quod vocant instans aeternitatis. Qua quidem ratione magis adhuc proprie verbum, *Est*, aeternitati significandae congruit, quam tempori praesenti: quia aeternitas semper est, praesens autem tempus non semper est, sed transit in praeteritum. Ad hanc rationem manifestum est respexisse Augustinum lib. 9. *Confession. cap. 10.* cum dixit: *Fuisse, & fore, ideo in sapientia Divina non esse, sed solum esse; quoniam aeterna est.*

Quod idem significavit Hieronymus in Epistola ad Damasum, cujus initium: *Quoniam vetusto &c.*

§. IV.

Incommutabilem esse Dei naturam.

S. Thom. 1. part. q. 9. art. 1.

EX eo quod supra monstratum est Deum propriissime esse se, consequitur incommutabilem esse Dei naturam, idest, nulli prorsus mutationi obnoxiam. Ubi enim mutatio est aliqua, non est ibi esse omni modo stabile & perfectum, sed modo esse, modo non esse, sive simpliciter, sive secundum quid.

Verum id nunc plenius tum ex Scriptura, tum ratione probandum est.

Manifestae Scripturae sunt, Malach. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Psalm. 101. *Mutabis eos, & mutabuntur; Tu autem idem ipse es.* Jacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quo etiam pertinet, quod ait Apostolus 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem:* quemadmodum id exponit Sanctus Augustinus lib. 1. *de Trinitate cap. 1. & lib. 3. contra Maximinum cap. 12. & Bernard. serm. 81. in Cantica.* Cujus interpretationis ratio est, quia ut dicit Augustinus, *Omnis mutatio, mors quaedam est;* & ut ait Bernardus, *Omnis mutatio quaedam mortis imitatio est: & omne, quod mutatur, quodammodo moritur. Corruptitur enim secundum formam, quam amittit; sicut & generatur secundum formam, quam acquirit.*

Porro ratione idem sic ostenditur. Quod res aliqua mutabilis sit, accidit vel ex majore potentia alterius, vel ex ipsius rei impotentia. Priore quidem modo dupliciter, si vel causa potentior eam corrumpere, vel omnino mutare possit, (quomodo sol movetur, non quod egeat motu, sed ob causam potentioorem, quae ei motum imprimit) vel causa conservans ei se subducat, & conservare desinat. Posteriore, si res ipsa nitatur ad consequendam

dam perfectionem, quam non habet, vel si quam habet, conservare nequeat. Cum ergo Deo nihil sit potentius, cumque nulla in eo sit imperfectio quam abjiciat; nulla ei desit perfectio, quam acquirat, consequens est nullam omnino mutationem ei posse accidere: creaturis autem omnibus accidere posse, cum nulla sit earum, quae non potentiori causae sit subjecta, & perfectionem amittere, vel acquirere possit. Accedit alia ratio. Si enim mutatur Deus, vel in melius mutatur, vel in deterius, quod utrumque, quoniam ejus perfectioni repugnat, absurdum est. Rursum alia: Si mutatur, vel acquirit aliquid, vel deperdit. Quidquid autem in Deo est, essentia ejus est; igitur aliquid incipit, vel desinit esse Divina essentia: quod similiter absurdum est. Item alia: Deus est purus actus, & nullo modo potentia; quidquid autem mutatur, est aliquo modo potentia; Deus ergo non mutatur. Item alia ex Aristotele: *Omne quod movetur, ab alio movetur*, donec tandem veniatur ad aliquod primum movens immobile. Hoc autem ipse Deus est: non ergo Deus movetur. Item alia. Quidquid mutatur, secundum aliquid manet, & secundum aliud transit; manet enim subjectum, forma transit: at in Deo non est aliud & aliud, cum sit simplicissimus: non potest ergo mutari.

Denique per singulas mutationis species potest res ista declarari. Non enim generatur, neque corrumpitur, qui per naturam aeternus est; non alteratur, cujus qualitas essentia ipsius est; non augetur, neque minuitur, qui incorporeus est; non mutatur loco, qui totus ubique est. Est autem haec per rationes naturales ostensio tam clara, & evidens, ut dicere non dabitaverit Augustinus libro ultimo contra *Faustum* cap. ult. *Omni humanae menti naturaliter insitum esse, si modo perversae opinionis pravitate non turbetur, Dei naturam omnino esse incommutabilem.*

§. V.

Voluntatem Dei immutabilem esse:

S. Thom. 1. part. q. 19. art. 7.

CUM in Deo non sit aliud essentia, seu natura, aliud voluntas, ut infra cum de simplicitate Dei agetur, plenius patebit. Satis jam liquet *immutabilem esse Dei voluntatem* ex eo: quia ut jam ostendimus immutabilis est Dei natura. Pertinet autem voluntatis mutatio ad eas mutationes, quae fiunt secundum affectiones animi, & contingit, dum quis aliquid idem modo vult, modo non vult, aut modo hoc vult, modo aliud. Non enim idem est mutare voluntatem, & velle aliquarum rerum mutationem; ut recte docet Sanctus Thomas *1. part. q. 19. artic. 7.* Potest enim non solum Deus, sed etiam aliquo modo homo, eadem voluntate permanente, velle ut nunc hoc fiat, deinde aliud priori contrarium. Sed tunc mutatur voluntas, quando quis incipit velle, quod prius non voluit, vel desinit velle, quod prius voluit. Quod quidem, ut eodem loco tradit Sanctus Thomas, accidere non potest, nisi praesupposita mutatione, vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiae ipsius voluntatis. Dupliciter enim contingit aliquem de novo aliquid velle, vel quia de novo quippiam ei incipit esse bonum, ut cibus esurienti, calor frigenti, quies fatigato; vel quia de novo cognoscit, seu opinatur aliquid sibi esse bonum, cum prius id ignoraret. Atque hoc posteriori modo proprie nominare solemus in homine voluntatis mutationem, non item priori; tametsi, nec ille sit sine mutatione voluntatis secundum actum alium, atque alium sibi succedentes. Neuter autem modus in Deo locum habere potest, eo quod tam substantia Dei, quam ejus scientia sit omnino immutabilis. Sed quaecumque Deus vult, cujusmodi sunt, quaecumque in tempore facit, licet diversissima sint, atque invicem contraria, vult ea omnia aeterna, atque immutabili voluntate.

Quod

Quod autem voluntatem suam Deus numquam mutet, his Scripturis docetur. Num. 23. *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est & non implebit?* 1. Reg. 15. *Triumphator in Israel non parset, & poenitudine non flebitur. Neque enim homo est, ut agat poenitentiam.* Psalm. 118. *Omnia, quaecumque voluit, fecit.* Psalm. 32. *Consilium Domini in aeternum manet, cogitationes cordis ejus in generationem, & generationem.* Isai. 46. *Consilium meum stabit; & omnis voluntas mea fiet.* 2. Corint. 1. *Quotquot sunt promissiones Dei, in illo est.* Ex quibus & similibus patet voluntatem, & consilium Dei numquam mutari.

(Unde & Augustinus lib. 22. *de Civit. cap. 2.* docet nullam Deo accedere novam voluntatem, quam non habuerit ab aeterno; sed quaecumque fiunt in tempore, eadem ex aeternitate in ejus immutabili praeparata esse voluntate, quae similiter cum ejus praescientia sempiterna est.)

§. VI.

Responsio ad quaedam in contrarium argumenta.

S. Thom. 1. part. q. 9. artic. 1.

Nunc ad ea respondendum, quae mutationem aliquam in Deo, vel ejus voluntate arguere videntur; quorum hoc primum sit. Catholica Fides agnoscit, & confitetur generationem Filii ex Patre, & processione Spiritus Sancti ex utroque. Sunt autem generatio, & processio mutationes quaedam. *Respondetur*, generationem, & processionem in Divinis non esse mutationes. Omni enim mutatione fit, ut quod non erat, esse incipiat; vel quod erat, esse desinat, aut simpliciter, aut secundum quid; atqui generatione, & processione Divina Filius, & Spiritus Sanctus non aliquando esse incaeperunt, sed ab aeterno esse acceperunt: Filius quidem a Patre, Spiritus Sanctus autem a Patre simul & Filio.

Se-

Secundum : Sap. 7. de Divina, & increata Sapiaentia, dictum est : *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia. Resp.* Sensus est, sapientiam Dei nusquam abesse, sed tam praesentia sui, quam cognitione cuncta penetrare, atque intime omnibus rebus adesse, multo magis, quam quodcumque mobile, & subtile corpus (cujusmodi maxime est aër) intra poros alterius corporis insinuare se possit. Hunc sensum indicat, quod sequitur : *Attingit autem ubique &c.* Et rursum initio proximi capitis : *Attingit ergo a fine usque ad finem &c.* Cui similis est sententia. Hebr. 4. *Vivus est enim sermo Dei & efficax, & penetrabilior, &c.*

(Tertium. Deo passim in Scripturis haec, & hujusmodi tribuuntur, ascendere, descendere, ambulare, venire, & appropinquare ad nos, atque a nobis recedere. Nam & in Symbolo Fidei confitemur, *Filium Dei, propter nostram salutem, descendisse de Coelis.* Hujusmodi autem vocabula motum localem significant. *Resp.* Haec omnia Deo tribui non proprie, sed figurate, nimirum, propter certos effectus, quos Deus operari incipit, aut desinit iis in locis, aut hominibus, ad quos accedere, vel a quibus recedere dicitur. Et interdum etiam propter motum localem alicujus rei, quae Deam repraesentat. Nam Genes. 3. dicitur Deum deambulasse in Paradiso ad auram post meridiem; quia in corporali specie deambulantis, se primis hominibus, postquam peccarunt, exhibuit. Item 1. Reg. 7. se dicit ambulasse in Tabernaculo, & per cuncta loca cum filiis Israel transivisse. Et Psal. 46. de eo dicitur : *Ascendit Deus in jubilo, propter Arcam testimonii, in qua praesentem se exhibebat Dominus per Oracula, & exauditionem precum, quae ibi fundebantur.* In eo autem, quod habetur Genes. 11. *Descendit Dominus, ut videret civitatem.* Et iterum : *Dixit Dominus, venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, &c.* Descendere dicitur Dominus: quia peculiare quoddam operaturus erat in terra, nempe linguarum confusionem. Quod autem Gen. 18. dicit Dominus ad Abraham de Sodomitis : *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, utroque modo intelligi potest.* Nam

&

& in specie corporali Dominus apparebat Abrahamae, & Sodomorum eversionem erat operaturus; tametsi ad solum priorem modum pertinet, quod dicitur in fine ejusdem capituli: *Abitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham.* Illud quoque, quod de Coelo descendisse Filius Dei in Symbolo dicitur, non sic accipiendum, quasi Coelo relicto terras petiverit, qui de sinu Patris numquam abscessit, & praesentia suae Divinitatis omnia implet. At neque propter opus Incarnationis id dictum est. Fuit enim illud opus totius Trinitati commune, nec tamen tota Trinitas, ut nec Pater, nec Spiritus Sanctus de Coelo descendisse, simili sensu dici possunt: sed de Filio peculiariter hoc dicitur; quia ipse in terris coepit esse homo, quod non fuerat in Coelo. Denique dicitur nobis appropinquare Deus *Jacob. 4.* per gratiae largitionem, sicut & a nobis recedere, *Oseae 9.*, quando gratiam subtrahit.

Quartum. Saepe Scriptura Deo tribuit affectus, & perturbationes humanis similes, veluti sunt irasci, dolere, misereri, desiderare, poenitere, &c. quae absque transmigratione ejus in quo sunt, inesse non possunt. Nam quod Deo insunt hujusmodi, significat illa Scriptura *Genes. 6.* quae dicit, *Deum fuisse tactum dolore cordis intrinsecus*: quibus adde: quod saepissime Deus in Scriptura dicitur recordari, & oblivisci, quae non sunt sine mutatione. *Resp.* Sicut humani corporis membra, sic & humani animi motus, & perturbationes figurate, & ut Hieronymus in Commentariis loquitur *αδροποπαδικως* adscribi Deo, ad significanda certa opera, qualia in hominibus per hujusmodi membra exerceri, vel ex hujusmodi affectibus procedere solent. Sicut enim Deo tribuitur manus propter operationem, oculus propter cognitionem, brachium propter fortitudinem, &c.; ita dicitur *irasci*, quando punit, flagellat, vindicat, aut quicquam tale minatur, quod solent homines irati; dicitur *misereri*, quando miseriam aufert, aut poenam remittit, aut beneficium tribuit, quod solent misericordes; dicitur *poenitere*, quando destruit opus, quod antea fecerat, quod solent ii, quos facti poenitet, & ita

de aliis. Nam hujusmodi perturbationes omnes Deo abesse, juxta illud Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, docent* Ambrosius lib. de Noë & Arca cap. 4. Prosper ad illud Psalm. 105. *Et poenituit eum secundum multitudinem misericordiae suae.* Gregorius lib. 20. Mor. cap. 23. *super illud Job 30. Mutatus es mihi in crudelem, qui locus lectu dignus est;* Et Haimo homil. 2. *post octavam Pentec.* simul explicantes, quemadmodum Scripturae, quae diversum sonant, sint intelligendae. *Recordari* vero & *oblivisci*, sicut non arguunt in Deo ignorantiam, ita nec mutationem. Dicitur enim utrumque de Deo propter effectus. Nam *recordari* dicitur hominum, dum afflictis impendit consolationis beneficium: peccatorum vero, dum eos punit: quod totum una sententia complexus est Tobias cap. 3. dicens: *Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.* Contra *oblivisci* dicitur hominum, dum eos sinit affligi, & opprimi; peccatorum vero, dum eos non punit.

Quintum. Universa Scriptura varias operationes tribuit Deo; primum creationem rerum, deinde conservationem, ac gubernationem, de qua ait in Evangelio Dominus, Joan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Huc pertinent quaecumque circa homines, Angelos bonos, & malos, & circa reliquas creaturas toto mundi decursu fiunt, & sine mutatione fieri non possunt. *Sed respondetur* omnem hujusmodi mutationem esse in rebus, non in Deo, qui haec omnia operatur; Auctor quidem omnis mutationis, ipse tamen immutabilis.

Verum adhuc instas, & quaeris: quomodo possit esse Deus modo operans, modo non operans, modo hoc agens, modo illud, absque sui mutatione. *Respondeo*: quia actio seu operatio Dei non est aliud, quam ejus voluntas, qua ab aeterno voluit aliquid fieri eo modo, loco, & tempore, aliisque circumstantiis, quibus ab aeterno id fieri decrevit. Proinde in rebus, quando fiunt, accidit mutatio: Deus autem, quia eas facit non novo consilio, neque nova actione, sed aeterna voluntate, aequae per se ad operan-

randum sufficiente, non mutatur. Quod etsi intelligere difficile sit, ut fatetur Augustinus lib. 1. *de Trin. cap. 1.* adeo tamen non est humanae rationi repugnans, ut etiam Philosophus certa ratione demonstrat lib. 8. *Physic.* Omnem motum tandem reduci debere ad causam aliquam primam, cetera moventem, ipsam immobilem. Nam & quiddam aliquosque simile contingit in creaturis. Sol enim unus & idem, atque eodem modo sese habens simul indurat lutum, & emollit ceram; aurum in terrae visceribus gignit, & argentum; serenat, & nubes excitat, nulla sui mutatione. Et si Sol staret, haec eadem ageret, sicut tempore Josue. Et ignis immotus indurat, emollit, calefacit, exsiccat, absque sui mutatione: Quamquam hoc discriminis est, quod Sol agat naturali necessitate, Deus libera voluntate; & ibi diversitas oriatur ex materia subjecta, hic autem ex sola voluntate Divina.

Sextum: Augustinus lib. 8. *de Gen. ad lit. cap. 20.* *Spiritus Creator*, inquit, *movet seipsum sine tempore & loco*: movetur ergo Deus saltem a seipso, & in seipso. Respondemus cum Sancto Thoma; Augustinum loqui secundum modum, quo Plato dicebat primum movens movere seipsum, videlicet motus nomine comprehendens omnem actionem; quomodo etiam intelligere, velle, amare, motus quidam dicuntur. Quatenus ergo intelligit & amat seipsum, movere seipsum, modo jam exposito, dicitur. Videtur tamen Augustinus non aliud velle, cum dicit *Spiritum Creatorem movere seipsum*, quam quia sic est movens respectu totius creaturae, ut ad movendum a nullo moveatur; sicut movetur a Deo spiritus creatus, ut subjectam sibi corpoream creaturam moveat. Nam ex professo docet ibidem Augustinus *usque ad finem libri*: Deum omnino esse immutabilem.

(Septimum: idem Augustinus lib. 5. *de Trinit. cap. 16.* Certe, inquit, *ut Dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo*: ergo hoc accidente mutatus est Deus. Respondeo sensum hunc esse: Deus non ab aeterno fuit Dominus hominis, sed tantum ex quo homo esse coepit, non quia in Deo

mutatio facta est, sed quia Deus mutationem fecit, creando hominem, qui prius non erat.

Octavum. Psalm. 17. dicitur Deo: *Cum Sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*; ergo cum hominibus Deus mutatur. Respondetur id intelligi de diversis operibus Dei, erga diversos homines. Nam erga bonos benignitatis, & clementiae, erga malos severitatis opera exercet, ipse semper idem in seipso manens.

Nonum. Quidquid exit de potentia in actum, mutatur; tale autem est Deus ab aeterno potens operari, & in tempore operans. Respondeo propositionem universaliter veram esse tantum de potentia passiva, non de activa, quae sola est in Deo. Actus enim, ad quem est potentia activa, non recipitur in agente ut tali; & licet id interdum fiat per accidens, numquam tamen fit, nec fieri potest in Deo.

Decimum. Deus eadem modo futura praescit, modo praesentia videt, modo praeterita recordatur; ergo non eodem modo semper se habet. Fuit hoc argumentum cujusdam Theophronii Eunomiani, ut est apud Nicephorum lib. 12. *histor. Eccles. cap. 30.* Respondetur, inde non sequi mutationem in Deo, sed in rebus. Deus enim una eademque notitia, quae est essentia ipsius, cognoscit rem aliquam, quae modo futura est, modo praesens, modo praeterita. Immo ab aeterno cognoscit ea eadem re, & futuri, & praesentis, & praeteriti rationem, absque ulla notitiae variatione, sed de hac re agatur ex professo *ad dist. 39.*

Undecimum. Lactantius lib. 2. *Divin. Institut. cap. 17.* *Quidam putant, inquit, ne irasci quidem Deum omnino, quod affectibus, qui sunt perturbationes animi, subjectus non sit; quae persuasio veritatem, atque religionem funditus tollit.* Et lib. *de Ira Dei* eam persuasionem ex professo oppugnat; ubi inter cetera *cap. 17.* (rejeclis Philosophorum definitionibus irae) hanc suam definitionem statuit. *Ira est motus animi ad coercenda peccata insurgentis; atque hujusmodi motum Deo inesse contendit. Quam sententiam cap. 16. etiam ad miserationis affectum, & similes extendit. Ac generaliter capit. 4. Quae igitur, inquit, in Deo potest esse beatitudo, si semper*
quie-

quietus, & immobilis torpet? Denique *cap. 22.* testatur, se eum librum scripsisse ad refellendum eos, qui Deum faciunt immobilem. Quare ex sententia Lactantii mobilis, seu mutabilis est Deus. *Respondetur* Lactantium proprie contra eos agere, qui sic iram a Deo removebant, ut dicerent eum non punire peccata. Quamquam fatemur Lactantium in eo libro, ut interdum alibi loqui parum Theologice, nec distinguere, nec satis perspicere, quomodo Deus sine motu animi irasci dicatur, ut & in eo graviter errat, quod *cap. 18.* Stoicos reprehendit, negantes aliquam Dei esse figuram.

Duodecimum. Christo multae acciderunt mutationes; ergo Deo. Nam quae Christo accidunt, accidunt Personae Divinae, quae est aeterna, & quae realiter eadem est cum Natura Divina, ut haec sit vera, Christus est essentia Divina. *Respondetur*, eas mutationes Christo accidisse tantum in assumpta, idest, in creata natura: non autem in natura Dei. Sic enim intelligendum, Deo nihil accidere, & Deum immutabilem esse, scilicet in Natura Divina. Nam in natura humana multas haud dubie mutationes subiit Deus. Unde non magis reformidanda est ista propositio, secundum naturam assumptam loquendo, *Deus mutatur*, quam *Deus patitur*, *moritur* &c.

Decimum tertium. Filius Dei mortalis factus, desiit esse immortalis juxta Cyprianum *lib. de Bono Patientiae*, dicentem de eo: *immortalitate posita fieri se mortalem patitur.* *Respondeo* sensum esse, quod desierit esse immortalis negative. Cum enim antea nullo modo, idest, secundum nullam naturam mortalis esset, quia tantum Deus erat, assumpta mortali natura, desiit eo modo esse immortalis. Verum id, absque mutatione Divinae naturae, quae nihilominus perfectam suam retinuit immortalitatem, atque omnimodam immutabilitatem.

Postremum. Gregor. *homil. 2. super Evangelia*, dicit: quod, *Divinitas defectum naturae carnis suscepit*; ergo ipsa Dei natura mutata est. *Responsio*, dicitur Divinitatem suscepisse carnis nostrae defectum, quomodo dicitur assumpsisse humanam naturam, sic nimirum ut illa susceptio, sive

assumptio terminata sit ad personam, non ad naturam. Unde & magis proprie dicendum est, quod Dei Filius, idemque Deus suscepit humanam naturam: quemadmodum docetur *distinct. 5. lib. 3.*

(§. VII.)

Solvuntur, quae contra immutabilem Dei voluntatem objiciuntur.

S. Thom. q. 19. art. 7.

AD ea quoque nunc respondendum, quae peculiariter ostendere videntur, Divinam voluntatem mutari posse. Sunt autem hujusmodi.

Primum ex Scripturis, in quibus saepe legimus, Deum mutasse voluntatem, ac sententiam suam circa homines, aut mutaturum esse, si illi peccarent, aut peccare desisterent. Nam 4. *Reg. 20.* per humilitatem, & preces Ezechiae mutata legitur Dei sententia, qua dictum illi fuerat; *Morie- ris & non vives.* Et Jonae 3. Ninivitae per poenitentiam impetrarunt revocationem sententiae, qua dictum erat: *Adhuc 40. dies & Ninive subvertetur.* Sic Dan. *cap. 4.* hortatur Regem Babylonis, ut sententiam Divinam contra se latam, per pia opera immutet. Quod & Hieronymus testatur in Commentario. Et 1. *Reg. 2.* Deus per Prophetam missum ad Heli Sacerdotem, aperte revocat verbum, quod locutus fuerat ad domum ejus paternam. Et 2. *Reg. 14.* dicitur Deum sententiam retractare. Cum igitur verbum, & sententia a voluntate procedat; consequens est mutari voluntatem Dei. Quo etiam pertinent Scripturae, quae Deo poenitentiam adscribunt, ut Gen. 6. *Poenituit Deum, quod hominem fecisset.* 1. *Reg. 15.* *Poenitet me, quod constituerim Saul Regem.* Jerem. 18. *Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam agam, & ego poenitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Et iterum: *Si fecerit malum in oculis meis ut non audiat vocem meam, poenitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei.* Quamvis enim su-
pra

pra ostensum sit, hanc poenitentiam non esse animi perturbationem in Deo, qualiscumque tamen sit, adferre secum videtur sententiae, ac voluntatis mutationem.

(Sed respondemus ad singula. Non habebat absoluta Dei voluntas, ut Ezechias Rex ex morbo, quo laborasse legitur moreretur, sed potius habeat, ut non moreretur, sicut ei postea per Isaiam revelatum fuit. Illud autem: *moriaris & non vives*, praedictio est ejus, quod futurum erat secundum causas naturales, nisi Deus impedivisset. Sensus enim est: morbus iste, quo laboras talis est, ut humanitus mortem non possis evadere. Quemadmodum contra praedictio Elisei, qua Regi Syriae aegrotanti jubebat dici, *sanaaberis*, 4. Reg. 8. vel ut in hebraeo est, *vivendo vives*, non significat, quid absolute futurum Deus decrevisset. Addit enim de absoluto decreto Propheta: *porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur*; sed quid futurum spectata conditione morbi, qui non erat lethalis. Mortuus est autem postea non vi morbi, quo laborabat extinctus, sed stragulo suffocatus ab Hazaele, ut Scriptura testatur. Similiter sententia Domini contra Ninivitas, non quid absolute futurum esset significabat, sed quid futurum, secundum causas praesentes, idest, secundum ipsorum merita, nisi poenitentiam egissent; quae vocatur sententia comminatoria. Nam absoluto decreto constituerat Deus ab aeterno parcere Ninivitas propter eorum poenitentiam, sicut & Ezechiae vitam prorogare propter ejus orationem.) Retractatio quoque, de qua mulier illa sapiens ad Davidem locuta est 2. Reg. 14. non absolutae, sed comminatoriae sententiae est. Danielis autem praedictio de Rege Babylonis absoluta fuit; siquidem, & praevisum a Deo fuerat, eum non acturum poenitentiam. Nec ideo Daniel eum hortatus fuit ad immutandam Dei sententiam, sed ad agendam poenitentiam, qua poenam denunciatam evaderet. Quod si fecisset, non jam ab aeterno contra eum Deus talem sententiam decrevisset. Aliam hujus solutionem, tametsi verbis obscurioribus, indicat Hieronymus in Commentario: fatetur enim sententiam Dei non posse mutari; & tamen dicit eam mutari per con-

versionem hominum. Per quod innuit, sententiam hanc contra Regem fuisse non absolutam, quam mutari posse negat, sed tantum comminatoriam; sicut illam contra Ninivitas, quorum etiam ibidem exemplum allegat. Sed prior responsio videtur verior.

Ad id, quod ex 1. Reg. 2. objicitur, respondet Liranius, promissiones divinas, seu collationes alicujus boni in futura tempora, intelligi sub conditione; scilicet si illi quibus fiunt, bene utantur beneficio sibi collato. Sed huic responsioni repugnat, quod promissio facta Aarone de perpetuitate Sacerdotii, fuit absoluta, sicut & aliae quaedam in Veteri Testamento, ut de Terra Promissionis, de Regno Davidis, &c. Proinde dicendum videtur, particularem quamdam promissionem forte factam fuisse majoribus Heli; quae tamen conditionata fuerit, & ob id non repugnaverit absolutae promissioni factae Phinees Sacerdoti de Sacerdotii ejus perpetuitate, licet ea quamdam in Heli ejusque majoribus, & nonnullis etiam posteris interruptionem passa fuerit. Cum autem dicit Deus: *Poenitet me*, &c. non mutat decretum, sed prius factum destruit, sine ulla sui ipsius, aut suae voluntatis mutatione. Sic enim, & humanum genus, quod fecerat, delevit propter peccata; & Saul a se Regem constitutum rejecit, propter ejus inobedientiam; & quotidie multa, quae prius fecerat opera, destruit. Nam utrumque ab aeterno decrevit, & facere opera, & eadem postea destruere, nulla consilii mutatione; quandoquidem & homines saepe id faciant.

Ad locum Jeremiae respondendum est; praedictionem intelligi non absolutam, sed secundum causas tunc praesentes, quando fit praedictio, id est, secundum merita hominum; quibus mutatis, non quidem mutatur Dei voluntas, sed quod ab aeterno aliud fuerit in Dei sapientia constitutum, declaratur. Et ita videtur Deum poenitentiam agere, & sententiam mutare, quia quod illo modo praedictum fuerat, non implet, ut bene explicat Sanctus Thomas ad secundum. Ubi tamen notandum, loco ejus, quod citat ex Gregorio: *Deus immutat sententiam, non tamen mutat consilium;*
sic

sic legi in Gregorio : *Et quia ipse immutabilis , id quod voluerit mutat , poenitere dicitur , quamvis rem mutet , consilium non mutet.* Quae verba difficultatem non habent , sed eam explicant ; uti & illa apud Augustinum lib. 1. *Confes.* 4. *Opera mutas , nec mutas consilium.*

(Praeterea objicitur , quod dicit Leo serm. 2. *de Nativitate Domini* : Deum circa hominem aliquam mutasse sententiam. *Sed respondetur* intelligi sententiam conditionalem , qua decretum erat , ut homo absque morte ad vitam beatam transiret , si non peccaret. Quae conditio quia ab homine non est servata , mutasse sententiam dicitur Deus ; ex eo quia non implevit , quod ita conditionate decrevit.)

Item objicitur ex Augustino , qui sermone 102. *de Tempore* sic ait : *Utinam tam cito peccator homo resurgat ad poenitentiam , quam cito Deus etiam definitam vult mutare sententiam.* Et probat per illud Jeremiae 29. *Et poenituit Dominum mali , quod locutus fuerat adversum eos.* Respond. Sermonem non esse Augustini : Jeremias autem loquitur de malo conditionaliter , sive secundum causas praesentes & merito praenunciato , ut modo diximus de simili loco ejusdem Prophetiae.

(Praeterea sic argumentantur. In Deo est liberum arbitrium ; ergo mutabilitas voluntatis. Consistit enim ratio liberi arbitrii in eo , ut flecti possit ad utrumlibet ; flecti autem est mutari. *Respondetur* , voluntatem Dei sine dubio potentiam habere ad utrumlibet , cum sit liberrima : non tamen proprie flecti dicitur , cum flexus importet motum ab uno ad aliud , sed velle & eligere unum prae alio , cum possit utrumlibet. Quidquid autem eligit , ab aeterno atque immutabiliter elegit. Quo fit ut voluntatem , consilium , electionem mutare non possit in aliud. Quae quidem mutationis possibilitas non est de ratione liberi arbitrii , sed magis ad ejus imperfectionem pertinet , sicut posse peccare.)

Postremum argumentum est tale. Quidquid habet potentiam ad opposita , est mutabile. Quod enim potest esse & non esse , mutabile est secundum substantiam ; & quod potest hoc in loco esse & non esse , mutabile est secundum lo-

cum , & ita de ceteris ; ergo quod potest velle , & non velle , ut Deus , mutabile est secundum voluntatem. Movet hoc argumentum S. Thom. *quarto loco* , sed non explicat. Dicendum est autem illud solum mutabile esse , quod habet potentiam ad opposita successive , sic ut aliud post aliud recipiat ; quomodo creaturis competit potentia ad opposita ; ut verbi gratia , modo sint , modo non sint , modo velint aliquid , modo non velint. Sed Deo competit potentia ad oppositorum electionem sine successione , quia ab aeterno , ubi non est temporum successio , liberrima voluntate elegit oppositorum alterum. Est igitur summa voluntatis in Deo libertas , sed nulla mutabilitas.

§. VIII.

Dei naturam esse perfecte simplicem.

S. Thom. 1. p. q. 3. tota.

QUONIAM incommutabilitati Divinae Naturae , necessario sequitur perfecta ejus simplicitas ; siquidem , ut Augustinus lib. 11. *de Civit. Dei cap. 10.* ideo Deus est bonum incommutabile , quia est bonum simplex : hinc de ejus simplicitate restat nunc , ut agamus. Est igitur Deus , ac Divina Natura omnino & perfectissime simplex , idest , omnis compositionis expers , quod quidem inductione per singula compositionis genera potest ostendi : nam simplicitas compositioni opponitur. Quare simplicissimum id esse oportet , a quo omnis compositio removetur.

Prima & notissima est compositio totius integri ex partibus integrantibus , seu quantitativis , ut loquuntur.

Secunda est compositio alicujus ex materia & forma , quae duae compositiones tantum earum sunt rerum , quae corporeae sunt ac materiales. Deus autem non est corpus , sed spiritus , Jo. 4. & 2. Cor. 3. Quod & rationibus optime probat Sanctus Thomas 1. *part. q. 3. art. 2.* Nam & creaturae non omnes corporeae sunt , sed quaedam quantitatis & ma-
te-

teriae expertes, & proinde simplices quoad utramque hanc compositionem, ut Angelus & anima rationalis. Quare crasso in errore versati sunt olim Antropomorphitae, qui ex Scripturis male intellectis, Deum corporeum esse, humanam effigiem gerere, & membris tamquam humani corporis constare putaverunt. De quibus videndi sunt Epiphanius & Augustinus tractantes de Haeresibus, & in *histor. Eccles.* Socrates lib. 6. cap. 7. & Sozomenus lib. 8. cap. 12. Sed eam Haeresim tamquam nimis absurdam & operosa discussione indignam, tacito consensu jam olim Ecclesia condemnavit.

(Tertia compositio est ex subiecto & accidente, cujuscumque generis sit illud accidens, sive quantum, sive quale, sive relativum. Haec quoque a Deo aliena est; arguit enim imperfectionem tam subiecti, quod ab accidente, velut accessoriam perfectionem mutuetur; quam ipsius accidentis, quod propterea semper imperfectum convincitur; quia esse ejus semper a subiecto dependet; atqui in Deo nihil est imperfectum. Cum ergo in Deo sapientiam, justitiam, bonitatem, & cetera his similia tribuimus; rem unam dicimus diversis nominibus; quia res una eademque simplicissima, quae est Dei essentia, omnem perfectionem in se complectitur. De qua re latius disserit August. lib. 6. de *Trinit.* cap. 6. & 7.

Quarta compositio est ex natura & supposito, quae & ipsa a Deo removenda est, in quo una eademque res est natura & persona, quae naturam habet. Quemadmodum definitum est in Concil. Lateran. sub Innoc. III. Quod sane nisi fateamur, quaternitatem in Deo agnoscere oporteret, videlicet tres personas & naturam ab iis diversam. Quod autem in creaturis natura sit a supposito distincta, satis ostenditur ex mysterio Incarnationis Filii Dei, quem secundum Fidem Catholicam credimus naturam assumpsisse humanam naturam, personam vero negamus. Et quia quod in humana natura factum est, fieri etiam potuit in Angelica, hinc consequens apparet, etiam in Angelis a supposito naturam revera distingui; licet dissentire videatur Sanctus Thomas

1. p. q. 3. art. 3. De hac Dei simplicitate expressa est doctrina Cyrilli lib. 6. *Thesauri cap. 8.*

Quinta compositio est generis & differentiae, quam logicam compositionem vocant. Hanc autem in Deo non habere locum ex eo monstratur; quia Deus in nullo rerum genere collocatur, ut infra docebimus.

Sextum denique compositionis genus est, quo concurrunt in eadem re *Essentia*, & *Esse*. Quae duo non sola ratione, sed etiam re ipsa in unaquaque re creata distinguuntur, perinde atque actus & potentia: at in Deo prorsus idem est *essentia* & *esse*. Nam si distinguerentur, consequens esset, duo esse distincta, eaque increata rerum principia, quod est contra *Fidem Catholicam*. Hunc compositionis modum a Deo removet Hilarius lib. 7. *de Trinit. non procul ab initio*, sic inquit: *Esse, non est accidens Deo, sed subsistens veritas, &c.* Generaliter autem ad excludendum a Deo cujuscumque generis compositionem, faciunt ea testimonia Patrum, quae postremo parag. a Magistro recitantur. Porro alias rationes perfectam Dei simplicitatem monstrantes, vide apud Sanctum Thomam 1. p. q. 3. art. 7.

§. IX.

Quomodo Deus multiplex, & quomodo sine compositione.

S. Thom. 1. part. q. 30. art. 1. ad 4.

Et 31. art. 1. ad 3.

NON pugnat cum perfecta Dei simplicitate, quod Deus aliquando multiplex dicatur, velut Sap. 7. Ubi *Spiritus Sapientiae*, qui non alius, quam Deus intelligitur, inter cetera, quae ei tribuuntur, etiam *multiplex* esse perhibetur. Hoc enim, quo sensu dicatur, exponit Augustinus lib. 11. *de Civit. cap. 10. Dicitur est*, inquit, *Spiritus Sapientiae multiplex, eo quod multa in se habeat, sed quae habet, haec & est, & ea omnia unus est.* Ob hanc igitur causam idem Augustin. lib.

lib. 6. de Trin. cap. 4. & 7. quamdam Deo multipliciter adscribit, nimirum sensu jam explicato, quia quidquid in Deo est, & Deo attribuitur, essentia ejus est. Absolute tamen uti docet Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 2. *Non multiplex, sed simplex dicendus est Deus, ne aliquo modo compositus existimetur.* Quod autem respondent quidam: Deum re quidem simplicem esse, sed multiplicem appellatione, propter nominum varietatem, quae ei tribuuntur; dum idem ipse, & bonus, & sapiens, & justus vocatur, & ita de aliis; id non ita accipiendum, quasi haec tantum sit nominum synonymorum coacervatio, sed quia pluribus nominibus variae ac multiplices proprietates Divinae significantur, quae tamen non re ipsa, sed sola ratione in Deo differunt. Quamvis enim aliud significet sapientia, aliud potentia, & sic de aliis; haec tamen significata sunt res una eademque in Deo. Quod ergo dicit Magister §. f. *Deum dici multipliciter propter diversitatem, ac multitudinem nominum, quae de Deo dicuntur; quae licet multiplicia sint, unum tamen significant, scilicet Divinam Naturam;* id non est intelligendum de significato secundum propriam rationem, sed secundum rem: quia ut Magister ipse explicat, omnia significant unum, idest, rem unam, scilicet Naturam Divinam.

Ceterum locus Sap. 7. potest etiam aliter, & quidem probabilius exponi, ut Spiritus intelligentiae dicatur *Unicus* simul & *multiplex*. *Unicus*, idest, Unigenitus, (id enim vox Graeca significat) vel quia Filius Dei, qui est Sapientia Patris, Unigenitus est; vel quia quidquid de illo spiritu participatur homini, unum est genere, seu origine; utpote a Deo auctore profectum: *Multiplex* vero, quia idem intelligentiae spiritus circa multa, idest, omnia quaecumque sunt intelligenda versatur, ipsumque hominem rerum plurimarum cognitione imbut. Quem sensum ea, quae proxime sententiam hanc antecedunt, exigere plane videntur. Jam vero nec ea distinctio & pluralitas, quam in Personis Divinis agnoscimus, simplicitati Dei repugnat, ut neque compositionem ullam inducit. Aliud enim est compositio, aliud distinctio. Nam etsi in omni compositione sit partium componentium distinctio,
non

non tamen distinctionem necessario sequitur compositio, ne in creaturis quidem.

Sed quare, inquires, dici non potest ex tribus Personis componi, seu constare unum Deum? *Respondeo*: compositionem esse rerum plurium, ex quibus consurgat aliquid unum. Atqui Personae Divinae, licet realiter distinctae sint, non tamen res plures sunt, sed res una, secundum definitionem Later. Conc. *sub Innoc. III. cap. 2.* Qua ratione interdum veteres Hilarius, Prudentius, Boëtius etiam *numerum* a divinis excludunt: *numerum* videlicet intelligentes, non personarum, sed rerum numerandarum. De qua re dicitur *infra ad distinct. 24.* Ut & *distinct. 19.* ostendetur, quod Deus non *triplex*, sed *trinus* dicendus sit.

§. X.

Deum in nullo rerum genere collocari.

S. Thom. 1. part. quaest. 3. artic. 5.

Quod in nullo rerum genere seu praedicamento Deus collocetur; quemadmodum ex Augustino lib. 5. *de Trin. cap. 1.* recte colligit Magister, licet nonnulli dissentiant, breviter una & altera ratione sic probatur.

Prior ratio. Deus nec genus est, nec species, nec aliquis speciei individuum: non genus, quia nullas sub se species continet: non species, quia cum sit res simplicissima, non componitur ex genere & differentia: non individuum speciei, quia ex iisdem componitur individuum, ex quibus & species. At neque reduci poterit ad praedicamentum aliquod, quia reductio est imperfectioris ad id, quod magis perfectum est: Deus autem res est omnium perfectissima.

Posterior. Si in ullo rerum genere collocandus sit Deus, maxime pertinebit ad substantiae praedicamentum; atqui Dei natura magis distat a substantiis creatis, quam substantiae natura ab accidentibus: substantia autem cum accidente non

potest esse in eodem genere ; multominus igitur Deus , cum substantiis creatis in eodem genere erit. Unde & supra ostensum est , substantiae nomen non perinde proprie Deo tribui , atque nomen essentiae. Qua de re aperta est Augustini sententia lib. 7. *de Trin. cap. 4. & 5.* ubi inter cetera manifestum esse affirmat : Deum abusive substantiam vocari. Huc accedit auctoritas Cyrilli , qui lib. 1. *Thesauri cap. 4.* scribit : quod *Deus non est proprie substantia , quomodo Philosophi de substantia locuti sunt , sed super substantiam ; quia neque sub genere est , neque accidentibus subsistit.* Consentit & Beda , apud quem in *sententiis ex Aristotele collectis* litera M. sic legitur : *Manifestum est , quod Deus non habet genus , nec qualitatem , nec quantitatem.* Rationes autem quibus id probetur , praeter supradictas videat studiosus apud S. Thom. 1. p. qu. 3. art. 5.

IN DISTINCTIONEM NONAM.

§. I.

Personarum in Deo distinctio unde petenda , & qualiter exprimenda.

*S. Thom. 1. part. q. 40. art. 2. & 3. Item
ejusdem part. q. 31. art. 2.*

CUM tres Personae Divinae sint una , eademque simplicissima Dei essentia , fieri nequit , ut aliunde petatur earum inter se distinctio , quam ex origine , qua una ab alia procedit. Una enim , eademque natura est Patris , & Filii , & Spiritus Sancti : sed Patrem discernit a Filio , quod ille genuerit , hic genitus sit ; sicut & Spiritum Sanctum a Patre & Filio discernit , quod hic procedat ab illis , illi vero eum spirando producant. Rursum cum una sit in tribus Personis natura , eandem tamen & Pater absque origine habet , & Filius per generationem ex Patre , & Spiritus Sanctus per processione

ex

ex Patre & Filio. Quae cum ita sint, rectissime traditum est a Patribus, in illa Sancta Trinitate non aliud esse Patrem, aliud Filium, aliud Spiritum Sanctum; tametsi alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus. *Aliud* enim rei, seu naturae diversitatem; *alius* tantummodo personae distinctionem indicat. Cujus ratio est, quia ut dicit S. Thomas 1. p. q. 31. art. 2. ad 4. *Neutrum genus est informe: masculinum autem & foemininum est formatum, atque distinctum: & ideo convenienter per neutrum genus significatur essentia communis: per masculinum autem & foemininum significatur aliquod determinatum suppositum in communi natura.* Unde etiam in rebus humanis, si quaeratur, *Quis est iste?* respondetur *Socrates*: quod est suppositi nomen. At si quaeratur, *Quid est iste?* respondetur *homo*, sive *animal rationale*; per quod significatur essentia specifica pluribus communis. Cum ergo in Divinis distinctio sit secundum Personas, non secundum essentiam; dicimus Patrem esse alium a Filio, non aliud. Eandem rem paullo aliter explicat idem Doctor scribens super hanc distinctionem, *quaest. 1. art. 1.* dicit enim; *Neutrum genus substantiari, cum seorsim ponitur; non ita masculinum & foemininum: atqui substantiva significationem suam habent absolutam; adjectiva vero eam determinant circa substantivum additum, vel intellectum.* Unde *aliud* dicitur, quod absolute, idest, secundum substantiam diversum est; *alius* autem pro ratione vocabuli adjuncti; quod si personale est, significatur tantum personalis distinctio; ut cum dicitur, *Filius alius a Patre*: si essentiale, significatur diversitas essentiae; ut si dicas, *Pater est alius Deus a Filio*; quae proinde falsa est. Quod si *aliud* non substantivatur, sed adjungitur substantivo neutri generis; eadem erit ratio, quae de masculino & foeminino. Unde recte dicitur, *Filius est aliud suppositum a Patre*: sumitur enim ibi adjective. Quamquam haec posterior explicatio, si bene expendatur, videtur tantum secundum modum differre a priori. Fundata est autem haec sermonis diversitas in Scriptura Sacra. Nam quod ad naturam attinet, dixit Filius Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Et cap. 17. *Sicut & nos unum sumus.* Unum inquit, non unus. Si autem unum, ergo non aliud. Quod

Quod autem ad personam, idem dixit Joan. 5. *Alius est qui testimonium perhibet de me; Patrem intelligens.* Et Joan. 14. *Alium Paraclenum dabit vobis; intelligens Spiritum Sanctum.* Sic in Athanasii Symbolo: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* Tradunt hanc rem accurate Fulgentius de *Fide ad Petrum cap. 1.* & Vincentius Lirin. in *Commonitorio contra Haereses.* Est autem praeterea notandum, cum de hoc Trinitatis mysterio loquitur, non temere utendum esse vocabulis quibuscumque, diversitatem aut identitatem significantibus, sed ad praescriptam a Patribus normam nobis esse loquendum; idque ad vitandos errores contrarios Arii & Sabellii, tamquam duos scopulos invicem oppositos, inter quos media debet incedere catholica Veritas. Itaque ad vitandum errorem Arii, cavenda sunt nomina diversitatis & differentiae, ne tolli videatur unitas essentiae. Utendum est autem distinctionis nomine, propter oppositionem relativam inter personas; & ob eandem causam dicimus, *alium esse Filium a Patre.* Rursum ne tollatur simplicitas essentiae, cavenda sunt vocabula separationis & divisionis. Vitandum quoque disparitatis nomen, ne tollatur aequalitas. Ita nomen alieni ac discrepantis, ne tollatur similitudo. Contra vero ad vitandum errorem Sabellii, abstinerunt Patres a nomine singularitatis, ne tollere viderentur communicabilitatem Essentiae Divinae. Vitavit etiam Hilarius nomen, *unicus*, ne tolleretur numerus Personarum. Unde licet dicatur in Symbolo *unicus Filius*, noluit tamen Hilarius dicere, *unicum Deum*, sed *unum*. Vitandum etiam nomen *confusi*, ne tollatur ordo simul & distinctio Personarum: utrique enim repugnat confusio. Denique vitandum monuerunt nomen *solitarii*, ne tolli videretur consortium trium Personarum. De his S. Thomas in Summa articulo superius allegato.

§. II.

Filium Dei esse Patri coaeternum.

S. Thom. 1. part. q. 42. art. 2.

A Eternitas Filii Dei ab Arianis olim varie, multumque oppugnata fuit; videlicet negantibus intelligere se posse, quomodo consistant haec duo: Filium a Patre, sive ex Patre genitum esse, nec tamen eo esse tempore posteriorem, sed coaeternum. Hinc illae voces de Filio Dei ab Ario usurpatae, & a Patribus Concilii Nicaeni condemnatae, *erat, quando non erat; & non erat antequam nasceretur*: ut videre est apud Socratem lib. 1. cap. 3. & 5. Et in historia Trip. lib. 2. cap. 9. Item apud Ambrosium lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 9. Nobis contra firma fide tenendum est, coaeternum esse Patri Filium. Cujus veritatis prima probatio est ex Sacris Literis, in quibus illud est apertissimum, & verbis Arii ex diametro contrarium apud Joannem: *In principio erat Verbum*. Et iterum: *Hoc erat in principio apud Deum*. Et Joan. 1. *Quod fuit ab initio*. Nam si fuit aliquando Deus sine Verbo, etsi erat quando non erat: non ergo in principio erat Verbum apud Deum. Nam *esse in principio* saltem negative exponendum est, ut illud *in principio* fuisse dicatur, ante quod nihil fuit. Quare si *Verbum erat in principio*, nihil ergo ante Verbum: igitur nec Deus ante Verbum: quod clare significat illa sententia: *Hoc erat in principio apud Deum*. Fuit igitur Verbum ab aeterno apud Deum Patrem, cui proinde est coaeternum. Item in Apoc. cap. 1. 21. & 22. Filius Dei vocatur *α* & *ω*, *primus & novissimus, principium & finis*. Quae elogia de eo falsa erunt, si non fuit ab aeterno cum Patre; praesertim cum eadem attribuantur Deo simpliciter *Isaiae* 41. 44. & 46. ad significandam absolutam Dei aeternitatem. Apud eundem Prophetam legitur cap. 43. ex persona Dei: *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit*. Quae vox sive Patri, sive Filio tribuatur, convincit Filium, qui verus Deus est,

est, esse Patri coaeternum. Quo argumento praeter alios usus est Ambrosius lib. 1. *de Fide ad Gratianum cap. 5.* Item *Hebr. 1.* tribuit Apostolus Filio Dei, illud *Psalm. 102. Tu autem idem ipse es.* Ex quo sicut immutabilitas, ita consequenter aeternitas Filii necessario argumento concluditur. Rursum *1. Cor. 1.* Christum Apostolus vocat *Dei Virtutem, & Dei Sapientiam.* Quare cum numquam Pater sine sapientia & virtute fuerit, nec sit alia virtus, aut sapientia Patris, quam Filii; consequens est Filium semper fuisse. Quam probationem contra Arianos adferunt Augustinus lib. 6. *de Trin. cap. 1.* & Alexander Alexandrinus Episcopus in *Epistola ad universos Episcopos.* Praeterea Christus Joan. 16. dicit: *Omnia, quae habet Pater, mea sunt.* Et cap. 17. ad Patrem: *Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt:* ergo aeternitas est Filio cum Patre communis. Tenuit autem & tradidit perpetuo hanc fidem Ecclesia ab Apostolis edocta, eamque contra Arium clarissime definivit in magno Conc. Nicaeno; quam & usque hodie publica voce profitetur in Athanasii Symbolo, dicens: *Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus.* Et iterum: *Totae tres personae coaeternae sibi sunt, & coaequales.* Denique valent ad id probandum quaecumque auctoritates ostendunt, Filium Dei vere & proprie Deum esse, cujus eadem sit omnino cum Patre essentia; de quo infra. Hoc enim dato, statim consequens est, eum esse aeternum, quae certissima est Dei proprietas.

(His accedunt rationes, quarum haec prima est. Si Pater tempore Filium praecedat, quem postea genuerit; ergo coepit aliquando Pater esse, cum prius non esset; ac proinde mutabilis est. Neque enim potuit ei absque sui commutatione, accedere paternitatis relatio, (quae utique realis est) si eam prius non habuisset. Haec ratio est Alexandri, & Ambrosii ubi supra.

Secunda. Pater gignendo Filium naturam ei suam communicat, ea autem natura aeterna est; igitur & Filius aeternus est. Neque enim potest non esse aeternum, cujus natura sit aeterna, immo ipsa aeternitas.

Tertia. In Dei natura nihil est prius, aut posterius; si

ergo Pater genuit, ab aeterno genuit; & si natus est ei Filius, ab aeterno natus est.

Quarta. Perfectissimus intellectus, cum sit purus actus, semper est in actu; ergo semper habuit Verbum in actu; hoc autem Verbum Divini intellectus est Filius Patris, Filius ergo semper fuit.

Quinta, eaque potissima. Filius a Patre non voluntate, seu consilio, sed natura genitus est. Atqui dupliciter contingit id quod natura producit, esse posterius eo, a quo producit; si vel causa producit non habeat statim ab initio perfectionem virtutis naturalis ad agendum, sed eam processu temporis acquirat, ut fit in animalibus, quae non statim habent virtutem gignendi; vel si actio ejus successiva est propter motum in materia praeparanda necessarium, ut contingit in effectione rerum, quae arte fiunt; quae quidem non statim existere possunt, etsi fiant a perfecto artifice, quod & in naturalibus fere omnibus obtinet. Cum igitur neutrum horum in Divina illa generatione locum habeat, neque habere possit: quoniam & natura Patris ab aeterno perfecta fuit, & generatio, qua Filium gignit, successiva non est, sed tota simul, utpote prorsus immaterialis; necesse est Filium semper & ab aeterno fuisse cum Patre. Huic rationi, quae est apud S. Thomam 1. p. q. 42. art. 2. innitur argumentatio Cyrilli lib. 1. *Thesauri cap. 6.* quae talis est. *De mortali nascitur mortalis; ergo de immortali immortalis, & de aeterno aeternus.* Item Hilarii lib. 12. *de Trin. circa medium,* cum ait: *Sicut nativitas ab auctore est, ita & ab aeterno auctore aeterna est nativitas;* & quae sequuntur citante Magistro. Ceterum scire oportet rationes supradictas, etsi revera certissime concludentes; tamen apud Arianos parum, aut nihil habere momenti, qui negabant Patrem natura genuisse Filium: neque gravatim concedebant Deum non semper fuisse Patrem; quia Filium non ex substantia Patris genitum, sed *ex non existentibus*, id est *ex nihilo*, Dei voluntate, & consilio factum dicebant more aliarum creaturarum, cujusmodi de Ario commemorat Alexander in Epistola supra citata. Et hoc pacto non magis generatio Filii Dei in tem-

pore facta, quam aliarum rerum creatio similiter in tempore facta, mutationem in Deo arguebat, cum utraque secundum illos esset operatio ad extra. Quare ad confutandum Arianos non tam rationibus nitendum est, quam Scriptura, & Traditione Ecclesiastica, Conciliorum auctoritate jam olim corroborata. Quamquam ratio S. Thomae saltem convincit (quod Arianii negabant) non repugnare rationi, vel naturae rei, ut Filius sit Patri coaeternus; immo id prorsus esse necessarium, si proprii nominis generationem in Deo concesserimus. (Adjuvat autem plurimum hujus rei intelligentiam similitudo a Patribus adducta, & in Scripturis fundata, de Sole, & ejus splendore. Nam Hebr. 1. vocatur Filius *splendor gloriae Patris*. Et Sap. 7. *candor lucis aeternae*. Et in Symbolo: *lumen de lumine*. Unde Synodus Ephesina: *coëxistere*, inquit, *semper coaeternum Patri Filium splendor tibi denunciet*: quasi dicat, comparatione splendoris discere potes, aeternitatem Filii; sicut enim Sol splendorem ex se producit, quem tamen ipse, ne puncto quidem temporis antecedit; atque adeo si Sol aeternus esset, coaeternus ei esset splendor suus: ita Deus Pater Filium gignit sibi coaeternum. Quemadmodum eam rem declarant Cyrillus loco supra dicto, & Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 2. Sed & aliam adfert idem Augustinus similitudinem, qua putat nihil in rebus humanis accedere proprius ad repraesentandam nobis aeternam Filii Dei generationem; ea est de mente humana, & ejus cogitatione, seu verbo. Nam si esset aeterna mens humana, sibi quae fuisset ab aeterno per contemplationem nota, coaeternum prorsus esset ei verbum suum, perfectam auctoris sui, id est, mentis imaginem referens. Haec similitudo rem clarius illustrabit, si cogitaverimus, Filium Dei esse ipsum Verbum Patris, ut habet quarta ratio supra posita.)

§. III.

Solvuntur objectiones quaedam adversus praedicta.

S. Thom. 1. part. qu. 42. art. 2.

ARgumenta, quibus olim aeternitatem Filii Dei oppugnantur Ariani, haec fere sunt, & ad hunc modum solvenda.

Primum. Generatio est progressus a non esse ad esse: genitus autem est Filius, ergo a non esse ad esse processit; ac proinde non semper fuit. Hoc argumentum Ariani sic proponebant: Filius Dei natus est, fuit ergo tempus, quando non erat: nam quomodo natus, si semper fuit? Ita recitat Augustinus *fragmento* 26. ubi, cum dicit se exponere non posse, quomodo, sed pro se Prophetam opponere, dicentem: *Generationem ejus quis enarrabit?* non negat solvi posse hoc argumentum, sed tantum vult modum illius aeternae generationis a nobis explicari non posse, quod & supra ostendimus *ad distinct.* 7. Igitur Arianis respondendum est: ad propriam generationis rationem non requiri, ut quod gignitur, procedat a non esse ad esse, quamvis ita se res habeat in omnibus creatis: immo nec ad alios producendi modos id necessario, & per se requiri: quemadmodum facile est ostendere ex similibus paullo ante positis. Splendor enim a Sole procedit, & Verbum a mente; quorum tamen utrumque aeternum esset, si Sol, & mens ab aeterno fuissent; sunt enim coeva suis producentibus: non ergo productio talis fuisset ex non ente. Sufficit igitur ad rationem generationis, necnon productionis in genere, ut id, quod gigni aut produci dicitur, accipiat esse; etiamsi non praecesserit non esse: quamvis in creaturis omnibus ob conditionem rerum necesse sit, ut non esse praecesserit, eo quod nulla creatura sit aeterna. Nec obstat, quod terminus a quo generationis sit non esse: tum quia terminus a quo generationis non ingreditur rationem motus: tum vero, quia generatio Filii Dei non est

est motus, sed aeterna, ac perfecta, sine successione productio, in qua nec sit assignare terminum a quo, nec mobile. Quin nec radiorum a Sole productio, nec Verbi a mente processio proprie motus est: quia non est actus ejus, quod est potentia, sed quod est actu: quamvis ejusmodi processio non inchoetur, absque mutatione subjecti instantanea, a quodam non ente ad ens. At si processio talis esset aeterna, jam nulla esset, nec fuisset umquam mutatio, sed processio tantum; quae tamen adhuc in eo differret a processione Divina; quod illa processio saltem aptitudine esset a non ente ad ens ratione subjecti, in quo apta esset privationi forma succedere; quod non ita est in processione Divina, quae ut non est apta subjectum habere, ita nec terminum a quo.

In responsione jam data continetur reliquorum fere argumentorum solutio. Objiciunt enim secundo loco: quod gignitur fit, quod fit, nondum est: ergo Filius tunc quando gignebatur, nondum erat. Respondendum in primis: quod gignitur, quatenus gignitur non fieri: quamvis in rebus creatis, omne quod gignitur etiam fiat, quia omnis creatura est factura Dei. At Filius Dei, nec creatus, nec factus est, sed genitus: *Omnia enim per ipsum facta sunt.* Joan. 1. Quare cum ipse per seipsum fieri non potuerit, manifestum est, eum in generalitate rerum factarum non posse comprehendere; quemadmodum recte ratiocinatur Augustinus *tract. 1. super Joan.* Sed neque assumptio universaliter vera est: quod fit nondum esse. Nam ea, quae ortum habent instantaneum, dum fiunt existunt, quorum productioni hac in parte non inepte comparatur aeterna generatio Filii Dei; praesertim cum aeternitas sit perpetuum quoddam instans.

Tertium. Genitus est Filius Dei, ergo principium habet: principium habet, ergo non semper fuit: quia ejus, quod semper est, nullum est principium. Respondet Cyrillus in *Thesaurio lib. 1. cap. 6.* Filium Dei, qua ratione genitus est, habere principium originis, non durationis, id est, habere principium a quo, ut gignente accipiat esse, quod principium est Pater, non habere principium in quo, ut tempore incipiat esse, cum ab aeterno Patre aeternus sit Filius.

Quar-

Quartum. Quod corrumpitur desinit esse, ergo quod gignitur incipit esse. Neganda consecutio; quia generari ex sua ratione non aliud est, quam accipere esse, etiamsi non esse non praecesserit, ut jam ostensum est; corrumpi autem non est accipere non esse, cum: non entis proprie nulla sit causa (nam causa dicitur, quae dat esse rei) sed est amittere esse. Hoc enim per se agit causa corrumpens, in quantum corrumpens est, ut id quod est, destruat; ideoque si proprie loquamur, sicut quod corrumpitur, amittit esse: ita quod gignitur accipit esse: id quod etiam in Filio Dei verum est.

At dices. Quicquid amittit esse, transit de esse ad non esse; ergo quicquid accipit esse, transit a non esse ad esse. *Respondeo* non sequi; quia amissio non fit sine mutatione; quae quidem est inter oppositos terminos, acceptio vero non necessario includit mutationem, ut supra satis declaratum est; & ita terminum a quo praesupponit. Potest enim semper accipi, quod semper habetur: non potest autem quisquam amittere, quod neque habet, neque habuerit unquam.

Quintum. Ait Pater ad Filium: *Ego hodie genui te*, Psal. 2.: ergo in tempore genitus est Filius. Id enim significat in Scripturis vocabulum, *hodie*, velut ibi: *Hodie si vocem ejus audieritis, &c. Respondetur*, nos de Deo loquentes uti vocabulis apud nos usitatis, quae tamen in Divinis usurpata, longe aliud significant. Unde sicut tempus aliter in Divinis, aliter in humanis rebus intelligendum est: ita ipsum *hodie*. Siquidem in Divinis tempus aeternitatem significat, & *hodie* diem aeternitatis, in qua nihil praeteritum, nihil futurum, nihil denique mutabile est. In humanis autem tempus significat mensuram durationis rerum omnium mutabilium; *Et hodie* diem, idest, tempus vitae praesentis, juxta illud Heb. 13. *Quamdiu hodie nominatur in vobis. Et 2. Cor. 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Proinde vox illa Patris ad Filium: *Ego hodie genui te*, cum ad Divina pertineat; ideoque diem aeternitatis significet, in quo non est accipere prius aut posterius, magis confirmat quam destruit aeternitatem Filii Dei.

Porro alias praeterea superioribus tamen similes, Aria-

norum objectiones cum solutionibus, reperiet studiosus apud Hilarium lib. 12. *de Trinitate*. Nec dissimiles apud Sanctum Thomam 1. p. q. 41. art. 2. & in *Disputatis de Potentia* q. 3. art. 13.

§. IV.

Quis Ordo sit agnoscendus in divinis?

S. Thom. 1. part. q. 33. art. 1. ad 3. Et q. 42. art. 3.

CUM in Divinis sit Personarum pluralitas, & ab ea removenda sit omnis confusio, necesse est, ordinem aliquem inter eas agnoscere. Et quidem manifestum est, non esse inter eas ordinem temporis, cum Filius sit Patri coaeternus, ut jam ostensum est, idemque judicium sit de Spiritu Sancto, nec omnino de ea re secundum Fidem Catholicam fas sit dubitare. Sed neque ordo naturae in eis locum habet: sic videlicet, ut eorum alia sit prior, alia posterior natura. Id enim altero posterius natura dicitur, cujus natura ab alterius natura dependet; quomodo in humanis natura Filii dependet a natura Patris. Quod de Personis Divinis dici non potest, quarum trium una est, eademque indivisa natura. Atque hinc discimus, quantum similitudines supra positae de splendore Solis, & verbo mentis, recedant ab eo, ad quod declarandum adhibentur; haec enim natura posteriora sunt suis causis, quia eorum natura ab illis dependet. Filius autem Dei naturam cum Patre prorsus habet eandem: quae proinde seipsa prior, aut posterior esse nequit. Praeterea consequens est, nec ordinem dignitatis in Trinitate reperiri, in qua trium Personarum una est Deitas, aequalis gloria, coaeterna majestas, ubi nihil prius, aut posterius, nihil majus, aut minus; sed totae tres Personae coaeternae sibi sunt, & coaequales, ut loquitur Ecclesia in Symbolo. Tres ordines jam dictos excludit a Trinitate S. Ambrosius lib. *de Institutione Virginis*, cap. 20. dicens: *Unitas Trinitatis est, non ordine distincta, non tempore*. Restat ergo, ut solus ibi sit ordo originis, id est, principii ad suum principiatum, vel contra.

Estii Theol. Tom. I.

T

Nam

Nam ordo originis dicitur, secundum quem alia persona principium est, alia a principio. Est enim Pater, qua ratione Pater est, auctor & principium Filii, & uterque Spiritus Sancti. Qua de re plura *ad distinct.* 29. Non est autem his, quae diximus, contrarium, quod est apud S. Thom. *q.* 42. *art.* 3. ubi *ordinem naturae* agnoscit in Divinis. Non enim intelligit *ordinem naturae*, secundum quem natura unius, naturam alterius consequitur; sed eum, qui in Divinis Personis attenditur secundum *naturalem originem*. Quem nos *ordinem originis* vocamus.

Jam vero si quaeritur; an hujus *ordinis* ratione fatendum sit, Patrem esse Filio priorem, & Filium Patre posteriorem? Respondendum videtur, etsi quidam nullam omnino prioritatem agnoscere velint in Trinitate; quia tamen necessario fatemur, ordinem ibi aliquem esse, nihil fore absurdi; immo plane consequens videri, si etiam prioritatem aliquam in ea agnoscamus; qua nimirum principium, quatenus principium prius est eo, cujus dicitur principium. Nam *originis*, seu principii ratio omnino quamdam prioris ad posterius rationem includere videtur, quo fit, ut personas Divinas recte distinguamus in primam, secundam, & tertiam, non aliud, quam *originis ordinem* inter eas significantes. Unde & illud Joan. 13. *Pater major me est*: quamvis rectissime dictum intelligatur propter formam servi, secundum quam Christus etiam Angelis minor effectus est, Paulo teste *Hebr.* 2. Attamen Hilarius lib. 9. *de Trin.* Gregorius Nazianzenus *Orat.* 4. *de Theol.* necnon Patres Concilii Sardicensis in *Epistola*, quae habetur lib. 4. *histor. Tripartit. capit.* 24. alique Graeci Patres dictum intelligunt propter generationis principium, quod Filius est a Patre. Sed de hoc plenius infra *ad distinctionem* 19.

Quod ergo dicit Athanasius: *in Trinitate nihil esse prius, aut posterius, nihil majus, aut minus*, vel intelligendum de ordine, quem naturae, vel cujuscumque ejus attributi diversitas, sive inaequalitas gignere possit, non de eo, quem necessario postulat originis ratio: vel potius dicendum Athanasium loqui de eo, quod usitatissime prius dicitur, idest, prius

prius tempore.) Unde & inter modos prioris in Categoriis Aristotelis primum habet locum modus ille, quo quid *tempore* prius est altero. Sensus iste Symboli patet ex verbis subjunctis ejusdem versiculi. Cum enim dixisset: *In Trinitate nihil prius esse, aut posterius, nihil majus, aut minus*, statim adversative subjungit: *sed totae tres Personae coaeternae sibi sunt & coaequales*. Itaque contra *prius*, & *posterius* dixit tres Personas coaeternas esse: sicut contra *majus*, & *minus* dixit coaequales. Quoniam autem *prius*, & *posterius* usitatissime, quemadmodum dixi, soleat ad tempus referri, propterea si absolute loquendum sit, potius cum Athanasii Symbolo negandum erit, quam concedendum esse in Trinitate aliquid altero prius. Nam majus aliud alio in Trinitate absolute dici non posse, extra quaestionem est.)

§. V.

An fatendum sit tres esse aeternos, & de similibus.

S. Thom. 1. part. q. 39. art. 3. & 4.

Quod supra de Filio Dei ostendimus, eum esse Patri coaeternum, idem absque ulla dubitatione etiam sentiendum de Spiritu Sancto, ut clare expressum habemus in Symbolo Athanasii. Quaeritur ergo, *num Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sint tres aeterni, an unus tantum aeternus?* Posteriorem quaestionis partem affirmat Athanasius in Symbolo dicens: *Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus*. Sic Augustinus lib. 15. *de Trin. cap. 8. & 10.* negat in Divinis esse tres magnos, & tres omnipotentes, atque de aliis hujusmodi attributis, ut de bonitate, aeternitate, &c. vult idem esse judicium. Priorem vero confirmare videtur Lateranense Concilium sub Innocentio III. in quo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur *consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, & coaeterni*. Quibus verbis satis significatur *tres esse omnipotentes, & aeternos*. Sic Magister *lit. B. Coaeternae sunt*, inquit, *sibi tres Personae*. Et ipse Athanasius in

eodem Symbolo : *Totae tres Personae coaeternae sibi sunt , & coaequales.* Augustinus quoque *Serm. 5. de Temp.* dicit : *Patrem , & Filium , nec pariter esse Patres , nec pariter esse Filios , sed pariter aeternos.*

Verum hic meminisse oportet , quod circa 4. Distinctionem annotavimus , substantiva nomina , etsi concreta , in Divinis usurpata numero plurali , innuere non modo personarum pluralitatem , sed & naturarum ; significant enim rem per modum substantiae : non item adjectiva , quae tantum personarum multitudinem inducunt. Quare sicut vere dicimus Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum esse tres subsistentes , tres creantes , tres operantes : ita videtur inoffense dici posse tres aeterni , & tres omnipotentes , increati , immensi. Idem est enim , ac si dicas , tres personas aeternas , omnipotentes , increatas. Atque haec doctrina est S. Thom. *super hanc distinct. q. 1. art. 2.* Porro Athanasius *ut ibidem S. Thomas declarat* , negans tres aeternos , tres omnipotentes , &c. accepit haec nomina substantive , quomodo non inepte accipi possunt ; praesertim cum non ejusmodi sint , ut actum significant , sicut verba & participia , quae proinde tantum pluraliter pluribus personis tribuuntur , sed aliquid substantiae propinquas. Sic igitur negat tres aeternos , increatos , immensos , omnipotentes , quomodo negat tres Deos , ac Dominos , quae sunt substantiva. Non esse tamen parem omnino rationem horum , atque illorum nominum , satis idem indicat Athanasius , non tantum per hoc , quod coaeternas plurali numero tres personas esse testetur , ut jam dictum est ; verum etiam in eo , quod proximo versu quasi concludens dicat : *Ita tres Deos , aut Dominos dicere Catholica Religione prohibemur.* Quare nihil concludendum existimavit de quatuor vocibus antecedentibus ; quia nimirum videbat sensu incommodo concedi posse , quod sint tres aeterni , increati , &c.

Est itaque generaliter notandum , etsi verba & participia semper adjectivam habeant significationem , nomina tamen quamplurima posse ac solere utrovis modo accipi , nec tantum adjectiva , ut loquuntur , substantivari ; verum etiam sub-

substantiva interdum adjectivari. Unde quamvis Prudentius in *Hamartigenia* prudenter & caute non tantum negaverit esse duo Numina Patrem & Filium, verum, nec admittat esse duos rerum artifices, auctores, conditores, creatores (sunt enim haec nomina substantiva potius, quam adjectiva) quia tamen adjectiva sumi possunt, fit, ut Patres interdum pluralem numerum non refugiant, dum ea Personis Divinis attribuant; ut Hilarius lib. 2. de *Trinitate*, dicens: Spiritum Sanctum processisse ex Patre, & Filio auctoribus, idest, producentibus seu principiantibus: cum aliqui definitum sit ab Ecclesia, Patrem & Filium esse unum principium Spiritus Sancti, non duo, ut infra dicitur ad 12. *distinct.* Sic etiam Chrysostomus, vel quisquis auctor *Homil. de Joanne Baptista tom. 3.* dicit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse omnium Creatores, idest, omnia creasse. Quin & Christus in Evangelio significat se, & Spiritum Sanctum esse duos *Paraclitos*, latine *Consolatores*, cum dicit de Patre: *Alium Paraclitum dabit vobis.* Joan. 14. Et quia Pater etiam consolator est, juxta illud 2. Cor. 1. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*, consequens erit tres esse *Consolatores*, sed adjectiva accipiendo hoc vocabulum.

§. VI.

Generationem Filii Dei numquam terminari.

S. Thom. 1. part. q. 42. art. 2. ad 4.

SI quaeratur, an generatio Filii Dei finem aliquando acceperit? Certissime respondendum est, eam, ut initium quo inchoaretur, non habuit, ita nec finem quo desineret, habuisse, nec habituram umquam. Sicut enim Pater & Filius aeterni sunt, ita aeterna est Filii ex Patre generatio, & non tantum ab aeterno. Qua de re disserens Cyrillus lib. 1. *Thessauri cap. 6.* docet, impiam eorum esse sententiam, qui dicunt cessasse aliquando patrem a generando: utpote quae incommutabili naturae commutationem adscribat, ut modo

ge-

generet, modo non generet. Et Fulgentius in *Serm. de Nativ. Christi*: *Semper*, inquit, *de Patre, de quo illi est naturaliter aeterna nativitas*. Et ne plures adducam testes e Patribus, apertissima est Ecclesiae vox ita de Christo canentis in ultimo responsorio Adventus: *Cujus generatio non habet finem*. Ut autem haec aeterna, atque incessabilis generatio utcumque intelligatur, repetendae sunt memoria similitudines superius adductae, velut Solis & splendoris, ignis & caloris, mentis & verbi. Quibus simile exemplum adfert Augustinus *Serm. 38. de verbis Domini*, de virgulto super aquis nato, & ejus imagine. In his enim alterum ab altero gignitur, nec tamen rei quae gignitur, perfecta generatio seu productio cessat. Splendor enim perfectus a Sole procedit, nec tamen splendorem illum Sol aliquando desinit producere; & similiter in aliis. Unde refellitur Arianorum objectio dicentium: quidquid generat, cessare a generando, quando res, quae gignitur perfecta est. Quod falsum esse ostendit Cyrillus *loco jam indicato*. Neque supervacanea est generatio, re jam genita atque perfecta, ut cavillabantur Ariani; quia res jam in suae naturae perfectione constituta, potest adhuc continuo dependere a principio producente; quemadmodum satis exempla memorata manifestant. Idque veritatem habet in omnibus, quae ita coeva sunt suis causis atque principiis, ut ab iis semper esse accipiant. Sicut ergo ista principiis existentibus semper & sunt & fiunt, ita Filius Dei semper est, & semper nascitur.

Quod autem ab Arianis objiciebatur, in his tantum locum habet, quorum generatio motus est, in quibus proinde termino acquisito cessat motus, ut in generatione hominis, aedificatione domus, & aliis similibus, in quibus esse, & fieri non simul, sed distincta sunt tempore, ut prius sit fieri, posterius esse. Nam ea, quae producuntur non motu aliquo, sed actu indivisibili, dum fiunt, etiam existunt; & si causam in actu haberent perpetuam, semper fierent, ac nihilominus semper existerent; sicut de mundo videtur imaginatus Plato. Nam & revera mundi conservatio non est aliud, quam creatio quaedam mundi continuata, sicut
lu-

luminis conservatio non est aliud , quam continua quaedam illuminatio.

§. VII.

Utrum Filius semper natus, an semper nasci dicendus sit?

S. Thom. 1. part. q. 42. art. 2.

JAM ex dictis manifestum est , utrumque vere ac proprie dici , Filium Dei nasci , & natum esse ; item semper nasci , & semper natum esse : sic tamen , ut *semper* non tempus , sed aeternitatem designet.

Priori modo loquitur Origenes Homil. 6. *super Jerem. 12.* dicens : *Filium Dei , tamquam splendorem lucis aeternae semper nasci.* Pro quo adducit etiam illud Prov. 8. *Ante omnes colles generat me Dominus.* Sic enim ibi legitur verbo praesenti *secundum versionem 70.* Loquitur eodem modo Hilarius lib. 7. 9. & 12. *de Trin. sententiis a Magistro recitatis §. N. & O.* Item Augustinus *Serm. 22. de Temp.* dicens : *Filium nasci sine fine.* Et Epistola 174. *ad Pascentium* , dicens : *Patrem semper gignere , & Filium semper nasci.* Simili ferme modo loquitur etiam Cyrillus lib. 1. *Thes. cap. 6.* Sic denique post Magistri aetatem Lateranense Concilium sub Innocentio III. diserte decrevit his verbis : *Ab initio , semper , & sine fine Pater generans , Filius nascens , & Spiritus Sanctus procedens.* Et id quidem congruenter cum Scriptura Sacra , ubi Dominus de se ait in praesenti : *Ego ab ipso sum.* Joann. 7. Et de Spiritu Sancto : *qui a Patre procedit.* Joann. 14. Et in Symbolo : *qui a Patre Filioque procedit.* Ceterum verbo praeterito passim Scripturae , & Patres utuntur , ut Psalm. 109. *Ante luciferum genui te.* Joann. 8. *Ego ex Deo processi.* Et in Symbolo : *genitum non factum.* Unde Chrysost. Hom. 2. *super Epist. ad Hebr.* ex Patris essentia semper genitum esse Filium affirmat. Utrumque conjunxit Scriptura Psalm. 2. dicens : *Ego hodie genui te.* Nam *hodie* praesens significat , *genui* praeteritum , scilicet ad indicandam , & praesentem semper,

per, & nihilominus perfectam Filii Dei nativitatem, ut annotavit Augustinus in *exposit. ejusdem Psalmi*, verbis a Magistro citatis. Posset quoque dici in futuro, *semper nascetur*, juxta illud Hebr. 1. *Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium*; ut & de Spiritu Sancto *semper procedet*, juxta illud Joann. 16. *Quaecumque audiet loquetur*. Et iterum: *quia de meo accipiet*. Sed quia verbum futurum imperfecti aliquid innuere videtur, & aeternitati significandae minus servit, hinc factum, ut hujusmodi sermone Patres minus legantur usi. Quamquam Augustinus *Tract. 99. in Joann.* dictum Scripturae locum exponens, satis significat etiam futuri temporis verbo nos uti posse, cum de divina processione loquimur; cujus locutionis usus erit ad significandam processionem illam interminabilem esse, & numquam finiendam. Verba Augustini sunt apud Magistrum *dist. 8. §. 6.*

Verum adversus locutionem praesentis temporis objicitur auctoritas ejusdem Augustini lib. 83. *q. q. 37.* scribentis haec verba: *Melior est semper natus, quam qui semper nascitur; quia qui semper nascitur, nondum est natus, & numquam natus est, aut natus erit, si semper nascitur. Aliud enim est nasci, aliud natum esse.* Item Gregorii, qui lib. 29. *Moral. cap. 2.* ita vult dici, Filium Dei ante tempora natum, vel potius semper natum, ut neget posse nos dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. Sed dicendum est hos Patres, dum ejusmodi sermonem improbant, non tam de verbis agere, quae secundum propriam significationem simpliciter vera sunt, quam de sensu, quem ex his verbis vulgus apprehendere solet. Audiens enim, semper nascitur, nativitatem, sive ut ita loquar, nascentiam imaginantur nondum perfectam, sed perpetua successione perficiendam, nimirum per modum motus ad perfectionem tendentis; quod jam ostensum est dictis verbis non significari. Nam Gregorium revera nihil adversum ab aliis sensisse, satis ex eodem ipso loco manifestum est, cum ait: quod *Filius, nec coepit nasci, nec desiit*: ex quo clare sequitur eum semper nasci. Augustini quoque eandem esse sententiam ex suprapositis testimoniis patet, maxime ex ejus Commentario in

in Psalmum 2. ad illud: *Ego hodie genui te*, & ex Epistola 147. ubi illud semper nasci, sicut & semper gignere, non gravatim admittit, modo ne cogitetur imperfectio. Denique planius eam rem explicat *Serm. 12. de Tempore: Utrumque igitur vere, & recte dicitur, Filius Dei semper nascens, & semper natus, submota tamen utrimque omni cogitatione imperfectiois, ne vel successu temporis perfici putetur ejus natiuitas, dum dicitur semper nasci; vel ita perfecta cogitetur, ut jam praesens non sit, sed in praeteritum abierit, per hoc quod dicitur semper natus. Nec facile dixerim utrum rectius dicatur, semper natus est, an semper nascitur? etiamsi non ignorem Magistrum §. O. praeeligere semper natum velut congruentius dictum. Quem in hoc sequitur S. Thom. super hanc Distinctionem, & 1. p. q. 42. art. 2. ad ultim. Sed diversum suadet, tum perfectio verbi praesentis aeternitati significantiae congruentis, tum auctoritas Lateranensis Concilii, quod in decreto Fidei maluit uti verbis potius praesens, quam praeteritum significantibus. Itaque revera perfectior est significatio, dicentis *semper nascitur*; licet in auribus vulgi perfectius sonet *semper natus est*.*

§. VIII.

Filium Dei esse Patri consubstantialem & proprie Deum.

S. Thom. 1. part. q. 39. art. 2. Item q. 42. art. 2. 4 & 6.

Multae fuerunt Haereses, atque etiamnum sunt, a quibus vera proprie dicta Divinitas Filii Dei fuit oppugnata. Nam praeter Ebionem, Cerinthum, Paulum Samosatenum & Photinum, qui negaverunt Christum fuisse, antequam ex Patre nasceretur (quos hodie sequuntur novi Samosatenedici asserentes Christum ante Incarnationem nihil fuisse, nisi in mente Dei per ideam: qui proinde Christum valde improprie, & Filium Dei faciunt, & Deum; scilicet non per aeternam generationem, sed per unctionem gratiae factam in tempore, & in carne assumpta) Ariani plus

aliquid Filio Dei tribuentes, fatebantur eum fuisse ante Incarnationem, videlicet natum, seu factum a Deo ante omnem aliam creaturam, non tamen ab aeterno, neque ex Patris substantia, sed ex nihilo, sive ut illi loquebantur, ex non extantibus, juxta expressam & decantatam Arii magistri sui sententiam: tametsi posteriores Ariani, teste Augustino lib. 6. *de Trin. cap. 1.* fassi sunt, aeternum esse Filium; at nihilominus ejus cum Patre consubstantialitatem, ac proinde veram Divinitatem impugnantes. Qua in re secum ipsi pugnabant: sunt enim haec duo necessario conjuncta, ut qui Filium Patri consubstantialem esse agnoverit, fateri debeat, esse Deum vere ac proprie: & contra, qui hoc dederit, illud quoque negare non possit. Cum enim sit una, singularis, atque individua Dei substantia, si ea communis est Filio cum Patre, necessario sequitur, tam Filium esse verum Deum, quam Patrem; immo Filium, & Patrem esse unum & eundem Deum, utpote unam & eandem habentes essentiam, quae est ipsa Deitas. Verum tamen novi Ariani hoc saeculo exorti, duo ista, quae necessario cohaerere diximus, ita separant, ut Filium Dei fateantur quidem ex Patris substantia genitum, & Patri esse consubstantialem; negent tamen eundem esse Deum cum Patre, Patrique coaequalem, sed Patrem affirmant longe eminentiorem esse tam Filio quam Spiritui Sancto: quasi essentia Divina vel divisa sit trifariam, ita tamen ut potior inde partem sibi retineat Pater, vel a Patre reliquis duobus communicata secundum identitatem quamdam specificam, cujus tantum speciei natura perfectissima possideatur a solo Patre, minus perfecte ab aliis duobus. Quae omnia sunt absurdissima, & cum simplicitate Naturae Divinae prorsus pugnantia. Quare contra hos errores tam novorum, quam veterum Arianorum simul & contra illos, qui Christo initium ex matre adscribunt, satis fuerit ostendisse alterum istorum; vel quod Filius Dei sit vere & proprie Deus, vel quod sit Patri consubstantialis: nam de Spiritu Sancto infra dicetur suo loco. Est autem haec doctrina, ut semper ab Ecclesia tradita & contra Haereses acerrime defensa, ita

& certissima fide tenenda. Cujus prima & solidissima probatio ex Scripturis utriusque Testamenti, quarum praecipua testimonia ordine proferemus.

Primum : Psalm. 44. Filio Dei cantatur : *Sedes tua Deus in saeculum saeculi* ; & iterum : *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae, &c.* Quae loca Apostolus Hebr. 1. de Filio Dei interpretatus est.

Secundum : Eodem Psalmo adhuc de Christo sponso ad Ecclesiam sponsam dicitur : *Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt, &c.*

Tertium : Prov. 30. *Quod nomen est ejus, & quod nomen Filii ejus, si nosti?* Quibus verbis vult Sapiens, tam Filium, quam Patrem esse incomprehensibilis naturae, ideoque Filium non minus proprie Deum esse, quam Patrem, cum solius Dei natura sit incomprehensibilis. Item Psal. 44. *Adducuntur in templum Regis* : ergo Rex est Deus, quia templum solius est Dei. Et quamvis vox Hebraea interdum etiam palatium significet, unde Pagninus vertit *in palatium Regis* : sciendum tamen, vocem Hebraeam in toto volumine Psalmorum nusquam aliter accipi, quam pro templo Dei proprio.

Quartum : Isai. 7. de Filio Virginis : *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Quod de Christo interpretatur Matth. cap. 1. addita nominis expositione, cum ait : *Quod est interpretatum nobiscum Deus.*

Quintum : Isaiae 9. de Parvulo nobis nato : *Et vocabitur nomen ejus, Deus Fortis* : Quae sunt duo nomina Dei, uni vero Deo in Scripturis tribui solita.

Sextum : Isai. 35. *Deus ipse veniet & salvabit vos ; Tunc aperientur oculi caecorum, & aures surdorum patebunt, &c.* Quae posteriora verba declarant, priora de Christo dicta esse. Quod & ipse Christus apud Matth. 11. insinuavit, quando discipulis Joannis de se quaerentibus respondit per haec verba : *Caeci vident, claudi ambulant &c.* q. d. se eum esse, quem Isaias Deum Salvatorem venturum, & talia facturum praenunciasset.

Septimum : Isai. 45. Filio dicitur : *Tantum in te est Deus,*

& non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. Quae verba de Patre accipi non possunt, tum quia Pater est ipse, qui loquitur; tum quia Patri non recte dixeris, *In te est Deus*, si solus Pater est verus Deus, ut volunt adversarii. Rursum quod eodem capite dicitur: *In memetipso juravi, quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua*, de Christo dictum esse, testatur Apost. Rom. 14. At hoc ipsum, a Propheta scribi in persona Dei, certissimum est; tum quia solus Deus in Scripturis jurat per semetipsum quod non habet alium se majorem *Hebr. 6.* tum quia proxime praecedunt haec verba: *Ego Deus & non est alius*: Hic ergo Deus Christus est.

Octavum: Zach. 2. *Haec dicit Dominus Deus exercituum. Post gloriam misit me ad gentes, &c.* deinde addit & secundo repetit: *Quia Dominus exercituum misit me*: Ubi cum apertissime *Dominus Deus exercituum* dicat se missum ad gentes a Domino exercituum, nec quisquam a seipso mittatur; cumque solus Filius per Incarnationis mysterium ad gentes missus sit; patet Filium hic vocari Dominum Deum exercituum; quod nomen soli vero Deo tribui solere in Scripturis palam est.

Nonum: Zach. 3. *Et dixit Dominus ad Satan: Increpet Dominus in te Satan*, nimirum Filius hoc dicit de Patre. Est autem utroque loco nomen tetrag. quod sine controversia soli vero Deo proprium est.

Decimum: Zach. 12. loquitur inter alia Dominus Deus: *Et respicient ad me, quem confixerunt.* Eam autem sententiam ad Christum pertinere, locuples testis est Joannes Evangelista. cap. 19.

Undecimum: Luc. 1. de Joan. Baptista: *Multos Filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse praecedet ante illum in spiritu & virtute Eliae.* Ubi quod dicitur, *ante illum*, non alio, quam ad Dominum Deum referri potest. Atqui Joan. Christi fuit praecursor, non Dei Patris; est ergo Christus Dominus Deus. Unde & Malach. 3. dicit Deus Pater ad Filium: *Mitto Angelum meum & praeparabit viam ante faciem meam.* Sic enim locum illum allegant tres

tres Evangelistae, tametsi in Hebraeo habeatur, *ante faciem meam*: juxta quam lectionem Filius ipse loquitur.

Duodecimum: Marci 10. & Luc. 18. Christus ait: *Nemo bonus, nisi unus Deus*. Et Matth. 19. *Unus est bonus Deus*; nimirum tacite insinuans se esse illum unum Deum, qui solus bonus est, atque ad ejus rei fidem hujusmodi responsione auditores introducere volens.

Decimumtertium: Joan. 1. *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, idest, hoc Verbum erat apud Deum, erat ipse Deus, non inquam, alius Deus, sed idem cum illo, de quo dixerat: *Verbum erat apud Deum*.

Decimumquartum: Joann. 5. de Christo: *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo*, q. d. eo, quod Patrem suum dicebat Deum, significabat se Deo aequalem esse; & proinde vere ac proprie Deum, quia nemo est Deo aequalis, qui non sit proprie Deus. Non enim sensus est, Judaeos hoc tantum modo existimasse de Jesu, quod se aequalem Deo faceret, ex eo quod Patrem solum dixerat Deum; sed quod vere consequens fit, ipsum, si Patrem Deum habeat, Deo aequalem esse. Nam Evangelista totum Christo adscribit, quod Patrem suum diceret Deum, quodque aequalem se faceret, idest, diceret Deo. Nam facere, pro dicere & alibi sumitur, ut *Quem teipsum facis*, idest, dicis, Joan. 8. Et rursum, *Quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum*. Joan. 10.

Decimumquintum: Joan. 8. *Si non credideritis quia ego sum*. Et infra: *Antequam Abraham feret, ego sum*. Quo sermone significat Christus, se eum esse, qui dixit ad Moysen: *Ego sum, qui sum*, & propriissimum illud Dei nomen, *Qui est*, & *Jehovah*, sibi competere.

Decimumsextum: Joann. 10. *Ego & Pater unum sumus*, idest, Ego sum unius atque ejusdem cum Patre essentiae. Quomodo eum locum omnes Patres intellexerunt. Valet ergo hic locus directe ex omnium Patrum sententia ad probandam coessentialitatem Filii cum Patre: nam & Judaei sentiebant Christum per illa verba significare velle se Deum esse. *De blasphemia*, inquit, *lapidamus te, quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum*.

De-

Decimumseptimum : Jo. 14. *Creditis in Deum , & in me credite.* Quod non diceret , nisi se vellet credi verum Deum , non minus quam Patrem. Nam in solum verum Deum proprie credimus ; praesertim ut Scriptura loquitur de credendo in aliquem. Idem argumentum ex omnibus locis, ubi Christus hortatur in se credi , ut Jo. 7. *Qui credit in me , flumina , &c.* Item : *Qui credit in me , non credit in me , sed , &c.* Quae loca satis aperte convincunt Divinitatem Christi eandem cum Patre.

Decimumoctavum : Joan. 16. *Omnia , quae habet Pater , mea sunt ;* in quibus omnibus maxime oportet intelligere essentiam ; praesertim cum quidquid habet Pater , essentia ejus sit. Est igitur eadem essentia Patris & Filii. Tale est & illud cap. 17. Christi ad Patrem : *Mea omnia tua sunt , & tua mea sunt.*

Decimumnonum : Joan. 20. S. Thomas jam non amplius incredulus sed fidelis , apertissima confessione Christum Deum affirmat , dicens : *Dominus meus & Deus meus.*

Vicesimum : Act. 20. Paulus ait ad Pastores gregis Domini : *In quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei , quam acquisivit sanguine suo.* In qua sententia, illud *acquisivit sanguine suo* , cum ad Spiritum Sanctum referri nequeat , necessario refertur ad Deum ; nihil enim aliud praecessit , quo referatur. Atqui Deus , qui Ecclesiam acquisivit sanguine suo , non alius intelligi potest quam Dei Filius incarnatus &c.

Vicesimumprimum : Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem , qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.*

Vicesimumsecundum. Rom. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi ; Scriptum est enim ; vivo ego , dicit Dominus , quoniam mihi flectetur omne genu , & omnis lingua confitebitur Deo.* Christus igitur est ille Dominus , qui apud Isai. 45. dicit : *Vivo ego , quoniam mihi flectetur &c.* At eo loco nomen est Dei tetragrammaton. Ad eundem Prophetiae locum respexit Apostolus Philipp. 2. cum ait : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur , &c.*

Vicesimumtertium : 1. Corinth. 10. *Neque tentemus Christum , sicut quidam eorum tentaverunt : atqui passim in Exodo , Numeris , Deuter. Psalmis , legimus filios Israel tentasse Deum , quem Scriptura vocat Jehovah , & qui ad eos locutus est : Audi Israel : Deus tuus unus est ;* Christus ergo erat ille Deus. Quin & tentandi vocabulum id satis evincit ; tentatio enim actus infidelitatis est , Deum habens pro objecto. Nam illum male tentamus , in quem bene credimus.

Vicesimumquartum : Eph. 4. de Christo dicitur : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem , dedit dona hominibus.* At eadem verba in Psalmo 67. adscribuntur Deo Israel , de quo ibi dicitur : *Dominus in eis in Sinai in Sancto.* Item Tit. 2. *Expectantes adventum gloriae magni Dei , & Salvatoris nostri Jesu Christi.* Magnum Deum vocat verum Deum , qui est super omnes Deos , & qui est *Deus benedictus in saecula.* Roman. 9.

Vicesimumquintum : Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset , non rapinam arbitratus est , esse se aequalem Deo , sed semetipsum exinanivit , formam servi accipiens.* In his enim verbis , sicut *forma servi* naturam significat humanam : ita *forma Dei* Naturam Divinam. Et ne quis Arianus Naturam Divinam Christo dicat attribui , secundum imperfectam quamdam participationem , addit Apostolus , quod ei non rapina sit , ut olim Diabolo , esse aequalem Deo , cum id a natura possideat.

Vicesimumsextum : Hebr. 1. Christo haec tribuuntur : *Et adorent eum omnes Angeli Dei . . . tu in principio , Domine , terram fundasti , & opera manuum tuarum sunt Coeli : ipsi peribunt , tu autem permanebis.* Et iterum : *Tu autem idem ipse es.* Psal. 96. & 101. Quibus locis , ea constat dicta esse de uno vero Deo.

Vicesimumseptimum : 1. Joan. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei , quoniam ille animam suam pro nobis posuit : quod non potest , nisi de Christo intelligi.*

Vicesimumoctavum : 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Coelo , Pater , Verbum , & Spiritus Sanctus , & hi tres unum sunt.* Qui locus similis est illi : *Ego & Pater unum*

sumus. Nec obstat, quod mox ibidem similiter dicitur de Spiritu, Aqua, & Sanguine: *Et hi tres unum sunt*. Hoc enim in multis codicibus Latinis non legitur. In Graecis autem legitur hoc modo: *Et hi tres ad unum sunt*, idest, in unum testimonium conspirant. Qua ratione etiam possent dici esse unum, secundum Vulgatos codices. De qua re diximus ad Distinctionem quintam, in refutatione erroris Abbatis Joachim.

Vicesimumnonum: Ibidem in fine: *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus & vita aeterna*. Atqui verus Deus unus est, Christo testante Jo. 17. *Ut cognoscant te solum verum Deum*: Christus ergo est unus ille Deus.

Tricesimum: Apocal. 1. 21. & 22. Christus vocatur *a* & *o* principium & finis, primus & novissimus. Quae epitheta sunt unius veri Dei apud Isaiam 41. 44. & 48. Ibidem cap. 2. Christus dicit: *Ego sum scrutans renes & corda*. Hoc autem Scripturae soli Deo faciunt proprium, locis ibi ad marginem notatis.

Tricesimumprimum. Apoc. 20. *Erunt Sacerdotes Dei & Christi*: ergo Christus est verus Deus. Nam Sacerdotes, templum, altare, sacrificium soli constituuntur vero Deo. Atque haec ex Scriptura Sacra pro Divinitate Filii Dei testimonia sufficiant, simul accedente perpetua fide totius Ecclesiae in Conciliis plenariis, Nicaeno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, Lateranensi, multisque aliis probatis Synodis contra diversas Haereses tradita & declarata, omniumque Sanctorum Patrum sententiis, atque unanimi consensu confirmata.

Possent ad pleniorum hujus rei probationem insuper adduci argumenta quamplurima, ex nominibus & proprietatibus veri Dei Christo in Scriptura attributis, & ex operibus ejus Divinis. Item praeter testimonia Patrum, etiam Sanctorum Martyrum confessiones apud Judices Ethnicos. Cujusmodi est, quod Plinius Junior in *Epist. ad Trajanum* scribit, Christianos habita quaestione confessos esse, quod

statis diebus carmen Christo, quasi Deo dicerent. Praeterea Sibyllarum Oracula, quae usque hodie extant, Prophetarum vaticiniis non minus aperta & illustria. Denique miracula pro confirmatione hujus fidei edita. Sed ne justo prolixiores simus, haec aliunde petenda relinquimus, iis quae jam allata sunt contenti; praesertim cum fidem 318. Patrum Concilii Nicaeni, qua Filium Patri, ὁμοουσιον, idest, *consubstantialem* praedicarunt, non modo omnes Catholici, verum etiam Lutherani & Calviniani contra novos Arias & Samosatenos, tenere atque amplecti se profitentur. Sed cur potius dixerunt ὁμοουσιον quam ὁμοουσιον vel ἑουσιον; an quia ὁμοουσιον significationem usitatorem habet parum honestam, significat enim concubitus. Alioqui sane tam bene Graece diceretur συουσιος quam Latine *consubstantialis*; ἑουσιος autem, idest, *unisubstantialis* non importat relationem ad aliam personam, sed eum significat qui est ejusdem substantiae non plurium; quomodo male Eutyches Christum fecit ἑουσιον, unius, inquam, *substantiae*, sive cum alio, sive non. Esset enim Deus ἑουσιος; etsi non essent plures personae; sed non esset ὁμοουσιος, idest, *consubstantialis*: hoc enim dicitur ad alium, cum quo substantiam habeat eandem. Sciendum autem utroque modo recte dici secundum Graecos ὁμοουσιος & contracte ὁμοουσιος. Quod quidem posterius Latinis auctoribus magis est usitatum, ut Filium Dei dicant ἑουσιον Patri. At ὁμοουσιος, idest, *similis substantiae* cum Patre non est dicendum, cum sit substantiae prorsus ejusdem; similitudo enim est inter plura. Sed de hac re ad Distinctionem 31. συουσιος vero dicitur, qui cum alio est ejusdem substantiae seu naturae, etiam genericae vel specificae tantum. Unde homines inter se sunt συουσιος; ὁμοουσιος autem qui cum alio est ejusdem naturae individuae. Unde Christus: ὁμοουσιος Patri, συουσιος Matri: tametsi quidam etiam, forte non satis proprie, neque secundum significationem a Patribus Nicaenis intentam, vocent ὁμοουσιου Matri.

§. IX.

Responsio ad quasdam in contrarium objectiones.

S. Thom. 1. part. q. 39. art. 2. Item
q. 42. art. 2. 4. & 6.

Superest, ut ad argumenta, quae superiori doctrinae solent opponi, respondeamus. Sunt autem haec fere.

Primum: Joann. 14. Christus ait: *Pater major me est*: ergo Filius nec ejusdem est essentiae cum Patre, nec unus Deus cum Patre, nec omnino Patri aequalis, sed minor Patre. Verum de intellectu hujus sententiae, secundum diversas Patrum expositiones, dicetur opportunius infra *ad distinct.* 16. Nunc breviter respondere possumus: hoc Christum de se locutum fuisse secundum humanitatem, qua sine dubio Patre minor erat.

At dies: Saltem juxta illos Patres, qui illud dictum accipiunt de Christo secundum Naturam Divinam, quam a Patre habuit ut principio, consequens erit, Patrem secundum aliquid in Divinis Filio majorem esse. Quare non erit Filius secundum eandem naturam Patri per omnia aequalis, ac proinde nec consubstantialis. Respondetur, etiam illorum expositionem non obstare, quo minus sit Filius Patri per omnia aequalis secundum naturam, sive quoad ea, secundum quae spectari & sumi debet aequalitas proprie dicta, quae non sumitur a relatione originis, qua sola consideratione Patrem Filio majorem esse conceditur in Divinis; sed a quantitate, seu magnitudine, quae complectitur sola attributa essentialia, & omnino ab iis, quae in Deo absolute dicuntur, ut sunt potentia, sapientia, bonitas &c. secundum quae Pater non est Filio major.

Secundum: Joann. 17. dicit Christus ad Patrem: *Ut cognoscant te solum verum Deum*: ergo solus Pater est Deus verus, non autem Filius. Respondent quidam truncate citari hanc Scripturam: addendum enim esse, quod sequitur, & quem

quem misisti Jesum Christum, ut sit sensus: *Cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum solum esse verum Deum.* Verum hac ratione nondum tollitur difficultas, saltem enim sequetur excludi Spiritum Sanctum a vera Divinitate, quia ille non est ibi nominatus: quem si dicas comprehendi nominato Patre, & Filio; dicam & ego comprehendi Filium nominato Patre. Proinde aliter & rectius respondetur, in hac sententia solum Patrem dici verum Deum, non tamen cum exclusionem Filii, & Spiritus Sancti, sed ejus tantum, quod aliud est, idest, natura diversum, ut plenius declarabitur *ad distinct.* 21. Addit autem: *Et quem misisti Jesum Christum,* ut significaret non sufficere fidem in Deum unum, & trinum, sed praeterea necessarium esse, ut mediator agnoscat Jesus Christus.

Tertium: Paulus passim in Epistolis solum Patrem vocat Deum, Christum autem vocat Dominum, ut fere initiis Epistolarum. Item 1. Corint. 8. cum ait: *Nobis unus est Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia.* Et Eph. 4. de Patre dicit: *Unus Deus & Pater omnium.* De Christo: *Unus Dominus.* Et 1. Timoth. 2. *Unus enim Deus,* hoc de Patre, deinde addit: *Unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Ad hoc bene respondent Hilarius & Ambrosius. Si ex ejusmodi Scripturis consequens sit Filium non esse Deum, etiam consequens fore Patrem non esse Dominum: quia sicut Pater ibi vocatur Deus tacito Filio, ita Filius vocatur Dominus tacito Patre. Dicendum igitur in Patre intelligi totam Trinitatem, in qua nullum est essentiae discrimen; Filium autem propter beneficium Redemptionis peculiariter in Scriptura Novi Testamenti vocari Dominum, etiam secundum humanam naturam. Jure enim ac merito Dominus noster dicitur, qui pretio sanguinis sui nos redemit.

Quartum: 1. Cor. 15. Apostolus Filium subjicit Patri dicens: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Respondetur, hoc quoque dictum propter humanitatem Christi, quae non tantum usque ad diem Judicii,

verum & deinceps in aeternum , ut creatura subjecta erit Patri , immo toti Trinitati.

Quintum : Filius Dei in Sacris Literis utriusque Testamenti saepe dicitur *creatus* , & *factus* , ut Ecclesiastici 24. *Tunc dixit mihi Creator omnium* , inquit sapientia Divina : & *qui creavit me requievit in Tabernaculo meo*. Et iterum : *Ab initio* , & *ante saecula creata sum*. Et Prov. 8. secundum 70. *Dominus creavit me initio viarum suarum*. Item Joann. 1. *Qui post me venit , ante me factus est*. Act. 2. *Certissime sciat omnis domus Israel , quia & Dominum & eum , Christum fecit Deus , hunc Jesum , quem vos crucifixistis*. Col. 1. *Primogenitus omnis creaturae*. Heb. 1. *Tanto melior Angelis effectus , quanto differentius prae illis nomen haereditavit*. Hebr. 3. *Considerate Pontificem confessionis nostrae Jesum , qui fidelis est ei , qui fecit illum*. Sed respondetur , has Scripturas partim loqui de aeterna generatione Filii Dei , sub nomine Creationis ; partim de temporali productione naturae ejus humanae , vel de collatione dominii vel sacerdotii , sive alterius cujuscumque praecminentiae , quam habet secundum humanam naturam. Et quidem Ecclesiastici 24. *Creationis* nomen in genere productionem rei significat secundum substantiam. Nam & apud Latinos auctores creare , & procreare liberos dicuntur , qui generant. Qua ratione Filius Dei recte creatus , idest , procreatus seu progenitus dicitur a Patre. Quomodo etiam Psalmo 101. dictum : *Populus qui creabitur , laudabit Dominum* , idest , *qui nascetur* , sicut canitur in alio Psalmo : *Populus , qui nascetur , quem fecit Dominus*. Item responderi potest de loco Prov. 8. tametsi probabilius est 70. non vertisse *creavit* , sed *possedit* , ut habetur in Hebraeo , quae duae voces in Graeco una tantum littera differunt. *Possedit* etiam pro *genuit* etiam alibi legitur in Scriptura , ut Gen. 4. *Possedi hominem per Deum*. Et Deuter. 32. *Nonne ipse est Pater tuus , qui possedit te ?* Locus autem Joann. 1. hunc habet sensum : *Jesus qui post me venit humanitate , mihi praelatus est dignitate , quia major me erat Divinitate*. Sic Augustinus in Joannem Tract. 14. & Beda in Homilia de Epiph. Domini. Porro Act. 2. non absolute dicitur

citur Deus fecisse Jesum , quamquam id convenienter intelligi poterat secundum humanitatem , qua ratione etiam creatura dicitur Christus interdum a Patribus ; sed quod fecerit eum Dominum , & Christum ; quod utrumque factum est in ipsa Verbi Incarnatione. Tunc enim & unxit eum Pater Spiritu Sancto , & Dominum humani generis eum constituit jure Redemptionis jam tunc inchoatae. Dicitur quoque Christus Col. 1. *Primogenitus omnis creaturae* , non quia prima est creaturarum , & proinde creatura ; sed quia genitus est priusquam ulla fieret creatura. Sic enim loquitur Dei Sapientia Ecclesiastici 24. *Ego ex ore Altissimi prodivi , primogenita ante omnem creaturam* : Qui locus est explicatio quaedam istius. Ad locum qui est Heb. 1. responderet , Christum effectum Angelis meliorem , idest , honoratorem in carne assumpta , quia post ejus passionem toti mundo coepit innotescere hominem esse Filium Dei. Denique quod dicitur Hebr. 3. *Qui fecit illum* , intellige Pontificem. Hoc enim Christus ab aeterno non fuit , sed in tempore factus est.

Sextum argumentum Marci 13. *De die illo nemo scit neque Angeli in Coelo , neque Filius , nisi Pater* : Atqui non cadit in verum Deum aliquid ignorare. *Respondeo* , id dici de Filio , quatenus homo est , ut multa alia in Evangeliiis. Quomodo autem , quatenus homo diem illum ignoraverit , explicandum in Tertio Sententiarum , ubi de scientia animae Christi agitur.

Septimum : Act. 20. *Beatius est magis dare , quam accipere* : cum ergo dare sit Patris , accipere Filii , consequens est Patrem Filio beatiorem ; & proinde Filium non esse Patri aequalem. Confirmatur hoc argumentum ex eo , quod Patres hanc sententiam aliquando efferunt his verbis : *Major est qui dat , quam qui accipit*. Sic enim citata leguntur in testamento Sancti Ephrem Diaconi *apud Surium Feb. 1. Respondeo* , sententiam accipiendam de eo , qui dat indigenti , sive ei , qui erat in potentia ad recipiendum. At Filius numquam fuit in potentia , sed semper actu. Quare nec ei tamquam indigenti dedit , aut dare potuit Pater : siquidem Filius

lius quaecumque habet , ab aeterno immutabiliter accepit & habuit a Patre.

Octavum : Apoc. 5. *Dignus est Agnus , qui occisus est , accipere Divinitatem* , &c. At Deus verus non accipit ex merito Divinitatem , sed habet ex natura. *Respondetur* , sensum esse , quod Christus meruerit per passionem suam ut Divinitas , quam habebat ab aeterno , veniret in notitiam & manifestationem hominum. Et tamen sciendum in Graeco non legi Divinitatem , sed *πλοῦτος* , idest , divitias. Quomodo inter Latinos etiam legit Primasius ; quae lectio significat Christum meruisse , ut secundum hominem obtineret universale dominium omnium rerum , saltem quoad actum & possessionem , seu potestatis executionem.

Nonum : Hilarius *in libro de Synodis* , dicit : Filium esse Patri *subiectum* ; loquens de Filio , secundum superiorem naturam. *Respondeo* , subjectionem ab Hilario non aliam intelligi , quam quae consistit in eo , quod Filius per omnia sequatur voluntatem Patris , ut ipse de se in Evangelio testatur. Hoc autem qui facit inter homines , is alteri subiectus dicitur. Hunc sensum satis ostendit loci contextus.

Decimum : Idem Hilarius *eodem libro* , dicit , quod *Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus sunt quidem per substantiam tria , per consonantiam vero unum* : ergo Filius non est Patri consubstantialis. Respondetur , *substantiam* Hilario esse , quod Graeci vocant *hypostasim* , idest , suppositum , si ve personam. De quibus vocabulis infra *ad distinct.* 23. Dicit autem esse unum per *consonantiam* , idest , per convenientiam naturae.

Undecimum : Augustinus lib. 15. *de Trin. cap. 14.* dicit , Filium esse essentiam de essentia ; non ergo habet eandem numero essentiam cum Patre. Verum hujusmodi locutiones quo sensu sint accipiendae jam supra diximus ad *Distinctio-* nem quintam.

Postremum : Socrates lib. 3. *Hist. Eccl. cap. 5.* & post eum Nicephorus lib. 10. *cap. 5.* referunt , Synodum Alexandrinam sub Athanasio statuisset , non esse opus in Deo vocabulis substantiae , & subsistentiae , eo quod ejusmodi vo-

cabula in Literis Sacris nusquam extent : Nicaenam quoque Synodum quaestionem de substantia , & subsistentia indignam judicasse , de qua tractaret. *Respondeo* , quod adhuc eo tempore propter Arianorum versutiam , qui ex vocabulis ambiguae significationis insidiabantur Catholicae doctrinae , suspectum erat Graecum nomen *ὑπόστασις* , quod per illud alii substantiam , idest , essentiam ; alii subsistentiam , idest , personam intelligebant ; ideoque durante illa vocis ambiguitate , satius visum fuit ab ea prorsus abstinere : postea vero distinctionis causa datum est illud nomen personae , ut tres hypostases tres personae , non substantiae intelligerentur. Unde & Hieronymus super eadem voce Damasum Romanum Pontificem per Epistolam consulendum putavit ; videlicet metuens , ne quod in verbo venenum lateret ; ideoque usurpare illud non ausus , donec de ejus significato , semota ambiguitate , certius esset a Sede Apostolica instructus.

IN DISTINCTIONEM DECIMAM.

§. III.

Nomen Spiritus Sancti quid significet?

S. Thom. 1. part. quaest. 36. art. 1.

Tertia in Trinitate persona , de qua nunc deinceps cum Magistro per aliquot distinctiones agendum est , proprio nomine Spiritus Sanctus appellatur ; tametsi nomen hoc ei competat non tam ex vi , & proprietate vocis , quam ex usu Scripturae , ac totius Ecclesiae. Nam spectata significatione , quae huic voci competeret , ratione partium ex quibus est composita , tota Trinitas , & unaquaeque Persona Spiritus est Sanctus , & vocari posset uno composito nomine Spiritus Sanctus. Siquidem hoc vocabulum Spiritus partim subtilitatem & immaterialitatem , partim motionem , impulsionem , atque agendi vehementiam importat , praeser-

sertim apud Hebraeos רוח ; haec autem Deo maxime, & proprissime conveniunt; est enim Dei simplicissima, & a materia remotissima Natura, estque eadem purus, & perpetuus actus, & omnium rerum efficacissima causa. Hinc etsi nomen Spiritus dicatur & de creaturis incorporeis Angelo & Anima, & de nonnullis corporeis, utpote subtilioribus, ut aëre & vento; & apud Ecclesiasten 3. non tantum legamus Spiritum hominum, sed & Spiritum jumentorum; perfectissime tamen in Deum competit. Unde Christus ait Joann. 4. *Spiritus est Deus*. Et Apostolus 2. Cor. 3. *Dominus est Spiritus*. Similiter Sanctum esse, idest, purum ab omni labe immunditiae, participatione quidem aliqua creaturis; essentialiter autem convenit Deo, juxta illud Levit. *Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus Deus vester*. Potest ergo etiam creaturis quibusdam utrumque tribui suo modo, ut Sancti Spiritus dicantur. Nam illi Spiritus, quibus dicitur: *Benedicite Spiritus & animae iustorum Domino*, sine dubio Sancti sunt: sed essentialiter & perfectissime solus Deus est Spiritus Sanctus. Idque toti Trinitati commune est, si vocis significationem ex utraque sui parte aestimemus. Unaquaeque enim Persona Spiritus est, & unaquaeque Sancta.

Ceterum usu fidelium proprie tribuitur hoc nomen tertiae Personae, sumiturque incomplexè, ut partium ex quibus compositum est, per se ratio non habeatur. Quomodo & in Scriptura interdum accipitur, ut Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Joann. 14. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, &c.* 1. Joan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*. Et Psalmo 50. *Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me*. Cur autem hoc nomen ita sit accommodatum tertiae Personae, ut factum sit ei proprium, duae rationes adferri possunt. Una, quia ut ait Augustinus lib. 5. *de Trin. cap. 11. & lib. 15. cap. 19.* congruebat, ut tertia Persona, quae a duabus communiter procedit, eo nomine vocaretur proprie, quo duae illae vocantur communiter. Altera, quia Spiritus Sanctus

ctus procedit per modum amoris, ut infra declarabitur. Qui autem se mutuo amant, unum spiritum habere dicuntur, juxta illud Apostoli Eph. 4. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Unde & de Martyribus in officio Divino canitur: *Perstiterunt in amore fraternitatis, quia unus fuit spiritus in eis.* Praeterea cum amor vim habeat impellendi amantem in rem amatam (trahit enim unumquemque suus amor, & sua voluptas) Spiritus autem impulsionem quamdam importet, ut dictum est; inde fit, ut ea persona, quae ad instar amoris procedit, Spiritus Sanctus proprie vocetur, velut quae suo impulsu & inspiratione auctor sit omnis sanctificationis. Unde Apostolus Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Quod enim in nomine Spiritus etiam Deo attributi, motio seu impulsio quaedam intelligatur, ex aliis Scripturae locis manifestum est. Nam Matth. 4. *Jesus a Spiritu ductus dicitur in desertum;* pro quo Marci 1. legitur: *Et statim Spiritus expulit eum in desertum.* Item Act. 8. Spiritum Domini rapuisse Philippum dicitur, & transtulisse in alium locum; sed & Spiritum Dei irruisse in homines ad aliquid agendum, frequenter in Scriptura legimus. Quoniam autem impetus ille seu motio, semper est ad aliquid Sanctum & Divinum; hinc eadem illa Persona non tantum Spiritus, sed & Spiritus Sanctus convenientissime nominatur. De qua re videatur S. Thomas 1. p. q. 36. art. 1. & aliis locis ibidem ad marginem notatis.

§. II.

Quis sit modus processionis Spiritus Sancti ex Patre, & Filio.

S. Thom. 1. part. q. 27. art. 3. & 41.

Item q. 36. art. 1. & 4.

AD intelligentiam mysteriorum Summae ac Divinae Majestatis nihil aequè homini inter omnes res creatas adminiculo est, atque consideratio ipsius hominis, secundum

partem ejus nobiliorem, idest, animam intellectivam, quae sicut & Angelica creatura impressam sibi gerit imaginem Dei, juxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quae cum sit vox Trinitatis, ut supra ostendimus *ad distinct.* 2. Trinitatis quoque imaginem homini inditam esse significat. Quod etiam ex parte *ad distinct.* 3. declaratum est.

Ut igitur ex hac imagine inspecta modum processionis Spiritus Sancti aliquousque percipiamus, sciendum, praeter eas actiones ab anima procedentes, quae foris exercentur, & circa exteriora versantur, cujusmodi sunt loqui, videre, ambulare, aedificare, in quibus est quaedam similitudo operationum Dei, quae vocantur *ad extra*; esse in anima duplicem actionem, quam vocant *immanentem*, idest, in externam materiam non tendentem, nimirum intelligere & velle, quibus etiam respondet duplex processio manens in mente, quam Scholae Doctores vocant *processionem ad intra*. Nam eo ipso, quo animus intelligit rem quampiam, producit, & quodam modo procedit intra ipsum notitia rei intellectae, quam notitiam vocamus verbum mentis. Ac rursus eo ipso, quo animus vult aliquid, procedit intra ipsum amor rei volitae. Procedit autem utraque actio a mente, tamquam ab uno principio; sic tamen, ut posterior illa, quae est actio voluntatis, procedat a mente per actionem priorem, idest, amor per notitiam.

Ad eundem fere modum imaginari licet in Natura Divina duplicem actionem immanentem, intelligere scilicet & amare, quibus similiter respondeat duplex processio, altera per modum intellectus, altera per modum voluntatis; Pater enim ab aeterno semetipsum intelligendo gignit Verbum sibi aequale & coaeternum. Idem vero ab aeterno amando Filium, & vicissim Filius amando Patrem, produciunt ambo Spiritum Sanctum sibi aequalem & coaeternum. Quae tamen imaginatio quomodo sit accipienda, ut veritati tanti Mysteriorum respondeat, amplius in progressu patebit, & maxime ex iis, quae dicuntur *ad distinct.* 13. 27. & 32. Potest etiam ad hanc rem adhiberi similitudo, tametsi remo-

tior, petita ab iis rebus, quae non imaginem Trinitatis, sed ejus vestigium dumtaxat in se habent. Qualis est, quae sumitur a Sole, qui splendorem, & hoc mediante calorem a se producit; sic enim a Patre per Filium procedit Spiritus Sanctus. Etenim sicut Filius splendori propter sapientiam: ita Spiritus Sanctus calori propter charitatem recte comparatur. Verum omnes hujusmodi similitudines, quamvis non nihil adjuvent nos ad concipiendum modum aliquem geminae processionis in Divinis, nequaquam tamen ejus perfectionem & proprietatem assequuntur. In his enim accidentium est processio, ibi personarum, quae eandem cum illo a quo procedunt, ipsa processione naturam atque dignitatem obtinent. Denique quantum a Creatore distat creatura, tantum haec absunt a perfecta repraesentatione ejus, ad quod declarandum tamquam similitudines quaedam assumuntur. Porro discrimen quod est inter generationem Filii, & processionem Spiritus Sancti, plenius explicabitur infra *ad distinct.* 13. Tantum hoc adjicimus, processionem Spiritus Sancti proprium nomen non habere; sed appropriato sibi communi nomine vocari processionem; cum alioqui etiam generatio sit quaedam processio, dicente Filio de se Joann. 8. *Ego ex Deo processi.* Et Ecclesiastici 24. sub nomine Sapientiae Dei: *Ego ex ore Altissimi prodivi.* Relationes quoque, quae secundum hanc tertiae Personae processionem sumuntur, nominibus spirationis, ac processionis significari solent; tametsi videntur ea vocabula magis actus notionales significare, quam relationes: sicut enim Spiritus Sanctus procedere, ita Pater & Filius spirare dicuntur. Alii has relationes vocant spirationem activam & passivam. Quod conforme est verbis Augustini, qui *Epist.* 174. Spiritum secundum id quod ad aliquid refertur, Spirantis esse dicit; & Spirantem spiritu spirare. Cui consonum est, quod S. Thomas dicit 1. p. q. 38. art. 1. ad 2. posse intelligi in nomine Spiritus Sancti aliquam relationem, si Spiritus Sanctus intelligatur quasi spiratus.

§. III.

Amor seu Charitas in Divinis quomodo accipiatur.

S. Thom. 1. part. q. 37. art. 1.

HAec vocabula *amor*, *dilectio*, *charitas*, in Divinis usurpata interdum essentialiter accipiuntur, ut communia sint toti Trinitati, sicut cetera attributa essentialia. Quamquam hoc modo accepta plerumque appropriantur, idest, peculiari modo adscribuntur Spiritui Sancto; sicut nomen *Sapientiae*, licet revera toti Trinitati commune sit, appropriatur tamen Filio; quemadmodum plenius docebitur ad *distinct.* 34. Hac igitur acceptione Pater *charitas* est, & Filius *charitas*, sed peculiari ratione Spiritus Sanctus *charitas* dicitur; tum quia procedit instar amoris, ut jam dictum est; tum quia in opere conversionis & sanctificationis hominum, quod Scriptura Spiritui Sancto peculiariter attribuire solet, singularis erga homines apparet Dei charitas teste Apostolo Eph. 2. cum ait: *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, convivificavit nos, &c.* Tum vero, quia charitatem, qua nos Deum diligimus, tamquam praecipuum nostrae sanctificationis effectum, Scriptura Spiritui Sancto tribuit auctori *Roman.* 5. Alias autem sumuntur eadem illa vocabula personaliter, ut videlicet iis significetur persona procedens per modum amoris, cum respectu ejusdem personae ad suum principium; sicut nomine Verbi significatur persona procedens per modum verbi mentalis, cum relatione ad id unde procedit. Hac igitur acceptione significant haec vocabula tertiam in Deitate personam, non tantum *appropriate*, ut loquuntur, sed *proprie*, ut unumquodque eorum sit nomen personale competens Spiritui Sancto, sicut *Verbum* Filio.

Verum haec significatio vocibus illis convenit, non tam ex ipsarum vi, & proprietate, quam usurpatione eorum, qui Theologiam via, & ratione tradiderunt, secundum quos
 III. 2. etiam

etiam amare seu diligere personaliter, seu potius notionaliter sumpta significant idem quod spirare, ut amare sit amorem producere, & hoc rursus non aliud sit, quam producere personam per modum amoris procedentem. Haec autem a Doctoribus non temere sic usurpata sunt, sed ex analogia superius explicata, quam amor habet cum Verbo. Quod quidem *Verbi* nomen Filio proprium esse, manifestum est ex Scripturis; sed de ea re infra *ad dist.* 27. Utrum autem dicendum Patrem, & Filium se mutuo diligere Spiritu Sancto, quod ex supradictis consequens videtur, tractabitur ex professo *ad distinct.* 32.

§. IV.

Quo sensu Scriptura Deum charitatem vocet.

S. Thom. 1. part. qu. 37. art. 1.

EX Scriptura Sacra doceri non potest charitatis nomen, ita proprie competere Spiritui Sancto, sicut Filio legitimus attributum *Verbi* nomen, idest, tamquam nomen personale. Docet quidem Augustinus lib. 15. *de Trin. cap. 17.* & *Tract.* 7. in 1. *Epist. Joan.* Illud Joan. 4. *Charitas ex Deo est.* Et rursus: *Deus charitas est*, proprie pertinere ad Spiritum Sanctum, qui Deus est ex Deo, de quo ibidem paullo post sequitur: *quoniam de spiritu suo dedit nobis.* De quo etiam Rom. 5. scriptum est: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* At non vult iis locis Augustinus hoc esse Spiritus Sancti nomen proprium, sed tantum docet, ita proprie seu peculiariter ei hoc nomen tribui, sicut Filio tribuitur sapientia: nimirum *per appropriationem*, ut vocant Scholastici. Nam sane constat Augustinum cum alibi, tum loco jam memorato, scilicet lib. 15. *de Trin. cap. 17.* & 19., nomen charitatis in Divinis agnoscere, & usurpare, tamquam essentielle nomen, quomodo certum est nomen Verbi, nec in Scriptura, nec a Patribus usurpatum fuisse: quod proinde proprium tantum-

modo est, non autem ex communi appropriatum, sicut charitatis nomen, & alia multa. Itaque non similiter se habet nomen amoris, seu charitatis ad tertiam Personam, quomodo Verbum ad secundam, si respiciamus ad usum loquendi Scripturae, & Sanctorum Patrum; tametsi, ut jam dictum est, Scholarum usu receptum sit, ut Spiritui Sancto, tamquam proprium nomen tribuatur.

Ceterum, quod ad locum Joannis attinet, quem Augustinus de charitate increata, quae Deus est, interpretatur, melius fortassis juxta aliorum interpretationem, prius illud, quod dicitur, *charitas ex Deo est*, de creata charitate intelligitur. Hortatur enim Apostolus fideles, ut diligant invicem hac ratione, quia charitas, seu dilectio (sic enim assidue legit Augustinus) ex Deo est, idest, amor fraternitatis singulare Dei donum est; ideoque merito a nobis amplectendum, & exercendum. Quod autem statim sequitur, & secundo repetitur: *Deus charitas est*, quamvis nonnulli conformiter de creata charitate dictum putent hoc sensu: ex Deo charitas est, vel Deus charitatis auctor, & donator est: quo sensu Psalmista dixit: *Dominus fortitudo mea, illuminatio mea, salus mea*. Psal. 17. & 26. Nam illud, quod pro exemplo adferre solent ex Psal 70. *Tu es patientia mea*, magis videtur objective dictum, sicut illud, *Tu es spes mea*, & *Tu es expectatio mea*, Ps. 38. ut sit sensus: tu es ille, quem sustineo, & patienter expecto. Rectius tamen proprio sermone dictum accipitur, quomodo dictum est, *Deus spiritus est*, quomodo etiam dici potuit, *Deus bonitas est, Deus sapientia est*; ut sit nomen essentielle toti Trinitati commune, neque hoc loco peculiariter, ne quidem secundum appropriationem ad certam personam respiciatur. Sensus igitur hic erit: Deus per essentiam est charitas, & proinde fons omnis charitatis creatae. Quo circa, si in mutua, ac fraterna charitate manemus, ostendimus nos in Deo manere, & Deum in nobis, quia tantum bonum non aliunde, quam ab illo fonte hauriri potest.

An autem charitatis nomen alibi in Scripturis certae personae approprietur, non liquet. Neque enim illud quod Co-

los. 1. de Patre dicitur : *Transtulit nos in Regnum Filii dilectionis suae*, sive ut Augustinus legit *charitatis suae* : arguit Patrem quoque peculiariter, & appropriate dici charitatem eo quod Filius non sit nisi Patris, quamvis id urgeat Augustinus lib. 15. *de Trin. cap. 19.* verbis a Magistro indicatis ult. §. Non arguit, inquam, tum quia Filius charitatis seu dilectionis phrasi Hebraica dictum est, pro eo quod diceretur Filius dilectus; sicut Filius perditionis dicitur homo perditus, aut perditioni destinatus, quemadmodum Theophylactus annotavit; tum quia non simpliciter dixit Apostolus Filium charitatis, sed charitatis suae, idest, ipsius Patris. Quod non alium commodum sensum habere potest, quam ut intelligatur Filius ab ipso Patre dilectus. Nam ut Pater dicatur charitas suiipsius, quamvis id vere dici posse non negamus, a consuetudine tamen Scripturae videtur alienum. Porro extra Scripturam reperimus charitatis nomen Patri appropriatum, ut in Officio Ecclesiastico de Sancta Trinitate, in quo sic canitur : *Charitas Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus Sanctus.* Quod sumptum videtur ex 2. Cor. 13. ubi dicitur : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus, &c.* Verum ibi Patrem Apostolus non vocat charitatem, sed Dei Patris charitatem precatur Corinthiis. Hujus autem appropriationis ratio est, quia ut dicitur Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.*

§. V.

Spiritum Sanctum vere & proprie Deum esse.

S. Thom. 1. part. q. 27. art. 1. in corp. Item q. 39. art. 2. & q. 42. art. 1. 2. & 6. Ex professo lib. 4. contra Gentes cap. 16. & seqq.

Quicumque Haeretici Filium Dei vere & proprie Deum esse negaverunt, iidem simul etiam Spiritui Sancto veri nominis Deitatem subtraxerunt. Cum enim Matth. ult. Spi-

Spiritus Sanctus in ordine trium Personarum manifeste postponatur Filio, non putaverunt tribui posse tertiae personae excellentiam naturae, quae de secunda negabatur; praesertim cum doctrinam, quae alicui personae praeter Patrem adscribit Divinitatem, existimarent adversari Fidei nostrae, qua unum solum Deum credimus & confitemur. Itaque omnes Ariani, sicut de Filii, ita & de Spiritus Sancti Divinitate male senserunt, ut aperte testatur Augustin. *Haeres. 49. quae est Arianorum.* Fuere tamen contra, qui Filium proprie Deum agnoscentes, in tertiam personam, idest, in Spiritum Sanctum offenderent, ut Macedoniani, de quibus August. *Haeres. 52. : Macedoniani, inquit, de Patre, & Filio recte sentiunt, quod unius sint ejusdemque substantiae, vel essentiae: sed de Spiritu Sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hos potius quidam Semi-Arianos vocant, quod in hac quaestione ex parte cum Arianis sint, ex parte nobiscum.* Sic ille. At hodie nulli sunt pure Macedoniani, quia quicumque Spiritum Sanctum negant Deo Patri coessentialem esse: iidem negant etiam de Filio, quod utrumque aequè existiment repugnare unitati essentiae Divinae. Itaque nunc breviter, & potissimum ex Scriptura probandum erit, Spiritum Sanctum vere Deum esse, eundemque Patri, & Filio consubstantialem. Sunt igitur haec praecipua Scripturae testimonia.

Primum: Sap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & continet, idest, conservat omnia.* Hoc autem utrumque solius Dei est.

Secundum: Ibidem de Spiritu Domini dicitur: *Renum hominis testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus.* In qua sententia, non modo Deus, idemque verus vocatur Spiritus Sanctus, sed etiam id ei tribuitur, quod alia multa Scripturae loca testantur solius esse Dei, nempe scrutari renes & corda.

Tertium: Sap. 7. Spiritui Divino inter alia tribuitur, quod sit omnem habens virtutem, hoc est omnipotens: item quod sit omnia prospiciens, idest, omnium etiam futurorum habens notitiam. Haec autem citra controversiam proprietates sunt Divinae.

Quartum : 2. Reg. 23. David Spiritum Domini Deum vocat , dicens : *Spiritus Domini locutus est per me ; dixit Deus Israel mihi.*

Quintum : Psalm. 32. *Verbo Domini coeli firmati sunt , & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et Job 33. *Spiritus Dei fecit me.* Atqui creationis opus solius est Dei.

Sextum : Psalm. 139. *Quo ibo a Spiritu tuo ? Est ergo ubique Spiritus Dei , ac proinde Deus.*

Septimum : Isai. 48. verba Christi sunt : *Dominus Deus misit me , & Spiritus ejus.* Et cap. 51. *Spiritus Domini super me , evangelizare pauperibus misit me :* atqui Christum mittere nemo ex auctoritate potuit , nisi Deus. Unde & Deo Patri passim in Scriptura Novi Testamenti tribuitur , quod *misit Filium suum in mundum.* Est ergo Spiritus Sanctus verus Deus Patri aequalis.

Octavum : Prophetae cum annuntiarent populo , quae sibi revelata erant , dicebant : *Haec dicit Dominus Deus.* Idem autem Dominus Deus erat Spiritus Sanctus , dicente Petro 2. Epist. 1. *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Unde Zacharias in Cantico Lucae 1. eum qui locutus est per os Prophetarum , idest , Spiritus Sanctus , aperte vocat Dominum Deum Israel. Et quod Isaias cap. 6. dicit sibi dictum esse a Domino exercituum , qui titulus est solius veri Dei : idipsum Actor. ult. Spiritui Sancto attribuitur his verbis : *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam dicens , &c.*

Nonum : Matth. 12. & Marci 3. blasphemia in Spiritum Sanctum tamquam in Deum prolata , opponitur blasphemiae in Filium hominis , qui ut talis , non est Deus.

Decimum : Ibidem Dominus dicit : *Si ego in Spiritu Dei ejicio daemonia.* Et Apostolus Hebr. 2. omnia miracula , quae fiebant per Apostolos , vocat Spiritus Sancti distributiones. At solius Divinae potestatis est miracula facere.

Undecimum : 1. Cor. 6. *Membra vestra , ait Apostolus , templum sunt Spiritus Sancti.* Templum autem proprie solius est Dei. Unde ibidem subditur : *Glorificate , & portate Deum in corpore vestro , idest , ipsum Spiritum Sanctum , cujus templum sunt corpora vestra.*

Duodecimum : 1. Corinth. 12. Divisiones gratiarum , & operationum , & quorumcumque donorum Dei tribuuntur auctori Spiritui Sancto , qui ibidem & Dominus , & Deus vocatur : *Operatur omnia in omnibus dividens singulis prout vult.* Quae omnia solius Dei sunt.

Decimumtertium : 2. Cor. 3. *Cum conversus fuerit ad Dominum , auferetur velamen , Dominus autem Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini , ibi libertas.* Quibus verbis significat Apostolus , Spiritum esse Dominum illum ipsum , de quo dixerat : *cum conversus fuerit ad Dominum , ac nihilominus illum esse Domini Spiritum.* Est igitur idem ipse Spiritus Dei simul & Deus , sicut secunda persona Filius Dei , est simul & Deus.

(Decimumquartum : Act. 5. dicit Petrus : *Anania cur tentavit Satanas cor tuum , mentiri te Spiritui Sancto ?* Deinde addit : *Non es mentitus hominibus , sed Deo.* Igitur Spiritus Sanctus est Deus.

Decimumquintum : 1. Joan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in Coelo , Pater , Verbum , & Spiritus Sanctus ; & hi tres unum sunt.* Qui locus omnium Patrum testimonio probat tres in Divinis Personas esse ejusdem essentiae.)

Decimumsextum : 1. Cor. 6. & alibi , tribuitur Spiritui Sancto justificatio & sanctificatio nostra , quod est solius Divinae potestatis.

Postremum sit argumentum ex Scripturis negativum. Cum enim Scripturae utriusque Testamenti frequentissimam Spiritus Sancti mentionem faciant , nusquam tamen eum creaturam vocant , nusquam factum esse dicunt , nusquam appellant Dei ministrum : sed saepe Dominum vocant , perinde ut Patrem & Filium. Unde & contra Macedonianos , aliosque Haereticos , qui Spiritum Sanctum dixerunt esse ministrum Patris & Filii ; & proinde utroque minorem , in Symbolo Constantinopolitano ex decreto Concilii universalis positum est illud : *Et in Spiritum Sanctum Dominum , qui cum Patre , & Filio simul adoratur , & glorificatur.* Unde etiam in Sacrificio Missae , & in Litanis , sicut ad Patrem , ita ad Spiritum Sanctum orantes dicimus *Κύριε ἐλεῆσον* , idest , Do-

Domine miserere. Nam ad secundam Personam ideo dicitur *Χριστὸς ἐκείνος*, ut duae naturae in illa Persona conjunctae, quae Christi nomine significantur, ipsa oratione nobis ob oculos positae, cogitationem ingerant beneficii Redemptionis nostrae, quam operari non potuisset, nisi Deus & homo esset. His denique Patres accedunt, qui hoc argumentum Divinitatis Spiritus Sancti contra Haereticos diligenter tractaverunt, ut Athanasius, Basilius, Gregorius Nysseus, Didymus, Ambrosius, Cyrillus Alexandrinus, Rupertus Tuitiensis libris peculiariter editis de Spiritu Sancto. Rursum Basilius lib. 3. & 5. *contra Eunomium*. Gregor. Naz. *Orat. 5. de Theol.* Hilarius lib. 12. *de Trin.* Cyrillus Jerosol. *Catechesi 16. & 18.* Chrysostomus *variis Homil. de Spiritu Sancto*. Epiphanius *Haeresi 74.* Et Augustinus *Haeresi 52. quae est Macedonianorum*. Et rursum Augustin. lib. 1. *de Trin. cap. 6. & lib. 1. contra Maximinum in fin.* Cyrillus Alexandrin. lib. 7. *Dialogorum de Trinitate, & Thesauri lib. 13. & 14.* Fulgentius lib. 3. *ad Trasm. Regem cap. 35. & ad Donatum cap. 8.* Agit de eadem re etiam ex professo S. Thomas lib. 4. *contra Gentes a cap. 16. usque ad 27.* Concilia vero, quorum auctoritate doctrina haec confirmata est, eadem fere sunt cum illis, quae Divinitatem adstruunt Filii Dei. Quamquam unanimis & perpetuus consensus totius Ecclesiae Catholicae, a Spiritu Sancto edoctae, debuit abunde sufficere ad fidem certissimam huic doctrinae faciendam, etiamsi nullae Conciliorum definitiones accessissent.

§. VI.

Quaedam in contrarium objectiones diluuntur.

S. Thom. 1. part. q. 39. Item 42. art. 1. 2. & 6.

Nunc ea, quae contra Divinitatem Spiritus Sancti partim ex auctoritate, partim ex ratione objici solent argumenta, dissolvamus.

Ac primo quidem ex Scripturis olim objiciebant Ariani

illud Amos 4. *secundum versionem 70. Dominus est firmans tonitruum, & creans spiritum, & annuntians in homines Christum suum.* Ex quo loco Spiritum Sanctum super Apostolos delapsum in die Pentecostes cum sonitu vehementi tamquam tonitruo, ad annuntiandum hominibus Christum Domini, a Deo creatum esse, ostendere volebant. Sed facilis est responsio, *Spiritum* ibi non aliud, quam ventum significare, sicut alibi saepe in Scriptura. Nam & Hieronymus vertit *creans ventum.* Ita respondent ad hoc argumentum Basilius lib. 3. *contra Eunomium*, & Athanasius ad Serapionem *de Spiritu Sancto.* Nec aliter interpretes Hieronymianus, Theodoretus, Arethas, Rupertus, hunc locum intellexerunt; tamen 70. multum hic discrepant ab Hebraica veritate, secundum quam nulla apparentia est Prophetam hic loqui de Spiritu Sancto.

Secundum argumentum: Rom. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro Sanctis.* Hoc autem de Spiritu Sancto dictum esse, non est dubium: igitur Spiritus Sanctus Deo minor est; siquidem minor est qui orat, eo qui oratur. Unde & Christus, quia Patrem orasse legitur, eo minor esse convincitur, secundum eam saltem naturam, qua orat. Similis est locus Galat. 4. ubi Deus misisse legitur Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem, *Abba pater.* Respondetur, sensum hujus loci esse: *Spiritus postulat pro nobis, & clamat in nobis*, idest, postulare, desiderare, & clamare nos facit. Quia enim Spiritui Sancto appropriatur bonitas, & omnis nostra sanctificatio, ad quam pertinent sancta desideria, & preces ad Deum, hinc dicitur pro nobis, & in nobis postulare, & clamare: quia nimirum in nobis omnem pium affectum operatur. Sic Apostolus ipse quodammodo se exponit Rom. 8. de eodem Spiritu dicens: *In quo clamamus, Abba pater.* Hoc est ergo Spiritum clamare in nobis, quod est nos ipsos clamare in Spiritu, sive per Spiritum Sanctum. Unde Zach. 12. vocatur *Spiritus gratiae, & precum.*

At dices: Si Spiritus Sanctus postulat pro nobis, qui
po-

postulare nos facit ; igitur , & Pater pro nobis postulat , quia & ille postulare nos facit. Respondeo : sicut Pater non recte dicitur mitti , licet ea operatio , ad quam Persona aliqua Divina mittitur , ut , verbi gratia , sanctificatio hominis , sit toti Trinitati communis ; eo quod missio passiva simul importet ejus Personae , quae mitti dicitur , processionem a Persona mittente ; vel quod is , qui mittitur , effectum ad quem mittitur a mittente accipiat , a quo nimirum accipit & naturam ; quemadmodum plenius explicabitur *ad distinct.* 14. & 15. ita dicendum de postulatione , quae quamvis significet effectum in hominibus , quem tota Trinitas operatur , non tamen tota Trinitas postulare dicitur , sed ea tantum Persona , quae accipit ab alia , ut faciat homines postulare. Nam postulare simul includit , ab alio accipere , vel expectare.

Tertium : Eph. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei* : Tristitia autem in Deum non cadit. Item Col. 3. *Spiritum nolite extinguere*. Respondetur , haec figurate , & improprie tribui Spiritui Sancto , tamquam ei Personae Divinae , cui bonitas , ut dictum est , appropriatur ; cui proinde omnis nostra sanctificatio , & omnia gratiarum dona peculiariter tribuuntur. Hinc propter hominum ingratitude , qui dona ejus , sive in semetipsis , sive in aliis abjiciunt & contemnunt , dicitur contristari & extingui. Item quia sancti , in quibus est Spiritus Sanctus , contristantur.)

Quartum : Spiritus Sanctus mitti dicitur a Patre , & Filio Joan. 15. Galat. 4. & alibi saepe. Minor est autem qui mittitur , eo qui mittit. Sed hujus argumenti solutio patebit ex iis , quae dicentur *ad distinct.* 15. Non enim missio Personae unius ab alia aliud importat , quam temporalem operationem personae procedentis ab alia , a qua habet hoc ipsum quod operatur.

(Quintum : Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt* : igitur & Spiritus Sanctus factus est per Verbum. Primum respondeatur , intelligi omnia ab ipso Verbo naturaliter diversa. Nam alioqui consequens erit , ipsum etiam Patrem , quia non est Verbum , per Verbum factum esse. Deinde semetipsum expo-

ponit Joannes , quando subjungit : *Et sine ipso factum est nihil , quod factum est* , idest , nihil eorum , quae facta sunt sine Verbo factum est ; sed quidquid factum est a Deo , per Verbum factum est.

Sextum : Augustinus q. 109. *inter quaestiones veteris , & novi Testamenti* , Spiritum Sanctum dicit esse Sacerdotem non summum , Christum autem esse Sacerdotem summum. Respondeo : illud opus non esse Augustini , ac ne quidem Scriptoris Catholici.

Septimum : Si Spiritus Sanctus esset Deus , cum non sit genitus , erunt in Divinis duo ingenita , Pater , & Spiritus Sanctus. Respondeo : Spiritum Sanctum neque genitum esse , neque ingenitum , idest , improcessibilem , ut latius explicabitur *ad distinct. 13.*

(Postremum : Spiritus Sanctus non procedit per modum naturae , sed per modum voluntatis : ergo non procedit a Deo naturaliter , sed libere , quomodo procedunt a Deo omnes & solae creaturae. Respondetur : utrumque modum processionis tam per modum voluntatis quam per modum naturae , naturalem esse. Non modo enim intellectus notitiam veri , verum etiam voluntas amorem boni producit in se naturaliter , & necessario : sicut enim intellectus naturaliter est ordinatus ad actum cognoscendi , ita voluntas naturaliter est ordinata ad actum amandi. Cur autem inde non sit consequens Spiritum procedere per modum naturae , declarabitur *infra ad distinct. 13.*)

IN DISTINCTIONEM UNDECIMAM.

§. I.

Spiritum Sanctum ex Filio procedere per Scripturas ostenditur.

S. Thom. 1. part. q. 36. art. 2.

Disputatio praesentis Distinctionis supponit Spiritum Sanctum a Patre procedere, quod ita ex Scripturis clarum est, ut de eo, tamquam de re dubitabili, nulla fuerit unquam mota quaestio, quae Ecclesiam turbaret; licet Eunomius id negaverit, cujus absurda opinio, nec multis nota, nec post ipsum duravit. Diserte enim dictum est a Christo Joan. 15. & 16. *Paraclitum Spiritum veritatis a Patre procedere.* Ratio quoque id ipsum manifeste convincit. Cum enim sit ordo quidam in Divinis, necesse est inter tres Personas unam esse, a qua reliquae duae procedant: hoc enim ordinis ratio postulat, ut quaecumque multa sunt, ea vel sic se habeant, ut eorum aliud sit ab alio, vel ipsa plura ad unum principium, a quo sint, revocentur. Cum ergo neque Pater sit a Spiritu Sancto, neque ambo ab aliquo tertio, sequitur necessario Spiritum Sanctum esse, ac procedere a Patre tamquam principio. Potest hoc idem probari ea ratione: quia cum constet Patrem non procedere a Spiritu Sancto, nisi Spiritus Sanctus procederet a Patre, non distingueretur ab invicem hae duae Personae: neque enim aliter distingui possunt, nisi per relationes oppositas, quae nullae sunt in Divinis, nisi ratione originis unius Personae ab alia, ut infra pluribus declarabitur. Hoc igitur extra controversiam posito, dum etiam a secunda Persona, id est, ex Filio procedat Spiritus Sanctus, in hodiernum usque diem Graeci cum Latinis, id est, cum Romana Ecclesia contendunt. Quae dissensio coepisse videtur ante annos amplius 800. Graecis contra sententiam Romanae Ecclesiae docentibus,
Spi-

Spiritum Sanctum ex solo Patre, non etiam ex Filio, procedere. Quod deinde majoribus animis, nec sine specie pertinaciae defendere coeperunt circa annum Domini 860. Nicolao I. Pontifice Romano. Denique tum hujus dogmatis, tum aliorum quorundam causa, super quibus pertinax erat Graecorum a Latinis dissidium, tandem aperto schismate Graeci sejunxerunt se ab Ecclesia Rom. circa annum 1050. Quod igitur attinet ad processionem Spiritus Sancti ex Filio, doctrinae ejus veritatem Latini contra Graecos, non tantum Ecclesiastica Traditione, quae vel sola sufficere debuit; verum cum pluribus etiam Scripturae testimoniis demonstrarunt. Cujusmodi sunt primum ea, quae Spiritum Sanctum Filii esse dicunt, ut Rom. 8. *Qui Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.* Item Actor. 16. *Et non permisit eis Spiritus Jesu.* Quale etiam est in Psalm. 32. *Verbo Domini coeli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Nam Filius, in quantum Verbum, est os Patris; Spiritus ergo oris ejus, est Spiritus Filii. Non potest autem dici *Spiritum esse Filii*, quia est opus ejus, vel quia instrumentum ejus, quae omnia a Deo sunt aliena: siquidem in hac disputatione Graeci nobiscum consentiunt Spiritum Sanctum esse Deum. Relinquitur ergo, ut *Spiritus Filii* dicatur propter relationem originis, quam alter ab altero, id est, Spiritus habet a Filio, vocetur *Spiritus Filii*, tamquam Spiratus a Filio. Quod vel inde probatur, quia simili prorsus locutione dicitur Spiritus Patris *Matth. 10. & Rom. 8.* nempe non ob aliud, quam quia procedit, & spiratur a Patre. Atque hoc argumento ad probandam Spiritus Sancti a Filio processionem, usus est Augustinus *Tract. 99. super Joannem.*

Neque ullius momenti est Graecorum responsio, quia volunt ideo dictum esse, *Spiritum Filii*, quod sit in Filio, id est, quia Filio intimus est, utpote consubstantialis. Nam pari ratione vicissim dici posset Filium esse Spiritum Sancti; sicut enim propter unitatem substantiae Spiritus est in Filio, ita & Filius est in Spiritu Sancto. Quomodo propter hanc

hanc eandem Filii cum Patre unitatem, ait ipse Filius: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Joan. 14. Atqui Filium esse Spiritus Sancti, a Scripturis & sensu Patrum penitus est alienum: immo, velut absurdissimum nominatim id rejicit Augustinus lib. 15. *de Trin. cap. 19.* Dicitur ergo *Spiritus Filii*, non quia in eo est, sed quia ejus est tamquam spirantis. Hac enim relatione spiritus alicujus dicitur, quemadmodum ad superiorem Distinctionem ostensum est *ex Epist. 174. Augustini.* Ad quam rem declarandam, simul & ad probationem praesentis doctrinae, in primis facit quod legimus Joan. 20. Christum, cum insufflasset ad Discipulos suos, dixisse: *Accipite Spiritum Sanctum.* Ubi prius quidem facto ipso significabat, sic procedere a se Spiritum Sanctum spirituali & ineffabili modo, secundum Naturam Divinam, sicut Spiritus ille, de quo dicitur, *insufflavit*, procedebat ab ore ejus corporaliter secundum naturam humanam. Deinde, & illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum*, significavit se datorem esse Spiritus Sancti: quod esse non potest, si non ab ipso Spiritus Sanctus procedat. Tractant ad hunc modum Scripturam illam Cyrillus *scribens in Joan. 20. August. lib. 10. de Gen. ad liter. cap. 15. & Ambros. in Luc. ult.*

Tertius Scripturae locus, idemque aptior, est Joan. 16. ubi Dominus de Spiritu Sancto verba faciens: *Non loquetur, inquit, a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Et hoc ipsum exponens, addit: *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Tale est autem & illud Joann. 17. Christi ad Patrem *Omnia tua mea sunt.* Plane significant haec verba, Spiritum Sanctum accipere a Filio, sicut a Patre officium clarificandi Filium, & ex consequenti naturam: cum in Deo non distinguantur actus, potentia, natura. Ideo autem accipere a Filio, quia quaecumque sunt Patris, etiam Filii sunt. Quod tamen intelligi oportet, eo solo excepto, quod hic sit Pater, ille Filius; quemadmodum scribens in illum locum exponit Augustinus, & iterum lib. 5. *de Trin. cap. 14.* Quare cum spirare non sit esse Patrem (alioqui enim oporteret Spi-

ritum Sanctum esse Filium) sequitur illud esse Filio commune. Sed & hujus loci tractationem vide apud eundem Cyrillum *super Joan.*

Quartum Scripturae testimonium est, quo Spiritus Sanctus mitti dicitur a Filio, ut Joan. 15. *Cum venerit, inquit, Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre.* Cap. 16. *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Et Lucae ult. *Et ego mitto promissum Patris mei in vos.* Cum igitur oporteat eum, qui mittitur, aliquid accipere a mittente, sive major sit is, qui mittit, sive minor, sive aequalis (alioqui enim nulla erit ratio, cur mitti dicatur) consequens est, Spiritum Sanctum, qui a Filio mittitur, aliquid a Filio accipere. Quidquid autem illud sit, quod accipere dicitur, diversum esse non potest ab ejus essentia, cum in Divinis essentia, potestas, & actio, sint unum & idem.)

Postremus locus est Joan. 14. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo; hoc est, ut Cyrillus exponit, per me, & a me legatione ei commissa.* Itaque, juxta Cyrilli mentem, idem significant haec duo, Filium mittere Spiritum Sanctum a Patre, & Patrem mittere Spiritum Sanctum in nomine Filii, idest, per Filium. Significatur enim ab utroque mitti Spiritum Sanctum, sed ita ut Filius hoc ipsum, quod Spiritum Sanctum mittit, a Patre accipiat.

(§. II.

Ejusdem probatio ex Patribus, & Conciliis.

S. Thom. 1. part. q. 36. art. 2.

DE sententia Patrum Latinorum, sive ut generaliiori nomine censentur Occidentalis Ecclesiae, etiam eorum, qui tempora controversiae antecesserunt, nulla est vel probabilis dubitandi causa, quin omnes unanimiter senserint, Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere. Quandoquidem nemo legitur, qui hoc negaverit, ac plerique etiam id ipsum expressis verbis asseveraverunt, ut Hilarius lib. 2. *de Trin.*

Trin. docens : indubitanter confitendum , Spiritum Sanctum esse de Patre , & Filio auctoribus. Ambrosius *super Lucae ult.* ubi ex insufflatione Christi in Discipulos pro hac re sumit argumentum. Et lib. 2. *de Spiritu Sancto cap. 12.* ubi citat illud : *quia de meo accipiet.* Et Hieronymus *sup. Isai. 57.* & in *Epist. ad Hedibiam q. 9.* dicens : Propter naturae societatem simul a Patre , & Filio mitti Spiritum Sanctum.)

Rufinus quoque *in expositione Symboli* , Spiritum Sanctum *de utroque procedentem* , vocat.

Prudenter item de hac re valde clare loquitur , ut in Hymno post cibum : *Regnat Spiritus ille sempiternus, a Christo simul , & Parente missus.* Et in Hymno ante somnum : *Deus ex utroque missus.* Et in Hymno ad Cereum Paschalem : *Qui noster Dominus , qui tuus unicus spirat de Patrio corde Paraclitum.* Et in Hamart. *O Dee Christe , cujus ab ore Deus subsistit Spiritus unus !* Augustinus *in Tract. 99. in Joann.* ex professo quaestionem de hac re movet , & respondet : *Ita credendum esse , quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus :* idemque prolixè probat. Eadem verba Augustini adducit Beda *super illud Galat. 4. Misit Deus Spiritum Filii sui.* Apud eundem alia loca sunt lib. 15. *de Trin. cap. 17. 26. & 27. & lib. 10. de Genes. ad liter. cap. 15. & lib. 3. contra Maximum cap. 14.* Prosper lib. 1. *de Vita Contempl. cap. 18.* Spiritus , inquit , *ex Patre Filioque procedit.* Leo *Epist. 93. ad Turbum cap. 1.* idem disertè affirmat. Item Fulgentius *de Fide ad Petr. cap. 2.* Salvianus *in Serm. de Adventu Spiritus Sancti , inter opera Cypriani.* Boëtius lib. 1. *de Trin. cap. 12.* Hormisda Papa *in Epist. ad Justinum Imperatorem cap. 2.* Gregorius Papa *in Symbolo a se composito , quod habetur lib. 2. Vitae ejus cap. 2. lib. 1. Mor. cap. 8. Hom. 26. in Evangelia , & lib. 2. Dial. cap. ult.* Beda , praeter locum supra indicatum in Epistolam ad Galat. ex Augustino , idem etiam asserit lib. 1. *de elementis Philosophiae , & in Hom. Dominicae infra octavam Ascensionis Domini.* Denique Anselmus lib. *de Spiritu Sancto.* Et Rupertus *in peculiari opere inscripto de processione Spiritus Sancti.* Et quicumque alii auctores Latini , vel circa tempus schismatis Graecorum , vel postea scripserunt.

Ceterum quia Graeci Latinorum auctoritate premi nolunt (tametsi nullam justam contra eos , qui dissidii tempus antecesserunt exceptionem adferre possint , cum fuerint plerique jam allegati , & sanctitate , & eruditione in Ecclesia Dei illustres) monstrandum est etiam Orientalis Ecclesiae Patres , idest , Graecos ipsos , qui ante natam controversiam in Ecclesia floruerunt , nihil diversum a Latinis sensisse.

Igitur praeter testimonia , quae Magister adfert ex Athanasio , Didymo , Chrysostomo , & Cyrillo , manifestissima doctrina est ejusdem Cyrilli , locis supra allegatis in Joannem , & Thesauro. Qui cum Graecus fuerit , adeo tamen aperte docuit , & diligenter inculcavit Spiritus Sancti ex Filio processionem , ut errorem contrarium de industria oppugnasse videri possit ; eo nimirum , quod fortasse Nestorius , contra quem stilum dirigit , de hoc etiam articulo male senserit. Unde & Theodoretus , qui in Nestorii partes aliquando propensus fuit , & Cyrillo adversatus , hoc eodem errore imbutus fuisse deprehenditur ex refutationibus Anathematismorum Cyrilli cap. 9. licet tunc error ille non serpsit latius , Theodoreto paullo post Ecclesiae reconciliato ; praesertim , quod tale quid obiter tantum ab illo dictum fuerit.

(Idem porro cum memoratis Patribus senserunt , & scripserunt tres Gregorii , Nyssenus , Nazianzenus , & Neocaesariensis , qui & Thaumaturgus , cujus formula Fidei hanc doctrinam continens , extat apud Gregorium Nyssenum in vita ejus , & in Synodo S. Constantinopolitana.) Item Basilius , Cyrillus , Hieronymus , Epiphanius , Simeon Metaphrastes , Anastasius , Tharasius , Maximus , & alii , quorum testimonia protulerunt Latini cum Graecis super hac quaestione disputantes in Concilio Flor. ut late videre est in actis ejusdem Concilii. Eosdem fere Scriptores commemorat Cardinalis Bessario in Oratione habita pro unione cap. 6. & 7. Quamquam fatendum est , non omnes aequè aperte de hac re locutos esse. Nam alii quidem diserte , Spiritum Sanctum ex Filio procedere , dixerunt : alii vero procedere
eum

eum ex Patre per Filium. Quod tamen revera idem est cum priori ; si enim procedit per Filium , est igitur aliquo modo a Filio , & per consequens procedit ex Filio. Cum enim procedendi Verbum latissime pateat , & ad omne id , quod originem ab alio accipit , extendatur , sufficit contra Graecos ostendisse , Spiritum Sanctum quomodocumque esse a Filio: sic enim ostensum fuerit eum a Filio procedere. Quomodo recte docetur omnem creaturam esse , atque procedere a Filio , quia est , & facta est per Filium , juxta illud : *Omnia per ipsum facta sunt.*

Jam ut ad Concilia veniamus , primum locum illud merito habere debet , in quo decretum fuit , ut Symbolo Constantinopolitano , in quo legebatur , *qui ex Patre procedit* , adderetur , *Filioque*. Sed quod fuerit illud Concilium , nondum satis compertum habetur. S. Thomas , Bonaventura , & alii nonnulli , putant fuisse Concilium quoddam Romanum ; sed quodnam , & quo tempore habitum , non meminerunt. Verum ex actis Concilii Florentini , antiquitatem ejus intelligere licet , ubi Catholicus disputator contra Graecos profert vetustum exemplar septimae Synodi , in quo scriptum haberetur , *Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere*. Quae Synodus ante exortam hanc controversiam habita fuit : est igitur hac Synodo antiquior illa additio , & sane referunt eam quidam ad tempora haeresis Nestorianae. Quin etiam sunt qui existiment Romanum Concilium , in quo facta fuerit additio , illud ipsum esse , quod celebratum fuit Damaso Pontifice , statim post primam Synodum Oecumenicam Constantinopolitanam , quae Macedonium damnavit. Dicunt enim , propter quosdam Haereticos , qui Spiritum Sanctum Filium Filii , ac Patris nepotem esse docebant , hanc additionem factam esse ; ut plane intelligatur Spiritum Sanctum non esse genitum , sed sicut ex Patre , ita etiam ex Filio procedere , videlicet processione a generatione diversa. Verum cum in actis illius Concilii nihil tale legatur , ac ne quidem ullus veterum Scriptorum hujus rei meminerit , magis apparet additionem hanc factam fuisse posteriori tempore ; nimirum circa tempora sextae Synodi post annum Do-
mi-

mini sexcentimum, idque, ut refert disputator Catholicus in Concilio Flor. sess. 7., a Romano Pontifice in Concilio quodam ingenti Latinorum Patrum, alia tamen occasione, congregato. Atque hoc esse Romanum Concilium, cui Scholastici quidam Doctores additionem istam adscribunt: tametsi nomen Pontificis, & annus habiti Concilii, nusquam reperiantur extare. Signum autem rei est, quod ante illud tempus non invenitur Symbolum Constantinopolitanum cum additione; invenitur autem non multo post, ut in Toletano 8. Concilio, quod habitum est circa annum 560. ac deinde centum annis posterius in 7. Synodo universali.

(Sit igitur secundo loco haec eadem septima Synodus, in qua maximo numero fuere Graeci Patres, cujus actione 7. Symbolum recitatum est cum hac additione, *Filioque*; quod ita gestum esse, Graecis licet hoc negantibus, probaverunt Latini in Synodo Florentina sess. 5. & 7.

Tertium est Lateranense Concilium sub Innocentio III. in quo Graecis post longum schisma resipiscentibus, & consentientibus, veritas aperte definita est c. 1. De Graecorum autem consensu patet ex c. 4.

Quartum est Lugdunense sub Gregorio X. quod & ipsum, sicut duo superiora Concilia, Generale fuit. In quo Graecis rursus consentientibus, eadem repetita est definitio, Symbolumque cum additione, in plena Concilii congregatione decantatum ter Graece, terque Latine. Quae definitio habetur initio lib. 6. Decretalium.

Quintum ac postremum fuit universale Concilium Florentinum, hujus potissimum controversiae causa congregatum. In quo post longam inter Graecos & Latinos concertationem, tandem Graecis iterum in sententia Latinorum perductis, eadem veritas constabilita est, & unio Ecclesiarum Occidentalis & Orientalis laeto exitu procurata. Sed cum Graeci paullo post ad vomitum rediissent, 14. post initam concordiam anno, ipsis feriis Pentecostalibus, idest, Spiritu Sancto Sacris, urbs Regia Constantinopolis simul cum universo Graecorum Imperio, venit in potestatem Turcarum, non sine manifesto Divinae ultionis iudicio, propter pertinaciam

ciam erroris de Spiritu Sancto cum detestabili schismate conjuncti.) His addi possunt Concilia particularia, ut Tolerantum I. cap. 21. Tertium, Quartum, Octavum, & Undecimum singula cap. 1. Quae omnia, ante natam controversiam celebrata, Spiritum Sanctum ex Filio procedere confitentur. Item Concilium quoddam habitum * apud Barum circa annum 1097. in quo Graecos, qui illuc una conveniant, sui erroris convincit B. Anselmus, ut refertur lib. 2. *Vitae ejus*. Cujus etiam meminit ipse Anselmus *lib. de Processione Spiritus Sancti cap. 4.*

Porro praeter Concilia jam memorata, sciendum est existare Epistolam quamdam Cyrilli scriptam ad Nestorium ex Concilio Alexandrino, in qua Epistola leguntur haec verba: *Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est. Unde & ab isto similiter sicut ex Patre procedit.* Approbarunt autem hanc Epistolam post Synodum Alexand. in qua scripta est, primo Concilium Ephesinum *tom. 1. cap. 14.* ubi etiam tota inserta est: deinde 4. Synodus act. 5. Et 5. Synodus actione ultima. Et sexta Synodus actione 17. Et 7. Synodus actione 7. Ex quibus aperte colligitur has quoque Synodos Oecumenicas, quarum quatuor ante dissidium celebratae fuerunt, sententiam Ecclesiae Romanae de processione Spiritus Sancti ex Filio in illa Epistola clare expressam pariter suis calculis approbasse.

* Hic monendum lectorem ducimus, in editione Parisiensi anni 1648. legi apud Barum circa annum 1090. In Neapolitana vero anni 1720. apud Barum circa annum 1090. Utrobique mendose. Nam cum Estius mox Anselmum in medium proferat de illo Barensi Concilio loquentem, si Labbeum consulat, idem Concilium refertur ad annum 1097. Gerberonius tamen Operum S. Anselmi Cl. editor, in censura laudati Libri de Spiritu Sancto evincit, Concilium illud referendum ad annum 1098. Idem sentit & Pagius in *Critica Baroniana* ad annum 1097. n. 1. 11. & 12. Editor Venetus.

§. III.

Eadem doctrina rationibus confirmata.

S. Thom. 1. part. q. 36. art. 2:

TRIBUS potissimum rationibus utuntur Theologi, quibus doceant Spiritum Sanctum a Filio procedere. Quarum prima ac praecipua haec est; Personas Divinas singulas a singulis distingui certum est, idque non per aliquid absolutum & essenziale (quidquid enim tale est, omnibus commune est, uti communis est ipsa essentia) sed per id, quod est ad aliquid, idest, per relationes oppositas easque reales, eo quod Personas ipsas realiter distingui oporteat. Ceterum hujusmodi relationes in Divinis nullae sunt, nisi ratione originis, qua Persona una ex alia procedit: ergo sicut a Patre Filius distinguitur, tamquam genitus a gignente, & rursum a Patre Spiritus Sanctus, ut spiratus a spirante; ita necesse est Spiritum Sanctum distingui a Filio ratione originis, ac processionis alterius ex altero. Atqui Filium ex Spiritu Sancto procedere nemo vel Graecorum umquam dixit. Reliquum ergo est, ut dicatur Spiritum Sanctum procedere ex Filio. Nec est, quod Graecus respondeat ad Personarum distinctionem sufficere relationes plures ac reales, licet non oppositas; ideoque adhuc salvam manere distinctionem inter Filium, & Spiritum Sanctum per filiationem, quae in illo est, & spirationem passivam, quae in isto, tamquam distinctas relationes. Hoc inquam dici non potest, eo quod constet in Patre duas esse relationes, paternitatem & spirationem activam, quae tamen in illo duas personas non constituunt: sic enim quatuor in Divinis essent Personae. Quare ad personarum distinctionem omnino necessaria est relationum oppositio. Quod ipsum etiam veteres, tam Graeci, quam Latini docuerunt, ut Gregorius Nazianzenus *Orat. 5. de Theolog.* Nyssenus *in fine libri ad Ablabium.* August. *lib. 7. de Trin. cap. ult. & lib. 15. cap. 14.* & Boëtius *lib. 1. de Trinit. cap.*

12. Quos secuti sunt Anselmus *de processione Spiritus Sancti cap. 2.* & Richardus Victorinus *de Trinit. lib. 2.*

Secunda ratio. Quaecumque naturaliter ab eodem aliquo procedunt, ea certo solent ordine procedere; licet id forte necessarium non sit in his, quae a voluntate procedunt. Cum ergo Filius & Spiritus Sanctus a Patre procedant, non libera, sed naturali actione, necesse est inter eos ordinem aliquem reperiri; qui sane alius esse non potest, quam ordo originis, sicut ostensum est *ad Distinct. 9.* Quare consequens est, alterum ab altero procedere. Antecedens facile potest exemplis declarari, velut mentis, a qua cognitio & per cognitionem amor procedit; Solis, a quo splendor, & per hunc calor egreditur, & similium rerum. Quod si ergo non procedit Spiritus Sanctus a Filio, non erit ordo inter Filium & Spiritum Sanctum; ac proinde erit quidem Pater in Divinis prima Persona, quia a Patre procedunt reliquae duae: cur autem Filius potius, quam Spiritus Sanctus secunda Persona dicatur, nulla erit ratio. Itaque non erit potius dicendum: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quam Pater, Spiritus Sanctus, & Filius, quod sane perabsurdum est.

Tertia. Sicut a Patre, velut a mente aeterna procedit Filius per modum Verbi; sic Spiritus Sanctus ab eadem procedit per modum amoris. Atqui amor non procedit a mente, nisi per Verbum; non enim amari quid potest, nisi prius cognitum: ergo Spiritus Sanctus non procedit a Patre, nisi per Filium.

Plures rationes videre est apud S. Thomam lib. 4. *contra Gent. cap. 24.* & in disputatis *de Potentia q. 10. art. 4.*

§. IV.

Respondetur ad argumenta Graecorum.

S. Thom. 1. part. quaest. 36. art. 2.

GRaecos in quaestione de Spiritus Sancti ex Filio processione, non verbis modo, quod Magister putare videtur
Estii Theol. Tom. I. Bb tur

tur, sed sensu plane discrepare a Latinis, satis probat tot saeculorum schisma, quo ab Ecclesia Romana propter hunc maxime articulum divulsi fuerunt. Evidentius autem probant scripta eorum, & disputationes acerrimae atque operosissimae cum Latinis habitae. Quamvis enim faterentur Spiritum Sanctum esse Filium, quia hoc Scriptura diserte testatur, negaverunt tamen eum, vel esse, vel procedere, vel originem habere quocumque modo ex Filio: quod haud dubie Catholico sensui contrarium est. Utuntur autem his argumentis.

(Primo: quia nulla Scriptura dicit Spiritum Sanctum a Filio procedere, sed sicubi processionis ejus meminit, ut Joann. 15. Patrem solum nominat. Verum ad hoc facilis est responsio, tum quia non omnia Fidei mysteria Sacris Literis sunt comprehensa. Sunt enim quaedam traditiones non scriptae parem vim auctoritatis cum iis, quae scripta sunt, habentes, ut praeclare scripsit ille Graecorum Theologorum doctissimus Basilus lib. *de Spiritu Sancto cap. 27.* Deinde, quia falsum est hoc, de quod agitur, Sacris Literis non contineri; quemadmodum patet ex Scripturis supra in testimonium adductis, nisi forte dicant, ideo non haberi in Scripturis, quia ibi non habentur expresse haec verba: Spiritum Sanctum procedere ex Filio. At hoc modo, nec ibi legitur Deum esse trinum in Personis, nec legitur Filium, & Spiritum Sanctum esse Patri *ὁμοουσιος*, idest, consubstantiales; quae tamen Graeci nobiscum certissime credunt.) Denique quia hoc ipsum, quod a Patre procedere dicitur Spiritus Sanctus, convincit eundem procedere a Filio. Non enim procedit a Patre, ut Pater est; sic enim esset Filius ejus, quia Pater ut Pater non refertur nisi ad Filium. Procedit ergo a Patre secundum quod indistinctus est Pater a Filio; & proinde procedit etiam a Filio, juxta illud, quod Filius ipse de Spiritu Sancti processione loquens dicit Joan. 16. *Omnia quae habet Pater, mea sunt.* Porro mirum videre non debet, quod Christus Joann. 15. suo nomine tacito solum Patrem nominaverit, dicens: *qui a Patre procedit.* Solet enim Filius omnia sua Patri accepta referre, a quo habet etiam hoc ipsum quod

est,

est, ut docet Augustinus *lib. 15. de Trinit. cap. 27. Et Tract. 69. in Joann.* de hac ipsa quaestione prolixè disserens, & difficultatem jam propositam solvens. Qui & *lib. 3. contra Maximinum cap. 14.* dicit, ideo nominari solum Patrem, non ut Filius excludatur, sed quia Pater est principalis auctor Spiritus Sancti, a quo nimirum Filius habet ut spiret, sicut & cetera omnia. Unde alibi Filius ait: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me, Patris.* Item: *Pater in me manens ipse facit opera.* Et alio loco: *Sermo, quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris.* Quoniam enim essentiam Filius accepit a Patre: nihil reliquum est, quod non a Patre haberet; quod proinde totum, ut Filium decebat, ad Patrem auctorem retulit. Quamquam in eadem sententia, qua Spiritum Sanctum ex Patre procedentem dixit, non omnino seipsum tacuit, hoc enim jam dixerat: *Quem ego mittam vobis a Patre.* Quin vero etiam si dixisset: Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, non continuo intelligendus esset seipsum exclusisse. Nam & Matth. 11. dixit: *Nemo novit Filium nisi Pater.* Quod tale est, ac si dixisset: Solus Pater novit Filium, ubi tamen a Filii cognitione, neque Spiritus Sanctus, neque Filius ipse excluditur, ut infra declarabitur *ad Distinct. 21.*

(Secundum argumentum petunt ex Symbolo Constantino-politano, quod cum studiose a Patribus pro explicatione Fidei conditum fuerit, solus tamen Pater ibi nominatus est his verbis: *qui a Patre procedit.* Unde consequens esse volunt, Patrum illius Concilii sententiam fuisse, Spiritum Sanctum a solo Patre, non autem a Filio procedere. Respondeo: cur Patres illi Symbolo non addiderint, *Ex Filio,* sed satis habuerint dicere, qui ex Patre procedit, rationem hanc esse; quia illo tempore non vocabatur in quaestionem an Spiritus Sanctus ex Filio procederet. Hoc enim etiam Haeretici Spiritus Sancti Divinitatem oppugnantes verum esse fatebantur, ut patet ex Basilio *lib. 2. contra Eunomium.* Sed utrum ex Patre procederet, in dubium vocat Eunomius; immo simpliciter negabat, dicens, Spiritum Sanctum a Patre omnino alienum esse, tamquam solius Filii creaturam, hoc

ergo , de quo solo tunc quaestio vertebatur in Symbolo posuisse , satis pro tempore visum est illius Concilii Patribus.)

Tertium. In passione S. Andreae Apostoli scripta per Presbyteros , & Diaconos Ecclesiarum Achajae , dicitur sub initium : Pax omnibus , qui credunt Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum procedentem ex Patre , in Filio permanentem. Ut ostendatur unus spiritus esse in Patre & Filio. Atqui nihil procedit ab eo , in quo permanet & quiescit : ergo Spiritus Sanctus non procedit a Filio. Ad quod responderi potest cum S. Thoma : per hoc quod dicitur Spiritus Sanctus permanere in Filio , non excludi , quin ab eo procedat , quia & Filius in Patre manere dicitur Joann. 6. 14. & 15. qui tamen a Patre procedit. Quin & Spiritum Sanctum in Patre permanere non est negandum , licet a Patre procedat. Non enim ita procedit a Patre & Filio , ut ab illis recedat. Unde additum est , ut ostendatur unus spiritus esse in Patre & Filio. Recte etiam intelligitur hoc dictum de Filio secundum humanam naturam , propter id , quod scriptum est Joann. 1. & Marci 1. Spiritum Sanctum corporali specie descendisse , & mansisse super eum. Et Isai. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Verumtamen sciendum , in aliquibus exemplaribus manuscriptis , & nonnullis impressis , non haberi ea verba , *a Patre procedentem & in Filio permanentem* , ut suspicio sit non improbabilis , haec a Graecis posterioribus addita esse.

Quartum. In Concilio Ephesino publice lectum est Symbolum Nestorianum , una cum libro Theodoreti scripto contra Anathematismos Cyrilli ; in utroque autem negatur Spiritum Sanctum procedere a Filio. Cum ergo illius Concilii Patres non legatur hujusmodi doctrinae contradixisse , videtur eam approbasse. Primo respondeo : non constare , quod Patres non contradixerint. Neque enim omnia , quae in Conciliis gesta sunt , scripta habentur. Deinde lectam quoque ibidem fuisse Epistolam Cyrilli cum Anathematismis ad Nestorium , in qua bis legitur , Spiritum Sanctum a Filio habere suum esse ; cui adeo Patres non contradixerunt , ut etiam magno consensu non Epistolam modo , sed totam

Cyrilli contra Nestorianos doctrinam probaverint : damnatis iis quae contra illum Theodoretus scripserat. Quod & fecerunt aliquot Synodi sequentes.

Quintum. Dionys. cap. 2. *de Divinis Nominibus*, solum Patrem dicit esse fontem Deitatis. Ergo solus Pater est, a quo Deitatem accipit, ut Filius, ita Spiritus Sanctus. Respondetur. Patrem solum recte dici fontem Deitatis, quia instar fontis, qui praebebat aquam non aliunde acceptam, Pater Divinam Naturam aliis personis communicat, quam non ab alia accepit : Nam alioqui, si in fonte tantum consideres hoc quod est, aquam de se emitte, sive eam aliunde habeat, sive non. Isto modo Filius quoque fons Deitatis dici potest ; quomodo dixit Epiphanius *Haer.* 69. Filium fontem de fonte, sicut Deum de Deo.

Sextum. Basilius *Epist.* 43. propriam notionem Spiritus Sancti esse dicit, quod per Filium, & cum Filio cognoscatur, & ex Patre subsistentiam habeat. Quae distincta locutio exigere videtur, Spiritum Sanctum ita ex Patre subsistentiam habere, ut non ex Filio. Respondetur, Spiritum Sanctum ex sententia Basilii, cognosci per Filium tamquam spiratorem, quomodo Filius cognoscitur per Patrem tamquam Patrem seu genitorem ; ac proinde prioribus verbis significari, quod Spiritus a Filio procedat. Nec repugnant verba posteriora, ut quae non aliud significant, quam Spiritum Sanctum subsistere ex Patre solo, tamquam auctore principali, ut loquitur Augustinus lib. 3. *contra Maximinum* cap. 14.

Septimum. Gregorius Nazianz. in Oratione ad Episcopos Aegypti : *Omnia*, inquit, *quae habet Pater, habet etiam Filius, excepta causalitate.* Ergo Filio Pater non communicat esse causam Spiritus Sancti. Respondetur : a Gregorio intelligi causalitatem eam, quam Pater habet ad Filium, idest, generationem activam ; tantum enim comparat Patrem & Filium inter se. Vel certe causalitatem intelligit, qua quod est principium primum, idest, principium sine principio. Neque enim omnem causalitatem removet a Filio, quem constat omnis creaturae causam esse, una cum Patre, & Spiritu S.

Octavum. Joannes Damascenus lib. 1. *de Fide Orth. cap. 11.*: Spiritum Sanctum, inquit, & ex Patre, & Spiritum Patris nominamus. Ex Filio autem Spiritum Sanctum non dicimus, sed Spiritum Filii nominamus. Respondet S. Thom. in *Disputatis de Potentia q. 10. art. 4.* non esse standum sententiae Damasceni, quia secutus fuerit errorem Graecorum, haustum a Theodoro. Idem responderet in *Summa 1. p. q. 36. art. 2. ad 3.* addens tamen & aliam quorundam responsionem, quod Damascenus, sicut non confitetur Spiritum Sanctum esse a Filio: ita etiam non negat ex vi illorum verborum. Videtur enim Damascenus non tam rem ipsam negare, quam modo loquendi subterfugere: videlicet propter Haeresim Macedonii & Eunomii, qui ex Filio tamquam prima & sola causa processisse Spiritum Sanctum dicebant, a Patre eum alienantes. Nam suam alioqui de re ipsa sententiam satis ibidem insinuat Damascenus, cum dicit Spiritum Sanctum per Filium nobis traditum esse, juxta illud Joan. 20. *Insufflavit in eos dicens: accipite Spiritum Sanctum*: cumque subjungit comparisonem de Sole, radio, & splendore, qui per radium nobis tribuitur. Magis autem indicat hoc ipsum *cap. 18.* dicens, imaginem Patris esse Filium, & Filii Spiritum Sanctum, atque hunc per Filium Patri esse conjunctum.

Nonum. Theophyl. super illud Joan. 3. *Qui desursum est super omnes est.* Latini, inquit, male haec exponentes, & minus recte intelligentes dicunt, quod Spiritus, etiam ex Filio procedat. Sed respondetur, Theophylactum vixisse, nata jam controversia de processione Spiritus Sancti ex Filio inter Graecos & Latinos; ideoque ejus, & aliorum Graecorum qui eodem tempore vixerunt, auctoritatem hac in parte, merito a Latinis reprobari. Quamvis enim quidam eorum docti fuerint ac celebres, communi tamen illo suae Gentis errore tenebantur impliciti. Verum quia non statim facta fuit ob hanc causam aperta divisio Graecorum ab Ecclesia Romana, neque determinata quaestio per Concilium generale, sit, ut ab haeresi pariter, & schismate videantur excusandi; quomodo excusari non possunt, qui postmodum

dum secuti in errore perstiterunt ; inter quos Nicephorus Callistus , ut videre est in praefatione historiae ejus Ecclesiasticae , & alii permulti usque in hodiernum diem.

Decimum argumentum , quo impugnatur prima ratio superius adducta , tale est. In Divinis realiter distinguuntur paternitas , & spiratio passiva , nec tamen sunt relationes oppositae ; non ergo solae relationes oppositae in Deo distinguuntur realiter ; idemque judicium de filiatione , & spiratione passiva : & proinde per has relationes sufficienter inter se distinguuntur Filius & Spiritus Sanctus , ut non sit necesse distinctionem eorum realem petere ab oppositis relationibus , quae consequuntur originationem unius ab altero. Ad hoc varie a diversis respondetur ; sed optima responsio videtur , si dicamus , quod etsi paternitas spirationi passivae non opponatur , distinguitur tamen ab ea ratione aliqujus oppositae relationis. Non tantum enim distinguuntur realiter in Divinis ipsae relationes oppositae , sed propter eas etiam ipsa supposita relativa , quae sunt personae subsistentes ; & ita consequenter distinguuntur etiam proprietates earundem personarum constitutivae. Quoniam ergo relationes oppositae sunt spiratio activa & passiva , quae proinde realiter distinguuntur , consequens inde est , non modo supposita relativa , nempe personam spirantem & spiratam realiter distingui , verum etiam proprietates utriusque personae constitutivas. Atqui spirantem personam constituit paternitas ; quare paternitatem necesse est consequenter a spiratione passiva distinctam esse realiter. Ratio tamen distinctionis semper petenda est ab oppositione relativa , qua sublata tollitur etiam distinctio : quocirca si non esset inter Filium & Spiritum Sanctum oppositio relativa , nimirum per hoc quod alter ab altero procedit , nec personae , nec earum proprietates , quae sunt filiatio & spiratio passiva , distinguerentur.

Undecimum , contra eamdem rationem. Spiritus Sanctus a Filio sufficienter distinguitur per hoc , quod alter gignitur , alter spiratur : qui sunt duo modi productionis impossibiles. Quod & probatur testimonio Anselmi , qui cap. 1. *de*
pro-

processione Spiritus Sancti dicit, Filium, & Spiritum Sanctum per hoc esse alios ab invicem, quia diverso modo habent esse a Patre, scilicet alter nascendo, alter procedendo. Nam, inquit, *si per alium non essent plures, per hoc solum essent diversi*: ergo ad inveniendam horum distinctionem non est necesse confugere ad relationes oppositas. Respondemus cum eodem Anselmo *ibidem*, & cum S. Thoma in Summa *ubi sup.* duos illos productionis modos non esse distinctos realiter, nisi propter relationes oppositas, a quibus necessario petenda est omnis distinctio realis in Divinis, ut jam dictum est; quia teste eodem Anselmo, *in Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.*

Duodecimum, quod est Theophylacti. Spiritus Sanctus unus est: ergo ab uno principio una spiratione procedit. Respondetur hoc verum esse, nec tamen ulterius consequi, quod non procedat a Patre, & Filio, quia Pater & Filius unum sunt principium Spiritus Sancti, eumque una spiratione producant, ut proxima Distinctione docebitur. Similiter omnes tres Personae unum sunt principium totius creaturae: neque ex eo, quia Pater est creaturae principium, recte collegeris idem principium non esse Filium, & Spiritum Sanctum.

Decimumtertium. Spiritus Sanctus sufficienter, & perfectissime procedit a Patre; frustra ergo ad ejus productionem adjungitur Patri Filius. Respondetur, adjungi Filium non propter insufficientiam Patris, sed quia Filius habet omnia, quae Pater. Unde nec frustra producantur creaturae a tribus Personis, fit enim hoc propter communem omnibus tribus essentiam, atque potentiam.

Decimumquartum. Esse principium Spiritus Sancti Filio competit, aut ratione Personae, aut naturae: sed neutrum dici potest. Non naturae, quia sic etiam competeret Spiritui Sancto, quippe cum natura tribus sit communis. At neque ratione personae, quia sic ei soli competeret. Respondendum, neutro modo competere hoc Filio, uti nec Patri. Nam Pater, ut Pater, tantum est principium Filii; Filius autem ut Filius, non est principium alicujus, sed principiatum res-

pectu Patris. Competit autem utrique esse principium Spiritus Sancti, ratione actus cujusdam notionalis, qui est activa spiratio. Qui quidem actus duobus est communis, ideoque Personam non constituit, uti plenius explicandum *ad Distinct. 26.*

Postrema Graecorum objectio, quae non tam contra doctrinam Latinorum est, quam contra additionem Symbolo factam a Latinis. Nam ut parte Graecorum sibi objicit Magister in principalibus Conciliis, ac nominatim in Ephesino, ita Symbola eorum subjunctis Anathematibus sancita sunt, ut nemini de Trinitatis Fide aliud docere, vel aliter praedicare, quam ibi continetur, liceat. In quibus quidem Symbolis, cum tantum dictum sit, Spiritum Sanctum procedere a Patre, quicumque Symbolo addunt eum procedere a Filio, Anathema videntur incurrere. Huic objectioni primum respondeamus: Ecclesiam sine dubio potestatem habere aliquid addendi Symbolis a se compositis; nec si id faciat, ulli Anathemati fieri obnoxiam. Deinde justa ratione motos fuisse Latinos, ut additionem illam, *Filioque*, ad Symbolum facerent. Mota enim controversia exigebat, ut doctrina Catholica explicaretur: quod quidem unius voculae ad Symbolum adjectione, commodissime factum est. Neque vero hinc sequitur Latinos aliud, quam in Symbolo continetur, docuisse secundum mentem Concilii id sub anathemate prohibentis. Non enim aliter intelligi debet anathema Concilii, quam Apostoli Galat. 1. dicentis: *Si quis vobis evangelizaverit, praeter id, quod accepistis, anathema sit.* Nam ut Augustinus eandem doctrinam exponens *Tract. 98. in Joan.* ait: *Qui supplet, quod minus erat, addit; non quod inerat, tollit.* Aliud ergo non quomodocumque diversum, sed pugnans & contrarium intelligitur. Probatur autem hoc etiam ipsorum Conciliorum exemplo. Constat enim posteriora Concilia fere semper aliquid decretis priorum addidisse; nec non Symbola edidisse, quae plus aliquid, quam priora, continerent. Pauciora enim continet Symbolum Apostolicum quam Nicaenum, & hoc rursus quam Constantinopolitanum, & ita deinceps; dum propter Haereses emergentes,

aut controversias subortas doctrina Catholica in Scripturis, & Apostolica traditione comprehensa, magis ac magis aperitur. Hanc responsionem late prosequuntur Patres Concilii Florentini in disputatione cum Graecis.

Respondent alii, non esse factam a Latinis additionem, sed explicationem, quia illud, *Filioque*, includitur in eo, quod dicitur, *a Patre*, cum dicat Filius: *Quaecumque habet Pater, mea sunt*. Sed & hanc responsionem legere est in actis ejusdem Concilii. Sensus autem hujus responsionis est, verbo quidem factam esse additionem, reipsa autem explicationem, eo quod pars addita in priori latenter continetur. Unde Concilium Flor. Graecis consentientibus, ita concludit: *Definimus explicationem illorum verborum, Filioque, veritatis declarandae gratia, & imminente tunc necessitate, licite, & rationabiliter Symbolo fuisse appositam.*

Verum adhuc insistet aliquis & dicet, nemini licere, ac ne toti quidem Ecclesiae, addere aliquid ad Symbolum Apostolicum, uti nec ad Scripturam Sacram, immo nec ad scripta Patrum & Conciliorum decreta. Falsarius enim haberetur qui id faceret, si illa cum additione ederet, aut recitaret pro Scriptura Sacra, aut Concilii decreto, aut libro alicujus Patris. Hoc autem videntur Latini fecisse, dum totum illud Symbolum additione auctum recitant, ut Symbolum Constantinopolitanum; quo nomine passim a doctis appellatur. Respondetur, Ecclesiam simpliciter illud recitare, seu cantare tamquam Symbolum Fidei, non autem sub nomine certi Concilii, a quo editum fuerit. Libenter enim agnoscit, & profitetur partem illam, *Filioque*, ad Symbolum, ut in Concilio Constantinopolitano editum est non pertinere, & proinde Symbolum ea parte non esse illius Concilii. Idque facto ipso declaravit Leo III. quando, ut refert Magister, Symbolum illud sine dicta additione jussit inscribi tabulae argenteae, & post altare Beati Petri ad perpetuam memoriam repositum custodiri. Non enim hoc ideo fecit, ut additionem damnaret, uti calumniantur adversarii, sed ut ipsius Constantinopolitani Symboli, quale a Concilio editum est, extaret memoria. Dicimus tamen, idem ipsum cum

cum additione esse Symbolum Ecclesiae, quae non prohibetur alicujus Concilii Symbolo aliquid addere, atque illud non ut illius Concilii Symbolum, sed tamquam suum recitare. Quomodo licet etiam verbis Scripturae pium aliquid adjungere, aut intermiscere, ut in laudibus Divinis saepe facit Ecclesia, velut dum singulis Psalmis subjungit, *Gloria Patri*, &c. dum lectionibus ex Scriptura sumptis addit: *Tu autem Domine*, &c. & alia hujusmodi. Nam & Graeci orationi Dominicae, quae profecto Symbolo quovis venerabilior est, annectunt haec verba: *Quia tuum est regnum & potestas, & gloria in saecula. Amen.* Quae omnia satis ostendunt in hujusmodi additionibus nullum esse crimen falsitatis, nec omnino quicquam dignum reprehensione; & proinde Ecclesiam Romanam non modo citra periculum anathematis, verum licite & sancte, quando justa ratio sic exposcebat, additionem ad Symbolum facere potuisse.)

IN DISTINCTIONEM DUODECIMAM.

(§. I.

Spiritum Sanctum nec prius, nec plenius a Patre procedere, quam a Filio.

S. Thom. 1. part. q. 36. art. 3.

QUoniam satis ex superioribus liquet, Spiritum Sanctum procedere ex Patre, & Filio: quaeritur nunc, *utrum aut prius, aut plenius, atque perfectius procedat ex Patre, quam ex Filio.* Ad quod respondendum: si temporis ordo quaeritur, dubitandum non esse, quin sicut ab aeterno Filius ex Patre genitus est, ita etiam ab aeterno Spiritus Sanctus ex Patre Filioque processerit. Cum enim immutabilis sit Deus, quidquid in eo est, aeternum est. Unde illa est Ecclesiae in Symbolo Athanasii professio: *In Deo nihil esse prius, aut posterius.* Sed & Augustinus de hac re peculiariter agens, & Haereticorum cavillo respondens lib. 15. *de Trin. cap. 26.*

docet, sic intelligendam sine tempore Spiritus Sancti processionem de utroque, sicut intelligitur sine tempore generatio Filii de Patre. Cavillum Haereticorum cum responsione Augustini, vide in Magistro §. 1. & 2. Quocirca Lateranensis Synodus sub Innocentio III. cap. 1. definivit: *Spiritum Sanctum ab utroque pariter, absque initio, semper, & sine fine procedere.* Porro nec ordine dignitatis aut naturae, quicquam in illa Trinitate prius esse, posteriusve patet ex iis, quae ad 9. Distinct. dicta sunt. Unde consequitur, nec magis, aut plenius, aut perfectius, quae tria idem in proposito significant, Spiritum Sanctum a Patre procedere, quam a Filio. Sic enim esset ibi ordo dignitatis, aut naturae. Idem hac ratione ostenditur. Una eademque spirandi virtus est in Patre & Filio, quae seipsa nec major esse potest, nec minor; sicut est eadem in utroque spirandi actus, qui seipso nequit esse perfectior, aut imperfectior; sicut in utroque est idem actus cognoscendi vel operandi. *Certum igitur est nec prius nec plenius, idest, perfectius a Patre, quam a Filio, procedere Spiritum Sanctum.*

Verum adversus haec unus ex Basilio locus obijci potest, in quo dignitatis ordinem ponit inter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Sic enim habet lib. 3. *contra Eunom. circa initium. Dignitate Spiritum Sanctum secundum esse a Filio, pietatis ratio tradit. Nam quemadmodum Filius, ordine quidem a Patre secundus est, quoniam ab illo est; & dignitate, quoniam origo, atque causa essendi Pater ipsi est: ita & Spiritus Sanctus dignitate & ordine secundus a Filio est.* Haec Basilius. Igitur si dignitate Filius a Patre secundus, & Spiritus Sanctus a Filio; consequens est Spiritum Sanctum, prius ordine dignitatis procedere a Patre, quam a Filio. *Sed respondetur:* in his Basilii verbis dignitatem non aliud esse, quam auctoritatem, idest, rationem principii. Dicitur ergo Filius Patre, & Spiritus Sanctus utroque esse dignitate posterior, quia Pater Filii, & uterque Spiritus Sancti principium est, sive, ut Basilius ipse exponit, origo, & causa essendi. Nec tamen hac ratione Spiritus Sanctus a Patre prius procedit quam a Filio, cum procedat unica processione ab
utro-

utroque : nisi hoc tantum sensu , quia quod Filius sit principium Spiritus Sancti , id nascendo a Patre accepit , quem admodum declarat August. lib. 15. *de Trin. cap. 17.*)

§. II.

Patrem & Filium esse unum principium Spiritus Sancti.

S. Thom. 1. part. q. 36. art. 4.

Inter alia quae Graeci Latinis contra Spiritus Sancti processionem ex Filio objecerunt , etiam illud fuit , quod calumniati sunt Latinos , tamquam duo facerent principia Spiritus Sancti ; ut videre est apud Theophylactum in Joann. 3. ubi propterea negat Spiritum Sanctum esse ex Filio , ne duo principia Spiritus introducamus Patrem & Filium. Verum huic objectioni facile fuit Latinis respondere , dicendo Patrem & Filium esse unum principium Spiritus Sancti ; non duo , ut jam supra indicavimus. Quo certius autem constaret de mente Latinorum , simul & pro majori declaratione Catholicae doctrinae de processione Spiritus Sancti in duobus Conciliis Oecumenicis Lugdunensi , & Florentino , quibus ipsi quoque Graeci interfuerunt & assenserunt , definitum est : Spiritum Sanctum ex Patre & Filio , non tamquam ex duobus principiis , sed tamquam ex uno principio ; non duabus spirationibus , sed unica spiratione procedere , subjuncto Anathemate in eos , qui contrarium asserere praesumpserint. Quae definitio extat in sexto Decretalium *Titulo de Summa Trinitate* , & eadem res late declaratur in ultima sessione Concilii Florentini.

Idem docetur his rationibus. Prima : Non alio differt Filius a Patre , quam originis relatione , qua fit , ut ille Pater sit , iste Filius , nec possit esse idem Pater & Filius : ergo quod ad spirationem attinet , sunt ambo unum idemque principium , uno & eodem spirationis actu Spiritum Sanctum producentes.

Secunda : Quicquid Filius habet a Patre , idem numero est

est cum eo , quod est in Patre , velut eadem essentia , potentia , bonitas , &c. Habet autem Filius a Patre , quod sit principium Spiritus Sancti ; est igitur ipse cum Patre unum idemque principium Spiritus Sancti.

Tertia : Creaturae licet inter se , & a Deo sint natura diversissimae , procedunt tamen omnes ab una Trinitate tamquam ab uno principio , ut docetur infra *ad Distinct.* 29. Quare multo magis credendum est , Spiritum Sanctum , qui Patri & Filio consubstantialis est , ab iis procedere tamquam ab uno principio. His vero non obstat , quod legitur apud Hilarium lib. 3. *de Trinitate* : *Spiritum Sanctum de Patre , & Filio auctoribus confitendum esse* ; nam ibi dictio , *auctoribus* , adjectivè posita est pro producentibus. Sunt enim Personae producentes distinctae , licet ipsa productio sit una & eadem. Quod si substantive sumas *auctoris* vocabulum , tam fatendum erit a Patre & Filio tamquam uno auctore , procedere Spiritum Sanctum , quam a Patre & Filio & Spiritu Sancto , tamquam ab uno Creatore , credimus productum esse mundum. Est igitur Spiritus Sancti unus auctor , idest , spirator. Sunt autem , secundum Hilarium , duo auctores , idest , spirantes.)

§. III.

Quo sensu Spiritus a Patre procedere dicatur principaliter , proprie , & per Filium.

S. Thom. 1. part. q. 36. art. 3.

NON adversantur doctrinae superiori sententiae quaedam Patrum , quorum alii Spiritum Sanctum principaliter ex Patre procedere testantur , ut Augustinus lib. 15. *de Trinit. cap. 17.* Alii enim dicunt , proprie & ex Patre procedere , ut est in explanatione Fidei ad Cyrillum , quae fertur Hieronymi titulo , cujus nomine etiam a Magistro citatur ; licet satis constet ejus non esse. Alii procedere eum dicunt ex Patre per Filium , ut passim veteres Graeci , &
in-

inter Latinos Hilarius in fin. lib. 12. de Trin. Non enim hujusmodi sententiis significatum est, Spiritum Sanctum plenius aut perfectius a Patre procedere, quam a Filio; aut Patrem & Filium plura, ac distincta, & inaequalia esse principia Spiritus Sancti seu processionis ejus; sed principaliter quidem, & proprie procedere dicitur a Patre, quia Pater sic est ejus principium, ut hoc ipsum, quod est esse principium, a nullo accipiat: Filius autem aeterna sua generatione naturam accipiens a Patre, simul accipit esse principium Spiritus Sancti, idest, hoc accipit nascendo a Patre, ut etiam ex ipso ab aeterno, & aequae perfecte, atque ex Patre Spiritus Sanctus procedat, utpote ex eodem principio, quod est Pater. Sicut enim Filius est Deus de Deo, & tantum unus cum Patre Deus: ita est principium de principio, & tantum unum cum Patre principium. Principaliter ergo quasi dicas, principaliter Spiritus Sanctus a solo Patre procedit: quia licet Pater & Filius sint ambo unum Spiritus Sancti principium, solus tamen Pater est principium sine principio, Filius autem principium ex principio, item proprie Spiritus Sanctus a Patre procedit, quia Pater ab alio non accipit, ut ex ipso procedat Spiritus Sanctus; Filius autem hoc accipit a Patre. Dicitur namque proprie quis illud habere, quod habet sibi non aliunde communicatum. Hanc proprietatem adscribit Patri Filius, cum ait: *Mea doctrina non est mea: & sermo quem audistis non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris.* Denique per Filium dicitur a Patre procedere Spiritus Sanctus non tamquam per instrumentum, aut ministrum Patris, ac multo minus tamquam per causam adjuvantem: quomodo in humanis alius alium tamquam per se insufficientem adjuvat ad quippiam faciendum, sed tamquam per id quod medium est secundum originem; nimirum procedens a Patre, quod etiam ab ipso Spiritus Sanctus procedat. Quod & in operibus, quae sunt ad extra locum habet. Nam de Filio scriptum est: *Omnia per ipsum facta sunt;* & in Symbolo: *Per quem omnia facta sunt.* Atque hujus originis ratione rectissime confitemur Patrem esse primam Personam in Divinis, Filium secundam, Spi-
ri-

ritum Sanctum tertiam ; qui ordo secundum Graecorum errorem consistere non potest , uti ad superiorem distinctionem declaratum est.

§. IV.

An immediate procedat Spiritus Sanctus a Patre?

S. Thom. 1. part. q. 36. art. 3. ad 4.

JAm si quaerás : Utrum , quia per Filium Spiritus Sanctus procedit a Patre , ideo fatendum sit eum a Patre procedere mediate ; an vero nihilominus immediate dicendum sit eum ab utroque procedere ? *Respondeo* distinguendo : procedit enim ab utroque immediate , si consideres spirandi potentiam , sive spirationem ipsam activam , quae una est in Patre & Filio , ut supra diximus. Mediate vero procedit nimirum per Filium , & quasi mediante Filio , si consideres ordinem originis inter Personas. Quo sensu potest etiam concedi , res omnes creatas a Deo Patre mediate procedere , scilicet per Filium & Spiritum Sanctum ; & omnes effectus causarum secundarum procedere mediate a causa prima , tametsi intime omnia operante.

IN DISTINCTIONEM DECIMAM TERTIAM.

§. I.

Explicatur discrimen inter generationem Filii , & processionem Spiritus Sancti.

S. Thom. 1. part. q. 27. art. 3. & 4.

PRO intellectu quaestionis , qua discrimen inquiritur generationis Filii Dei , & processionis Spiritus Sancti , primo loco notandum est , processionis nomen ex se generale esse ad omnem modum , quo aliud ex alio oritur , atque emanat ; nam & quae nascuntur procedunt. Unde Augu-
sti

stinus lib. 3. *contra Maximin. cap. 14.* Non omne, inquit, quod procedit nascitur, licet omne id quod nascitur procedat; & qui mittitur, a mittente procedit. Unde Christus Joann. 8. Ego ex Deo processi. Quod sive de aeterna ejus ex Patre generatione, sive quod ex contextu magis apparet, de temporali missione in Mundum intelligatur, utrovis modo intellectum rei propositae servit. Et generaliter effectus ab efficiente causa procedit, ut calor ab igne, creatura a Creatore, opus ab artifice. Item ex causa materiali, ut ex ligno vermis, ex vestimento tinea, ex Adam processit Eva. Parem fere latitudinem significationis obtinet in causarum genere *producendi* vocabulum, ut exemplis probare facile est. Nam non solum vagatur per totum genus efficientis causae, verum etiam ultra extenditur. Producit enim Deus Pater Filium, & Spiritum Sanctum. Producit & quaedam materia suum effectum, ut lignum vermem, vestis tineam. Quae cum ita sint, usu tamen totius Ecclesiae nomen processionis contractum est jam olim ad significandum in Divinis peculiariter illum modum, quo Spiritus Sanctus a Patre procedit & Filio. Idque factum ea ratione, qua nomen generis ad certam speciem nomine vacantem restringi solet: nisi quod nomine Spirationis passivae species illa non tam a Veteribus, quam a Scholasticis Doctoribus significari solet. Deinde dubitandum non est, quin haec processio realiter a generatione sit distincta; neque enim aliter personae, quarum hae sunt proprietates, reipsa distingui possent. Ceterum, quia cum reali distinctione consistit, ut sint emanationes aliquae ejusdem rationis (distinguuntur enim reipsa generatio hujus hominis, & generatio illius) propterea & hoc addendum est: duas istas in Divinis emanationes sic esse reipsa distinctas, ut non ejusdem sint rationis, sed diversae: sic ut altera quidem veram generationis habeat rationem, altera vero minime. Neque enim duos Filios in Divinis agnoscit Fides Catholica, sed unicum & unigenitum Filium, ut Joann. 1. & alibi. Quo argumento, ad probandum discrimen harum processionum, utitur inter alia Augustinus *Tract. 99. in Joannem.*

His ergo constitutis quaeritur, qua tandem ratione distinguenda sit a generatione Filii processio Spiritus Sancti? Cum enim tam Spiritus Sanctus, quam Filius ejusdem sint naturae cum Patre, difficillimum videtur ostendere, quod illa processio non sit generatio. Primum igitur confitendum est cum Augustino lib. 3. *contra Maximin. cap. 14. & Tract. 99. in Joann.* non posse humanum ingenium in hujus vitae mortalitate assequi propriam illius rei cognitionem; praesertim cum Scriptura proprium aliquem modum hujus processio- nis, quae Spiritui Sancto peculiaris est, non expresse- rit; quemadmodum etiam testatur Joannes Damascenus lib. 1. *de Orthod. Fide cap. 10.* Veruntamen ut & Haereticis res- pondeatur, & absurdae Deoque indignae imaginationes ab animis fidelium excludantur, conati sunt Scholae Doctores pro suo captu rem tantam non omnino inexplicatam relin- quere, adhibita similitudine, quae nec a Scripturis aliena est, & ex Patribus, praecipue ex compluribus Augustini lo- cis colligi potest. De qua superius etiam nonnihil dictum est *ad Distinct. 10.* cum de modo processio- nis Spiritus Sancti ageremus. Cum enim dictum sit, generationem Filii similem esse productioni Verbi in mente; processio- nem autem Spiritus Sancti similem esse productioni amoris, recte col- ligunt Doctores inter haec duo tale discrimen, quod genera- tio sit emanatio per modum naturae, seu naturalis foecun- ditatis; processio vero, per modum voluntatis seu amoris. Non hoc significantes, quod Pater Spiritum Sanctum volun- tate spiret, non natura; nam sicut Filius, ita Spiritus San- ctus a Patre naturaliter emanat: sed inter duas naturales emanationes hujusmodi discrimen constituentes, quod altera sola fiat per modum naturae, altera vero per modum vo- luntatis. Quamvis enim etiam a mente, tam amor, quam cognitio naturaliter procedat, non tamen idem processio- nis utriusque est modus, sed cognitio quidem a mente ori- tur, tamquam naturalis eaque perfecta rei cognitae imago: amor autem, tamquam nexus quidam mutuus amantis ac rei amatae. Qua consideratione alii aliis verbis hoc discrimen explicantes dicunt, generationem esse per modum perfectae

assimilationis : processionem vero Spiritus Sancti per modum connexionis.

Verum hinc rursum nemo suspicetur Spiritum Sanctum non esse perfecte similem Patri, quod dicere nefas est, cum sit non minus quam Filius, propter unitatem naturae, Patri simillimus. Sed modus processionis ejus non est modus assimilationis, sicut modus quo procedit Filius. Cujus rei aliquale exemplum fingere possumus in pictore depingente suiipsius imaginem, quam etsi sibi similem, non tamen facit per modum assimilationis; nam eodem faciendi principio utitur, dum pingit imagines sibi dissimiles. Aliud exemplum huic rei vicinius est in productione Evae ex Adam, quae licet in similitudine naturae ejus, scilicet humanae, ex eo processerit; non tamen per modum assimilationis, quia non per modum naturae: unde nec nata dicitur ex Adam, nec filia ejus tantum ex eo producta. Abel autem & Cain, & ceteri, quia per modum naturae, idest, naturali foecunditate ex Adam processerunt, hinc nati ex eo dicuntur, & Filii vocantur. Itaque recte Damascenus lib. 1. *de Orthod. Fide cap. 10. & 11.* Spiritum Sanctum a Patre prodire dixit, *non nascibiliter*, neque *filialiter*, sed *processibiliter*: quasi diceret, licet ejusdem sit naturae cum Patre, a quo procedit; non tamen ab eo procedit via generationis, ut ex eo natus & Filius ejus dici possit, sed processionis cujusdam innominatae.

§. II.

Quaedam in contrarium argumenta solvuntur.

S. Thom. 1. part. qu. 27. art. 3.

Quo magis elucescat discrimen jam datum, solvenda sunt argumenta quae contra solent objici, quorum hoc primum sit. Id ab aliquo generari dicitur, quod ab eo accipit esse: igitur Spiritus Sanctus, qui esse suum accipit a Patre, generari ab eo dicendus est. *Respondetur*, generationem hic non ita generaliter accipi, ut significet ortum, seu

productionem cujuscumque rei secundum substantiam. Quae acceptio non tantum complectitur omnem generationem physicam, utpote rerum generabilium & corruptibilium; verum etiam rerum omnium creationem, ut fatendum sit, hoc modo omnem creaturam a Deo genitam esse. Neque praeter morem loquendi Scripturae, sic enim dicitur Deut. 32. *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, fecit, & creavit te?* Et Job 38. *Quis est pluviae Pater, vel quis genuit stillas roris?* Sed accipitur speciali ac proprio modo, secundum quem is, qui generatur, proprie dicitur Filius generantis, & vicissim generans proprie Pater geniti. Qui modus ut intelligatur, sciendum requiri imprimis, ut id quod gignitur, procedat de substantia gignentis, quo modo non procedunt a Deo, quae ab ipso creata sunt: quo modo etiam in creaturis non procedit ignis ab igne, & haec inferiora a Sole. Verum illud non sufficit, cum hoc modo procedat etiam a Patre Spiritus Sanctus, & de homine multa, ut ungues, capilli, vermiculi, quorum homo pater dici non potest. Itaque secundo requiritur, ut quod gignitur sit secundum naturam simile ei, a quo gignitur; cujusmodi non sunt ea superflua, quae de hominis substantia procedere diximus. Sed nec istud sufficit: nam & hoc modo de Patre procedit Spiritus Sanctus, ut ex supra dictis patet. Atque hoc rursus declarari potest exemplo Evae, quae producta est de substantia Adae in naturae similitudine; nec tamen ex eo genita, secundum proprium generationis modum. Requiritur ergo quoddam aliud praeterea ad completam rationem generationis: id autem est, ut quod gignitur, procedat a gignente per modum assimilationis, ut supra diximus, idest, ut in ipso procedendi modo conspiciatur ratio, cur genitum gignenti sit simile; sive ut ipsa generatio sit quaedam assimilatio producentis. Hoc igitur modo in Divinis non procedit Spiritus Sanctus, sed solus Filius. Nam ille quidem procedit similis Patri, sed non per modum similitudinis. Filius autem utroque modo, quod est generationis proprium.

Secundo objicitur definitio generationis ex Damasceno lib. 1. *de Fide Orth. cap. 8. Generari, inquit, est ex substan-*

tia

tia gignentis proferri, seu produci, quid simile secundum substantiam; quod totum competit in Spiritum Sanctum. Respondetur: eundem Damascenum *ibid. cap. 9. 10. & 11.* aperte distinguere inter generationem Filii, & processionem Spiritus Sancti. Quare dicendum, imperfectam esse generationis definitionem ab illo traditam. Satis enim ei erat illo quidem loco generationem a creatione & factione distinxisse. Ut igitur plena sit definitio, addendum quod modo diximus, per modum assimilationis.

(Tertium argumentum. Generare & spirare in Divinis non distinguuntur, utramque enim unum est in Patre: ergo nec generari, & spirari distincta erunt. Respondetur, generare, & spirare saltem ratione distingui: quod ex eo patet, quia Filius spirat, non generat. Est autem per accidens, quod realiter non distinguantur, eo quod cadant in eandem personam. Gigni autem & spirari distinguuntur etiam realiter; in quantum distinctarum Personarum personales sunt proprietates, quae quidem personae distinctionem realem accipiunt ex relationibus oppositis, ut *ad Distinct. 11.* dictum est. Potest hoc etiam declarari ex rebus creatis, in quibus actiones diversas in eodem esse saepe contingit, tamen passiones illis respondentes in eodem esse non possint; ut indurare & emollire in Sole, in igne, in aëre calido, non tamen indurari & emolliri in uno & eodem subjecto. Sic creare & gignere in Deo, non tamen creari & gigni in eodem aliquo respectu Dei. Itaque licet multiplicata processione sequatur personarum multiplicatio, non tamen eadem sequitur, multiplicata productione activa.

(Quartum. Sicut Filius est imago Patris, sic Spiritus Sanctus imago Filii, auctore Cyrillo *lib. 13. capit. 1.* dicente, perfectam imaginem Filii esse Spiritum Sanctum. Quod idem legitur apud Basilium *lib. 5. contra Eunom.*: imaginem autem haud dubie naturalem intelligunt, non artificialem: atqui naturalis imago in generatione intelligitur, juxta illud quod *Gen. 5.* dicitur, Adam genuisse filium ad imaginem & similitudinem suam: ergo sicut Filii, ita & Spiritus Sancti processio generatio est. *Respondeo cum S. Thoma 1. p.*

q. 35. art. 1. ad rationem imaginis in genere duo requiri, eademque sufficere, quorum alterum est processio, vel dependentia ipsius ab eo, cujus est imago: nam ut dicit Augustinus lib. 83. q. 9. 73. & 74. *licet ovum ovo sit valde simile, non tamen ejus imago dicitur.* Alterum, ut expressam habeat similitudinem ejus, cujus dicitur imago. Naturalis autem erit imago, si ab exemplari suo naturaliter procedat, sicut a vultu resultat imago in speculo; recte igitur Spiritus Sanctus imago Filii dicitur, sicut & Patris, quia ab utroque procedit in perfectissima naturae similitudine; sed tamen peculiari ratione Filius dicitur imago Patris, propter ipsum procedendi modum, qui est assimilationis. Et hoc pacto negandum non est, imaginem proprie in generatione intelligi. Sed de ea re plura ad *Distinct.* 27. ubi disputatur de imagine in Divinis. Quod autem Cyrillus non eundem procedendi modum tribuat Spiritui Sancto, quem Filio, patet ex fine lib. 6. *Thesauri*, ubi docet ex professo Spiritum Sanctum non esse genitum.

Quintum. *Spiritus Sanctus Verbum est Filii, sicut Filius est Verbum Patris*, ut auctor est Basilus lib. 5. *contra Eunom.* & in *Hom. super illud Joan. In principio erat Verbum*: ergo Spiritus Sanctus procedit per modum Verbi, perinde ut Filius. Quare consequenter processio ejus generatio est. Sed dato antecedente, de quo alibi videbitur, neganda est prior consequentia: nam Basilus iis locis in *Verbo* non considerat modum procedendi, sed tantum officium manifestandi. Usus enim *Verbi* est in eo, quod quis foras proferat, & aliis manifestet latentem in animo cogitationem. Sentit ergo Basilus, quod sicut per Filium incarnatum, tamquam Verbum quoddam visibile, clarificatus est Pater, dicente ad eum Filio: *Ego te clarificavi super terram*, Joan. 17. ita per Spiritum Sanctum infusum in corda hominum manifestatus, & clarificatus est Filius, juxta illud ejusdem Filii de Spiritu Sancto: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*, Joann. 16. Alii paullo aliter respondent, dicentes Basilium in *Verbo* considerasse usum operandi. Nam Verbum Divinum operatorium est juxta Scripturas: *Ipse dixit, & facta sunt: Omnia*

nia per ipsum facta sunt. Dixit Deus, fiat lux, & facta est: Verbo Domini Coeli firmati sunt: Misit Verbum suum, & sanavit eos; & alia hujusmodi multa. Sicut ergo Pater per Filium operatur rerum creationem, sic Pater, & Filius per Spiritum Sanctum operantur hominum sanctificationem; Quamquam, an absolute dici possit Spiritum Sanctum esse Dei Verbum, alia, uti diximus, quaestio est tractanda ad Distinct. 27. Quod autem Basilius processiones Filii & Spiritus Sancti distinguat, manifestum est ex Hom. ejus 28. contra Sabellianos, & aliunde. Alia porro quae hic objici possunt, cum suis solutionibus, videat studiosus apud S. Thomam 1. p. q. 27. art. 3. & 4.

§. III.

Utrum Spiritus Sanctus ingenitus dici debeat.

S. Thom. 1. part. q. 33. art. 4.

CUM sit ostensum Spiritum Sanctum non esse genitum, proxima quaestio est, *num igitur ingenitus dicendus sit?* Hoc enim consequens videtur argumento a contradicentibus. Ad quod respondentes, distinguendam esse dicimus variam *ingeniti* significationem. Uno enim modo, sicut genitum apud auctores Graecos, & Latinos aliquando significat idem, quod factum: Ita *ingenitum* idem, quod non factum, idest, non ab externo principio productum. Qua significatione Deo essentialiter competit esse *ingenitum*: quod proinde toti Trinitati commune est. Hoc sensu Lactantius lib. 1. *Div. Inst. cap. 6. & 7.* approbat Oraculum Sibyllae Erytraeae, in quo Deus *ingenitus* vocatur Graece ἀγέννητος, quod ipse ἀπίητοι, idest, *non factum* interpretatur. Et Gregorius Nazianzenus in *Orat. de Filio.* τὸ ἀγέννητον *ingenitum*, ut Deo proprium a creatura removet. Et post eum Damascenus lib. 1. cap. 8. *ingenitum* inter essentiales Dei proprietates recenset: cujus & significationem, cap. 9. distinguendo explicat. Huc quoque pertinet, quod Cyrillus lib. 10. *Thes. cap. 1. & 2. & l. 2. cap.*

3. *Dialogorum cum Hermia*, affirmat Filium quaecumque habet, a seipso habere, videlicet extra positum principium ab eo excludens.

Secundo. Juxta propriam geniti significationem accipi potest *ingenitum*, ut genito sic accepto, contradictorie opponatur, idemque sit, quod non genitum. Hoc modo cum inter tres Personas solus Filius genitus sit; dicere licebit non tantum Patrem ingenitum esse, sed etiam Spiritum Sanctum, ut quem constet esse non genitum. Atque in hunc sensum recte Magister in textu Hieronymum interpretatur, *in regulis definitionum contra Haereticos*, dicentem: *Spiritus Sanctus Pater non est, sed ingenitus atque infectus*. Idem illa sententia significatur, quod istis verbis in Symbolo Athanasii: *Spiritus Sanctus non factus, nec genitus*. Tametsi apud Hieronymum nullus eo titulo liber extat, nec omnino verba a Magistro recitata apud eum reperiuntur.

Tertio. *Ingenitum* usurpatione Patrum, & Conciliorum accipitur pro eo, quod absolute a nullo originem habet; ut *ingenitum* sit idem, quod *improcessibile*, idest, principio seu origine carens, quod Hilarius vocat *inaccessibile*. Hac *ingeniti* acceptione, non Filius, non Spiritus Sanctus, sed solus Pater ingenitus est. Sic loquitur, & definit contra Photinum haereticum Synodus Sirmiensis *Anathematismo* 19. Cujus declarationem videre est apud Hilarium lib. *de Synodis*. Sic loquitur idem Hilarius lib. 4. *de Trin.* Item Athanasius libro scripto *contra Eusebium Nicomediensem*. Basilii Hom. 27. *contra Sabellianos*. Augustinus lib. 15. *de Trinit. cap. 26. Et Dialogo ipsi adscripto quaestionum* 65. q. 2. Cyrillus lib. 1. *Theo. cap. 1. & lib. 11. cap. unico*, ubi tamen inter Graecas voces primae & tertiae acceptionis, tamquam diversas distinguit. Item Damascenus lib. 1. *Orth. Fidei cap. 8. & 10.* Amplius autem hoc ipsum confirmat Romanum Symbolum insertum Concilio Chalcedonensi; Damasi Symbolum *inter opera Hieronymi*; & Symbolum Gregorii Primi, quod in ejus vita habet Joannes Diaconus lib. 2. *circa initium*. Denique Concilium Toletanum *in art. 1.* in quibus Fidei formulis confitentur Patres *Spiritum Sanctum nec*
ge

genitum esse, nec ingentum. Quocirca juxta Patrum definitiones, simpliciter negandum est Spiritum Sanctum ingentum esse, praesertim cum apud eos nusquam scriptum reperitur Spiritum Sanctum dici *ingentum*. Nam de Hieronymi loco, qui apud Magistrum est, jam diximus. Verum de his adhuc sermo recurret ad *Distinct.* 28.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMQUARTAM.

§. I.

Esse quamdam temporalem Spiritus Sancti processionem.

S. Thom. 1. part. 9. 43. art. 2. 3. & 4.

DUplex est processio Spiritus Sancti, *aeterna & temporalis*. De *aeterna* dictum est haecenus; de *temporali*, quae & missio dicitur, nunc agendum. Sciendum tamen non facile reperiri apud Patres, ut missio Spiritus Sancti nomine processionis significetur, praeterquam apud Bedam in *Hom. Dominicae infra octavam Ascensionis Domini*, dum ita scribit: *Cum Spiritus Sancti gratia datur hominibus, mittitur profecto Spiritus a Patre, mittitur & a Filio: procedit a Patre, procedit & a Filio; quia & ejus missio ipsa processio est, qua ex Patre procedit & Filio*. Sic ille. Adfert praeterea Magister ad id probandum quaedam Augustini verba ex lib. 15. *de Trin. cap. 26*. quibus dicit, Christum post resurrectionem insufflavit in Discipulos, & dixisse: *Joan. 20. Accipite Spiritum Sanctum: ut Eum, inquit, etiam de se procedere ostenderet*. Sed ibi processionem intelligit Augustinus aeternam, non temporalem; sensus enim est: Christum per hoc, quod insufflavit in Discipulos, & dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, ostendisse, quod Spiritus Sanctus non solum ex Patre, verum etiam ex ipso ab aeterno procedat. Neque enim temporaliter Spiritum Sanctum donaret, nisi eundem aeternaliter spiraret.

Quamquam recte Bedae auctoritatem secuti Magister &
Estii Theol. Tom. I. Ee Scho-

Scholastici, missionem Spiritus Sancti processionem vocaverunt; praesertim cum sermo ille a Patribus non rejiciatur, atque insuper consentaneus sit Scripturae Sacrae, in qua Filius propter temporalem suam missionem in mundum, dicit se processisse a Patre. Joann. 8. *Ego, inquit, ex Deo processi, & veni. Neque enim a me ipso veni, sed ille me misit: igitur missio ejus processio erat, cui loco similis est cap. 16. ubi dicit: Ego a Deo exivi; & iterum: Exivi a Patre, & veni in mundum.* Quod si Filio competit temporalis processio, nihil ergo prohibet, quo minus etiam Spiritui Sancto tribuatur. Ratio enim communis est in eo, quod uterque mittitur.

Porro temporalis haec processio Spiritus Sancti distinguitur ab aeterna; quod per illam Spiritus Sanctus ab aeterno naturam accepit de Patre & Filio, per hanc vero temporaliter procedit ad sanctificandam creaturam, vel etiam ad alium effectum. Quod ut plenius intelligatur, in Divina processione, perinde atque in motu convenit imaginari aliquid, velut terminum *a quo*: & rursus aliud, velut terminum *ad quem*, tametsi haec proprie locum ibi non habeant. Instar termini *a quo*, est persona, a qua est exitus sive emanatio, ut Theologi loquuntur: id autem quo tendit ipsa processio, est instar termini *ad quem*. Jam vero cum motus appellationem sortiatur a termino in quem tendit, patet aeternam dici processionem, qua id procedit atque existit; velut terminus, quod aeternum est. Ita enim fit, ut ipsa quoque processio secundum se sit aeterna. Quod enim aeternum est, non subit mutationem: ideoque si procedit, semper procedat necesse est. Eam vero dici temporalem processionem, per quam existit aliquid temporarium, sive per quam aliquid in tempore acquiritur. Prior illa processio est Filii a Patre, & Spiritus Sancti ab utroque secundum naturam. Posterior autem est ea, qua processit Filius ad opus Incarnationis: & qua procedit Spiritus Sanctus ad sanctificandos homines, qui sunt effectus temporarii: quamquam etiam secundum alios effectus missi fuisse dicuntur in Scripturis: de qua re proprie agetur *ad Distinct. 16.*

§. II.

Quid intersit inter missionem , & dationem Spiritus Sancti.

S. Thom. 1. part. q. 43. art. 2. in corp.

Missio Spiritus Sancti , alio nomine *datio* vocatur in Scripturis. Et utrumque tam Filio , quam Spiritui Sancto , in iisdem Scripturis tribuitur. Nam de Filio scriptum est Isai. 9. *Filius datus est nobis.* Et Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum unigenitum daret.* Et Galat. 4. *Misit Deus Filium suum.* Et passim in Evangelio Christus se missum a Patre testatur. Item de Spiritu Sancto Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum , qui datus est nobis.* Et Galat. 4. *Misit Spiritum Filii sui in corda nostra , &c.* Et saepe alibi. (Sed inter *missionem* , & *dationem* hoc interest ; quod *missio* primum nobis insinuat respectum Personae missae ad mittentem , tamquam auctorem & originem suam , & praeterea designat ejusdem personae novum quemdam existendi modum in creatura. Nam qui mittitur , incipit esse ubi non erat , vel simpliciter , vel certo modo. Hinc fit , ut nusquam legamus Patrem missum aliquando fuisse , quia originem ab alio non habet ; tametsi & ipse veniat ad sanctificandum hominem , juxta illud Joann. 14. *Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus , &c.* Est enim haec actio , idest , hominis sanctificatio , opus ad extra , & proinde toti Trinitati commune.

Porro *dari* id dicitur , quod quocumque auctore , seu agente incipit haberi seu possideri ab eo , a quo prius non habebatur , vel simpliciter , vel certo modo. Non importat autem hoc verbum auctoritatem dantis respectu ejus quod datur , vel hujus ab illo originem : sed significat tantummodo liberalem ejus , quo datur communicationem. Dat enim , qui efficit , ut quippiam ab aliquo habeatur , sive ipsius rei , quam facit haberi , sit auctor & origo , sive non. Unde Fi-
Ee 2 lius

lius semetipsum dare dicitur. Galat. 1. Et Pater veniens ad hominem, eique dona sua communicans, recte dicitur seipsum homini dare. Igitur in Divinis latius patet dare, quam mittere; & similiter dari, quam mitti. Sed de his plura Distinctione proxime sequenti.)

§. III.

Quomodo Spiritus Sanctus dari dicatur hominibus.

*S. Thom. 1. p. q. 43. art. 3. 5. ad 2. & 2. 2.
q. 23. art. 2.*

Quod saepe testatur Scriptura Spiritum Sanctum hominibus dari, & ab hominibus accipi, eumque in hominibus habitare: quaeritur utrum intelligendum sit de Spiritu Sancto secundum se, an vero tantum secundum ipsius dona & operationes? Quod enim ipsemet Spiritus Sanctus detur nobis, & non tantum ejus dona, nititur ostendere Magister testimoniis aliquot Scripturae, & Sanctorum Ambrosii & Augustini. Quibus addi potest locus ejusdem Augustini lib. 15. de Trin. cap. 18. & 19.

Pro diversa vero sententia facere videtur manifesta ratio. Cum enim Spiritus Sanctus per naturam ubique sit, & omnia impleat, juxta illud cap. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Et Psalm. 138. *Quo ibo a Spiritu tuo?* non videtur intelligi posse, quomodo dari, vel accipi, vel habitare incipiat, nisi ratione donorum suorum atque operationum. Unde Chrysostomus exponens illud Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*, per Spiritum Sanctum, dicit, intelligi dona ejus, non ibi tantum, sed & aliis Scripturae locis. Idemque in Hom. de Sancto & adorando Spiritu, discrete affirmat, non Spiritum Sanctum mitti, sed ejus dona.

Pro cujus quaestionis explicatione principio statuendum est tamquam dogma Fidei: Deum & unamquamque Personam Divinam esse ubique per essentiam, praesentiam, & potentiam, uti docetur ex professo ad Distinct. 37. Deinde fa-

fatendum nihilominus vere & recte dici, quod Deus alicubi esse incipiat, idque vel simpliciter, vel secundum quid; quod quidem fit pluribus modis.

Primo: per hoc, quod res ipsae incipiant esse. Cum enim Deus sit in rebus omnibus existentibus, non autem in iis, quae non sunt, fit, ut eo ipso, quo res aliqua esse incipit, Deus quoque in eadem re incipiat esse.

Secundo: proprie & personaliter alicubi esse incipit secundum naturam assumptam. Hujus enim naturae ratione Filius Dei proprie loco continetur, & de loco in locum motus est, immo & in loco esse coepit, quando naturam humanam in utero Virginis assumpsit.

Tertio: Divina Persona alicubi esse incipit in signo. Quo modo Spiritus Sanctus descendisse dicitur super Christum in specie Columbae. Non enim tunc incoepit eo loco personaliter contineri, quia non in unitatem personae naturam Columbae sibi conjunxerat. At neque ratione sanctificationis alicujus dici potest, ibi tunc esse coepisse; quia Christo, qui ab initio suae Incarnationis erat plenus gratia, nihil gratiae sanctificantis per hunc Spiritus Sancti descensum accessit, sed in Columbae specie se repraesentavit tamquam in signo suo. Significabat enim Columba Spiritum Sanctum, quo & Christus homo secundum se plenus erat, & quem in membris suis per Baptismum esset *accepturus*.

Quarto: Deus incipit alicubi esse, nempe in homine, quando homo incipit eum invisibiliter habere praesentem, scilicet per Fidem, Spem, & Charitatem, qua templum Dei efficitur, & habitatorem incipit habere Deum, juxta illud Ephes. 3. *Christum habitare per Fidem in cordibus vestris*. Sic enim Deus dicitur habere cuncta semper praesentia; quia ea semper cognoscit & diligit: ita homo Deum tunc incipit habere praesentem, quando incipit eum cognoscere & diligere. Tunc autem perfecte praesentem habebit, quando eum perfecte cognoscet & diliget.

His praemissis ad propositam quaestionem respondetur: recte dici cum Magistro, licet forte non eodem sensu cum illo, Spiritum Sanctum dari hominibus, non tantum secundum

dum dona sua, verum etiam secundum se, quia nimirum sic datur, ut ipsemet per cognitionem & amorem incipiat homini praesens esse. Quamvis enim cognitio, & amor Dei non sint ipse Deus, sed dona Dei, reddunt tamen ipsum Deum homini praesentem modo quodam, quo prius praesens non erat.

Confirmatur haec responsio ex eo, quia propter hanc praesentiam vocatur homo *Templum Spiritus Sancti*. Hoc autem de donis Spiritus Sancti intelligi non potest, quia proprie soli Deo Templum debetur, sicut & ipsi soli debetur Sacrificium, dicente Augustino Serm. 101. *de diversis cap. 4. Templum solus verus Deus habere debet: Sacrificium soli vero Deo offerri debet.* Item dicitur Deus homini praesens fieri, quando incipit ab homine cognosci & amari, ut jam dictum est: atqui non est hoc intelligendum de donis Dei, sed de ipso Deo, quem per Fidem cognoscimus, & per Charitatem amamus. Quare consequens est, Deum secundum se nobis praesentem fieri, & proinde Spiritum Sanctum secundum se nobis dari. Dixi autem, licet forte non eodem sensu cum Magistro, quia Magister in hac sua responsione videri potest eo tendere, ut doceat Charitatem, quae Dei donum est, non aliam esse, quam ipsum Spiritum Sanctum, ut aperte docet *Distinct. 27.* ubi de ea opinione pluribus est disserendum.

Ex his quae dicta sunt, patet responsio ad rationem in contrarium adductam. Manifestum est enim Deum, sine ulla sui mutatione, esse incipere alicubi secundum modos enumeratos. Omnis quippe mutatio modis illis significata, vel est in creatura dum incipit esse, vel specialiter in natura assumpta, vel in signo usurpato, vel in homine sanctificato. Nec mirum, si Deus alicubi esse incipiat sine sui mutatione, quando & Sol iste corporeus, nulla sui mutatione, fit praesens homini oculos ad eum intuendum aperienti. Illud autem Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum*: quamvis Chrysost. de donis Spiritus Sancti interpretetur, plenius tamen & rectius August. locis supra indicatis de Spiritu Sancto secundum se dictum intelligit modo jam explicato, tam-

et-

etsi Chrysostomi interpretatio etiam in hunc sensum conveniat. Hoc enim agitur per dona Spiritus Sancti in bonis suscepta, ut ipsum Deum Fide, Spe, & Charitate conjunctum nobis, atque praesentem habeamus. Nec sane aliud vult Chrysostomus, quam Spiritum Sanctum nobis non dari, quasi ipse mutetur, sed quia nos mutamur tali operatione seu dono, quod circa ipsum versetur, & non tantum circa dona ejus.

§. IV.

Qua ratione Spiritus Sanctus hominem inhabitare dicatur?

S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 2.

CUM varia sint dona Spiritus Sancti, non tamen unumquodque eorum tale est, ut ejus ratione homo dicatur habere Spiritum Sanctum, aut templum esse Spiritus Sancti, aut eum habere inhabitatorem, aut agi Spiritu Dei. Haec enim, & hujusmodi tum demum homini tribuuntur usū Scripturae Sacrae, quando homo jam Deo reconciliatus, gratus & amicus effectus, liberius & familiarius eo fruitur tamquam re possessa. Id significant hae Scripturae, & similes: Joan. 14. *Si quis diligit me, &c. mansionem apud eum faciemus.* Et ibidem: *Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere.* Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Roman. 8. *Vos in carne non estis, sed in spiritu; si tamen Spiritus Dei habitat in vobis: Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Et rursum: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Et 1. Corinth. 3. *Nescitis, quia Templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?*

Porro secundum cetera dona Spiritus Sancti, cujusmodi multa ab Apostolo enumerantur 1. Cor. 12. & gratiae gratis datae vocantur, non solet dicere Scriptura dari hominibus Spiritum Sanctum, aut homines habere, vel accipere Spiritum Sanctum, sed tantum secundum aliquid, idest,
ad

ad hunc vel illum effectum , ac multo minus , ob sola ejusmodi dona , homines vocantur Templum Spiritus Sancti, aut ipse Spiritus Sanctus in illis habitare dicitur.

Est praeterea notandum eos , qui Spiritum Sanctum habent , non omnes ipsum aequaliter habere , ut recte docet S. Augustinus *Epist. 57. ad Dardanum*. Quo enim quisque sanctior est , & majori praeditus charitate , eo perfectius , plenius & abundantius habet Spiritum Sanctum. Quod quomodo fiat , absque ejus qui habetur , immutatione , docet ibidem Sanctus Augustinus similitudine soni , quem aequaliter in aëre sonantem pari vicinitate surdus non capit , surdaster imperfecte capit , & inter eos , qui perfecte capiunt , alius adhuc alio capit perfectius. Sic enim & Spiritus Sanctus , cum sit in se immutabilis , & suae praesentia Divinitatis omnia replens , a quibusdam omnino non habetur , ab aliis autem habetur & possidetur magis , minusve secundum gradus charitatis aliarumve virtutum , quibus Deo conjungimur.

(§. V.

Utrum fatendum sit homines dare Spiritum Sanctum?

S. Thom. suppl. q. 18. art. 1. ad 1.

DICTUM est supra , *missionis* vocabulo insinuari originem ejus , qui mittitur ab eo qui mittit. Ex quo manifeste consequitur , nullo modo dicendum homines mittere Spiritum Sanctum. Neque enim dici potest , Spiritum Sanctum ab hominibus originem aliquo modo habere ; sed cum *dationis* nomen nihil tale importet : quaeritur utrum saltem recte dicatur , *dari posse ab hominibus Spiritum Sanctum?* Cui quaestioni clarius respondebitur , si distinxerimus varios dandi modos , secundum quos intelligi queat Spiritum Sanctum ab aliquo dari. Uno igitur modo dare rem aliquam ille dicitur , qui cum dominus sit rei , dominium ejus donatione transfert in alium , quomodo quis alteri dare dicitur agrum , vel pecuniam : hoc autem modo , impossibile est

est dari Spiritum Sanctum, ne quidem a Deo, cum Spiritus Sanctus nullius sit dominio subiectus, sed ipse cum Patre & Filio sit Deus & Dominus omnium.

Secundo, dare dicitur ille, qui sua virtute, vel auctoritate, tamquam causa principalis efficit, ut res aliqua ab alio habeatur, sive ipsius rei causa sit, sive non; quomodo inter homines Pater Filio dat animam seu vitam, licet ipsius animae proprie non sit causa. Hoc modo, Spiritus Sanctus a Patre & Filio, atque a seipso datur, non autem ab homine puro quantumcumque Sancto: nam sanctificatio, per quam ab hominibus Spiritus Sanctus habetur, principaliter solius est Divinae virtutis. Qua ratione, Joan. 1. dictum est de Christo: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Et 1. Corinth. 3. *Qui incrementum dat Deus.* Et Isai. 43. *Ego ipse, qui deleo iniquitates tuas.* De hoc modo dandi Spiritum Sanctum loquitur Augustinus lib. 15. *de Trinit. cap. 26.* & aliis locis compluribus, in quibus negat homines dare posse Spiritum Sanctum.

Tertio, dicitur quispiam aliquid dare voto, suffragio, merito, aut alia simili occulta communicatione ejus, quod in ipso est: quo modo soli Sancti, & justi homines, nimirum ipsi Spiritum Sanctum habentes, dare dicuntur Spiritum Sanctum. Et de hoc modo intelligenda sunt quaedam Augustini loca, scribentis contra Donatistas, ubi dicit Ecclesiam, idest, Sanctos, qui in Ecclesia sunt, quique sunt Ecclesiae pars potior, ac Deo conjunctior, suis precibus & gemitibus peccata remittere, & Spiritum Sanctum dare, ut lib. 3. *contra Donatistas cap. 18.* & lib. 7. *cap. 12. & 43. Tract. 121. in Joan.* Et *Hom. 23. inter 50.* Item Ambrosius in illud Lucae 10. *Solvite, & adducite.* Et Theophylactus in *Matt h. 18.*

Postremo, dicitur quis dare aliquid suo ministerio, vel per modum instrumenti. Hoc modo, homines etiam mali dare possunt Spiritum Sanctum, non omnes tamen, sed illi soli, qui in Ecclesia constituti sunt Sacramentorum ministri. Hinc apud Apostolum 2. Cor. 3. Ministerium Novi Testamenti vocatur *ministratio spiritus.* Hinc quoque generatim ad

Apostolos, inter quos erat Judas, dictum est a Domino, Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Quod quidem etiam de Spiritu Sancto intelligi, satis declarat Petrus Act. 8. in reprehensione Simonis Magi; & quamquam eodem cap. non dicatur aperte, Apostolos dedisse Spiritum Sanctum, sed tantum, quod per impositionem manus Apostolorum dabatur Spiritus Sanctus; Veteres tamen hoc ita intellexerunt, ut a ministris Sacramentorum dari significetur Spiritus Sanctus. Unde Cyprianus lib. 1. *Epist.* 13. omnem eum, qui baptizatur, Spiritum Sanctum dare dicit. Quod multo magis in Sacramentis Confirmationis & Ordinis veritatem habere, satis est ex Patrum scriptis manifestum. Nam & initiandis Presbyterio dicit in ipsa ordinatione Episcopus: *Accipite Spiritum Sanctum*; nimirum significans se suo ministerio dare ordinandis Spiritum Sanctum. Hoc modo loquuntur Summi Pontifices, Innocentius I. *Epist.* 1. *capit.* 3. Joannes III. in *Epist. contra Chorepiscopos edita.* Et Innocentius III. *extra de Sacra Unctione cap. unico.* Item Isidorus lib. 7. *Etymol. cap.* 12. & habetur apud Gratianum *Distinct.* 21. *c. Clerus.* Beda & Oecumenius in *Act.* 8. atque alii.

Denique sicut remissio peccatorum recte dicitur dari ab hominibus propter ministerium, juxta illud Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* ita & Spiritus Sanctus ratione ejusdem ministerii, quo facit homo, ut ab aliquo Spiritus Sanctus habeatur. Unde in quadam oratione Ecclesiae Spiritus Sanctus vocatur remissio peccatorum *seria 3. Pent. post Com.* Huic porro non dissimile est, quod Apostolus Rom. 1. optat Romanos accedere, ut impertiatur e is aliquid gratiae spiritualis. Et quod *Eph.* 4. sermonem bonum dicit ad hoc valere, ut det gratiam audientibus. Quodque Leo Pontifex *Serm. de omnibus Sanctis*, loquens de Sancto Petro dicit, eum tantam dedisse divinae gratiae largitatem, ut multa millia credentium sanaret in cordibus. Quod autem Paulus ait *Galat.* 3. *Qui tribuit vobis spiritum*, non huc pertinet, sed ad secundum modum: non enim hoc de se dicit Apostolus, quomodo Magister intellexit, sed de Deo, juxta omnium fere interpretationem.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMQUINTAM.

§. I.

Utrum Spiritus Sanctus detur aut mittatur a seipso?

S. Thom. 1. part. quaest. 43. art. 8.

Quaestionis hujus, qua quaeritur, *utrum a seipso detur, aut mittatur Spiritus Sanctus*, explicatio pendet ex iis, quae ad superiorem Distinctionem *de Missione & Datione dicta sunt*. Cum enim mittendi vocabulum importet respectum ejus, qui mittitur ad mittentem tamquam auctorem, a quo mandatum, potestatem, vel operationem accipiat, fit consequens, ut ea sola persona mitti ab aliqua dicatur, quae ab illa procedit. Unde & Hilarius in lib. *de Synodis*, ex missione processionem colligit. Et cum de processione Spiritus Sancti ex Filio ageremus, eam ex Patribus hoc argumento asseruimus, quia Spiritus Sanctus juxta Scripturae auctoritatem a Filio mittitur. Quam etiam causam esse supra diximus; eum Patrem missum nusquam legamus, quia videlicet a nullo procedit; quae ratio datur ab Augustino lib. 2. *de Trin. cap. 5.* & apertius lib. 4. *cap. 20.* Filium autem a Patre, & Spiritum Sanctum a Patre, & Filio missos, saepenumero legimus. Hinc ulterius consequitur, nec Spiritum Sanctum, nec aliam quamvis personam mitti a seipsa: non enim a seipsa procedit. Sed cum *dandi* vocabulum ejusmodi relationem non significet, fit, ut neque incommode seipsum *dare* dicatur Spiritus Sanctus; hoc nimirum sensu, quia ipse sua potestate, ac liberrima voluntate se alteri donat & communicat, juxta illud Joan. 5. *Spiritus ubi vult spirat*. Et illud 1. Corinth. 12. *Omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult*. Ita docet Augustinus lib. 5. *de Trin. cap. 19.* Et confirmatur ratione. *Dare* enim illi maxime convenit, cujus ita proprium est quippiam, ut illud facere possit alterius esse: atqui Spiritus Sanctus ita suus est,

ut se, quibuscumque voluerit creaturis, possit communicare; immo revera omnibus aliquo modo communicet. Potest ergo Spiritus Sanctus seipsum dare hominibus. Item probatur, quia Pater & Filius dant Spiritum Sanctum: ergo & Spiritus Sanctus seipsum. Est enim hoc opus toti Trinitati commune, ab Omnipotentia, quae tribus communis est, procedens. Quo quidem fundamento nititur argumentum Magistri, quo docet, Spiritum Sanctum a seipso dari. Si enim, inquit, seipsum dare non posset, cum possint eum dare Pater & Filius, sequeretur Patrem & Filium aliquid posse, quod non posset Spiritus Sanctus; & similiter de actuali datione. Quae ratio firma, & solida est ex eo; quia dare attributum Deo tantum, significat opus ad extra, idest, quod sit circa creaturam sine connotatione proprietatis alicujus personalis: hujusmodi autem opera toti Trinitati sunt communia, & talium respectu dicitur potentia in Deo. Neque idem est judicium *de missione*; quia licet *missio* significet opus ad extra, processionem tamen, ut dictum est, internam consignificat.

Porro rationes jam dictae convincunt, quod etiam Pater det seipsum & Filius seipsum, immo quod unaquaeque persona det unamquamque, ut Filius Patrem, &c. Ex quo rursum correlative infertur unamquamque personam dari ab unaquaque, ut Patrem a Filio, &c. Nec id sane Scripturis Sacris dissentaneum est. Nam, quod Filius recte seipsum dare dicatur, supra ostensum est Galat. 1. Et hoc ipsum manifestius testatur Ambrosius lib. 3. *de Spiritu Sancto cap. 2.* Item de Patre, & Filio significationem hujus rei habemus Joan. 14. ubi in sua & Patris persona dicit Filius: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Cum enim per hunc adventum suscipiat homo Patrem & Filium; consequens est eos ipso suo adventu sese dare homini, quia dare, & accipere sunt correlativa. Huc quoque referri possunt generales Scripturae, Joan. 3. *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Coelo.* 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Jacob. 1. *Omne datum optimum desursum est, descendens a Patre luminum, &c.* Habet
au-

autem homo justus Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum (est enim habitaculum totius Trinitatis) Accepit ergo hoc datum optimum , utique datum ei de Coelo , de eadem Sanctissima Trinitate. Denique phrases hujusmodi vel ex eo probantur , quia nusquam apud Patres legimus eas improbatas esse.

(Sed contra haec objicitur locus Sancti Thomae 1. part. q. 43. art. 2. ubi dicit : *Quaedam cum habitudine ad principium important terminum temporalem , sicut missio , & datio.* Simile quid dicit super hanc Distinct. q. 3. art. 1. : ergo sicut *missio* , ita & *datio* importat respectum ad dantem , tamquam ad auctorem ejus , quod datur. *Respond.* Sanctum Thomam ibi potissimum urgere terminum temporalem , nam sequitur : *Mittitur enim aliquid ad hoc ut sit in aliquo , & datur ad hoc ut habeatur.* Deinde idem Doctor ibidem art. 4. ad 1. distinguit duplicem acceptionem *dationis* , sed prior acceptio est secundum Scripturas , ut hic ostendimus , non posterior. Et nota quod dicit : *si vero importet auctoritatem* , &c. non enim audet affirmare. Et clarius in hanc Distinctionem art. 1. ubi negat *dationem* importare distinctionem dati a principio , a quo datur ; *Quia* , inquit , *idem potest dare seipsum.* Et *quaest. 3. art. 1.*)

Ceterum , quod Magister concedendum similiter putat, Filium , & Spiritum Sanctum etiam a seipsis procedere , & mitti : quamvis id fortassis aliquo sensu posset concedi de temporali processione & missione , de qua sola loqui se Magister declarat : simpliciter tamen ac servata proprietate significationis horum vocabulorum concedi non debet. In iis enim vocabulis Deo attributis , praeter id , quod fit in tempore , etiam aeternum aliquid insinuat , ut satis in superioribus explicatum est : tametsi Magister ad id solum , quod extra , atque in tempore fit , respexerit. Adde , quod si cum Magistro demus Spiritum Sanctum a seipso procedere , & mitti temporaliter , non esset satis solida Romanae Ecclesiae contra Graecos probatio : Spiritum Sanctum ex Filio procedere aeternaliter ; quia ab eo temporaliter mittitur secundum Scripturam. Sic enim sequeretur , Spiritum Sanctum etiam

etiam ex seipso ab aeterno procedere, si ut concedit Magister, a seipso temporaliter mittitur & procedit: atqui illa Latinorum probatio ex antiquis Patribus accepta, sine dubio solidissima est. Quare *nequaquam concedendum videtur, Spiritum Sanctum mitti, sive procedere temporaliter a seipso*. Neque sufficienter id probat Magister, ex Augustino lib. 2. de *Trin. capit. 3.* Non enim ibi affirmat Augustinus Spiritum Sanctum a seipso mitti, sed Filium a seipso. Quod quomodo recte dicatur, nunc deinceps explicandum.

§. II.

An Filius a Spiritu Sancto, vel a seipso missus sit?

S. Thom. 1. part. q. 43. art. 8. in corp.

Filium a Patre missum fuisse, ex Scripturis indubitatum est. Utrum autem fatendum sit, eum etiam a seipso, vel a Spiritu Sancto missum esse, merito quaeritur.

Pro parte negante facit proprietates vocabuli *missionis*, de qua supra. Cum enim Filius Dei, neque a seipso, neque a Spiritu Sancto quidquam accipiat, sed omnia cum natura acceperit a Patre, non apparet quomodo ab alio, quam a Patre missus dici possit. Hoc & Filius significasse videtur, quando ait: *Ego a meipso non veni*, Joan. 8. quasi diceret, ego a meipso missus non sum.

Porro contrarium astruere videtur Scriptura duobus locis, quibus Filius se missum testatur a Spiritu Domini. Dicit enim Isai. 48. *Dominus Deus misit me, & Spiritus ejus*. Et cap. 61. citante Luca cap. 4. *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me; evangelizare pauperibus, misit me; sanare contritos corde, &c.* Quibus testimoniis ad idem ostendendum usi sunt Patres; priori quidem, Ambrosius lib. 3. de *Spiritu Sancto cap. 1. & 2.* & post eum Augustinus lib. 2. de *Trin. cap. 5.* Et inter ejus opera *Serm. 6. de Temp.* Posteriori vero rursum Ambrosius in Prologo lib. 3. de *Spiritu Sancto*. Quamquam notandum, quod etsi Luc. 4. legatur ex versione 70. quo-

modo jam recitatum est, ut videantur haec verba *unxit*; & *misit*, dici de Spiritu Domini; in Hebraeo tamen, ex versione Hieronymi, sic legitur apud ipsum Prophetam: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde*: ubi verbum *misit*, magis ad Dominum, idest, Patrem, quam ad Spiritum Domini videtur referendum; eo quod praecedentis verbi, *unxerit*, expressum suppositum sit Dominus. Quare & apud Lucam eadem verba ad Dominum potius, quam ad Spiritum videntur referenda, hoc modo: *Spiritus Domini super me, propter quod Dominus unxit me, &c.* Ut significetur Dominus, idest, Deus Pater unxisse Filium Spiritu Sancto, sicut aperte dicitur ab Apostolo Petro Act. 10. & eundem misisse, &c.

Jam vero quamvis Scriptura nusquam testetur Filium missum a seipso, censet tamen eodem de Trinitate loco Augustinus, ne id quidem inconvenienter dici; eo quod missio Filii temporalis sit, quidquid autem temporaliter a Deo fit, toti sit Trinitati commune.

Ad quaestionem respondemus: servata proprietate vocabuli *missionis*, nihilominus recte dici Filium missum a Spiritu Sancto, atque a seipso. Cum enim in Filio duae sint Naturae, Divina & Humana, illam quidem a solo Patre accepit: istam vero tota Trinitas operata est, deditque Filio, quam proinde & a tota Trinitate Filius accepit: secundum hanc igitur Naturam recte Filius a tota Trinitate missus dicitur ad universum opus humanae redemptionis. Nec id mirum, cum hac ratione etiam minor sit non tantum Patre, sed etiam Spiritu Sancto & seipso, quemadmodum proxima distinctione dicetur: hoc modo Filium a Spiritu Sancto missum, ex mente Ambrosii manifeste probat Prologus tertii libri *de Spiritu Sancto*. Verum plus difficultatis habet August. sententia, qui cum loco memorato dixisset, eo ipso missum esse Filium, quo factus est ex muliere, postea lib. 4. cap. 20. dicit, intelligi posse, ut non ideo tantum dicatur missus Filius, quia Verbum caro factum est, sed ideo missus, ut Verbum caro fieret: idest, ut non tantum homo missus intelli-

gatur, quod Verbum factum est : sed & Verbum missum, ut homo fieret ; quod & paullo post repetit dicens : Sapientiam Dei missam, ut esset homo. Itaque velle videtur Augustinus, Filium Dei, priusquam homo esset, missum ad hoc, ut humanam naturam assumeret. Quod si ita est, non igitur hac ratione missus est ut Filius hominis, sed tantum ut Filius Dei. Ad hunc scrupulum duplex adfertur responsio : una, si cum Magistro vocabulum *missionis* ita generaliter accipiamus, ut per eam non aliud significetur, quam quod persona mittens principium sit illius temporalis effectus, qui per ipsam missionem producit : unde cum sint inseparabilia Trinitatis opera, quoties ad novum aliquem effectum aliqua persona mittitur, a tota Trinitate mitti intelligeretur. Sed cum durius sonet, & tam a Scriptura quam a Patribus alienum sit, Filium dici missum a seipso, vel a Spiritu Sancto, qua ratione Filius Dei est, & humanam in eo praeveniendō naturam ; ideo sermo huiusmodi, tamquam simpliciter falsus rejiciendus est, ut supra docuimus ; praesertim cum juxta illam generalem acceptionem *missionis*, ratio non possit reddi, cur non etiam Pater mitti dicatur, cum ad opus sanctificationis, tam ipse, quam Filius, & Spiritus Sanctus illabatur mentibus hominum. Atque hinc est, quod ipse Augustinus in fine lib. 4. *de Trinitate*, agnoscens, absurdissime dici Patrem missum a Filio vel a Spiritu Sancto, etiamsi per subjectam naturam voluisset hominibus visibiliter apparere, concludit : *Potius propter principii commendationem, quam propter apparitionem in creatura visibili, missionem attributam esse Personis Divinis.* Quibus in verbis bene norandum, quod in *missionis* vocabulo rationem principii sive originis urgeri velit Augustinus. Hoc enim ad ea, quae hactenus de proprietate vocabuli *missionis* dicta sunt, illustranda & confirmanda multum habet momenti. Unde & Magister sub finem Distinctionis ex Augustino similiter vult, in vocabulo *missionis* expendi & considerari auctoritatem principii, ne fateri cogatur etiam Patrem mitti. Ex quo sumitur evidens argumentum contra ipsum Magistrum, non esse concedendum, quod Spiritus Sanctus mit-

tatur a seipso ; quia videlicet principii rationem ad seipsum non habet.

Altera igitur responsio est , eaque verior , Augustinum posteriori loco non dicere , quod Filius sit missus a seipso , vel a Spiritu Sancto , sed solius Patris meminisse , ex quo solo , sicut processit ab aeterno , ita & processit atque missus est ad opus Incarnationis in tempore.

§. III.

Multiplicem esse missionem Filii Dei.

S. Thom. 1. part. q. 43. art. 5. & 7.

Missio Filii Dei multiplex ab auctoribus annotata est. *Prima* , ipsa generatio Filii Dei ex Patre ab aeterno , de qua missione sic Gregorius Homil. 26. in *Evangelia super illud Joan. 20.* Sicut misit me Pater : *Mitti* , inquit , *etiam juxta naturam Divinitatis potest intelligi. Eo enim ipso Filius a Patre mitti dicitur , quo a Patre generatur. Et infra de Spiritu Sancto : Sed ejus missio ipsa processio est , qua de Patre procedit & Filio. Sicuti igitur Spiritus Sanctus mitti dicitur , quia procedit , ita & Filius non incongrue mitti dicitur , quia generatur. Sic ille. Verum haec admodum improprie missio dicitur , tum quia non fit ad extra , tum quia inde sequeretur , Filium & Spiritum Sanctum fuisse a Patre missos ab aeterno : quod nemo Patrum dixit. Unde & Augustinus lib. 4. de *Trin. cap. 20.* ubi de modis missionis ex instituto disserit , negat eo ipso tantum quo de Patre natus est , missum dici Filium. Sed & Magister §. K. hunc missionis modum non libenter agnoscit. Dicit enim , quod *secundum aeternam genituram , missus posset dici Filius , ut videtur quibusdam : sed melius ac verius , inquit , secundum eam dicitur genitus. Quin & Gregorius , si totus locus attentius consideretur , deprehenditur , non aliud velle , quam Filium Dei missum intelligi posse , non tantum ut homo est , sed etiam ut Deus ; quod ex eo probat , quia Spiritus**

Sanctus, qui incarnatus non fuit, missus tamen dicitur, quare ratione procedit ex Patre, & Filio: non quod missio Spiritus Sancti non sit aliud, quam processio ejus ex Patre, & Filio; sed quia in plena ratione missionis ejus illa continetur. Ita enim & Filius secundum Naturam Divinitatis missus est, in quantum ex Patre genitus, non quod missio Filii sit prorsus idem, quod ejus ex Patre generatio; sed quia in missione Filii generatio continetur. Non enim dici posset, aut Filius mitti secundum Naturam Divinam, aut Spiritus Sanctus, nisi secundum eandem Naturam procederent ab illo, a quo mitti dicuntur.

Est igitur *secunda missio*, qua Filius Dei, nondum homo factus missus est a Patre, ut Humanam Naturam assumeret. Hac missione a solo mittitur Patre, sicut Spiritus Sanctus a Patre & Filio, ut dictum est capite praecedenti.

Tertia est, qua idem homo factus, a tota Trinitate missus est ad praedicandum Evangelium, & exequendum universum opus nostrae redemptionis. Et quidem his duobus modis missus dicitur in mundum, vocanturque hae visibiles missiones; quia per eas visibilis mundo apparuit.

Quarta item visibilis, qua nimirum visibiliter apparuit in assumpta, vel exhibita cujuscumque corporis specie, non tamen per unionem assumpti, vel exhibiti corporis hypostaticam: quomodo etiam missus Spiritus Sanctus. Sed de his plenius agetur *Distinct. proxima*.

Quinta invisibilis, id est, ea qua invisibiliter per gratiam sanctificantem illabitur mentibus hominum; & hoc etiam modo Spiritus Sanctus mitti dicitur: eo tamen discrimine, quod appropriatione quadam Filio Dei tamquam Verbo & Sapientiae Patris tribuantur ea gratiarum dona, quae ad cognitionem spectant. Unde est illud Sap. 9. de Sapientia: *Mitte illam de Coelis sanctis tuis, ut sciam quid acceptum sit apud te*. Spiritui Sancto autem, ea, quae ad amorem, & affectus inflammationem pertinent, ut ex sequentibus magis patebit.

IN DISTINCT. DECIMAMSEXTAM.

§. I.

Quomodo visibiliter missi Filius & Spiritus Sanctus?

S. Thom. 1. part. 2. q. 43. art. 6.

Multiplices modi quibus missus legitur, vel Filius, vel Spiritus Sanctus contrahi possunt ad duo genera, scilicet, *ad missionem visibilem, & invisibilem.* Ac de *invisibili* quidem *missione* agetur duabus Distinct. proxime sequentibus. Hic autem de *visibili* agendum.

Visibilis missio dicitur, quae fit per subjectam creaturam sensui expositam, qua persona, quae mitti dicitur, aliquo modo repraesentetur. Quod etsi interdum fiat per alium sensum, quam visum, ideoque generaliter haec missio sensibilis dici possit, recte tamen visibilis dicitur a sensu principaliori, & hac in re frequentiori. Missus est autem visibiliter Filius semel dumtaxat, excellenti & singulari modo; quando assumpta Natura Humana, inter Homines homo visibilis apparuit. Alias vero apparuit eo modo Filius Dei hominibus, quo & reliquas Personas subinde apparuisse, in Sacris Literis didicimus, velut *Genes. 18. & 32. Exod. 3. & 20. Isai. 6. Dan. 3. & 7. Apoc. 1. & alibi.* His autem modis apparens Filius, recte etiam missus fuisse dicitur. Spiritus Sanctus saepenumero visibiliter missus legitur. *Primo*, quando in specie columbae super Christum in ejus Baptismo descendit. *Secundo*, quando post Resurrectionem suam Christus insufflans in Discipulos, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Hoc enim dicens, Spiritum Sanctum flatu illo corporeo, quem ex ore expirabat, significatum esse voluit. *Tertio*, quando die Pentecostes, sonitu facto tamquam spiritus vehementis, apparuerunt supra Discipulos dispertitae linguae tamquam ignis. Nam in his quatuor *sono, vento, linguis, & igne*, repraesentatus tunc fuit Spiritus Sanctus. His addere licet ejus-

dem apparitionem, de qua *Genes. 18.* ubi Sancto Abrahae Trinitas apparuit in specie trium hominum; unde Ecclesia, *Tres vidit, & unum adoravit.*

Pater, etsi aliquando praesentiam suam sensibili signo declaravit, velut quando vox ejus audita est de nube dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, &c. Matth. 17.* Quando Joann. 12. rursum vox Patris a turbis audita est dicentis: *Et clarificavi, & iterum clarificabo:* Quando Danieli Propheetae visus est, tamquam antiquus dierum *Dan. 7.* Quando etiam Abrahæ, ut jam dictum est, apparuit, unus inter tres viros a se susceptos hospitio. *Genes. 18. qua de re videatur Augustinus lib. 2. de Trin. cap. ult.* non tamen visibiliter missus dicendus est, sed visibiliter, aut sensibiliter advenisse. Sicut enim invisibiliter advenit, nec tamen mittitur, quando mansionem suam facit in homine juxta Scripturam *Joan. 14.* ita visibiliter advenit, nec tamen missus fuit secundum jam dictas apparitiones; quia *propria missionis ratio, sive ea visibilis, sive invisibilis intelligatur, in Patrem non competit,* ut supra satis ostensum est.

Quales autem fuerint subjectae creaturae, per quas humanis sensibus exhibitae leguntur Personae Divinae, excepta illa carne, quam in unitate Personae assumptam a Verbo Dei, secundum fidem catholicam non est dubitandum ita disputat August. lib. 4. *de Trin. cap. ult.* ut nec dubitet, ejusmodi veras fuisse creaturas. Sed utrum tantummodo corporales atque sensibiles fuerint, an vero adhibito etiam spiritu rationali vel intellectuali apparuerint, non ad unitatem personae, sed tantummodo ad ministerium peragenda sanctificationis, non audet definire. Verumtamen existimat ante Christi Incarnationem, Deum hujusmodi signa operatum fuisse per Angelos, idque Scripturis ostendit esse consentaneum. Quamquam & post Incarnationem Verbi, quoties similia signa exhibitae sunt, aut exhibentur, non sine rationali vel intellectuali creatura exhiberi, probabilius opinatur. Sed de hac re plura ex professo *ad Dist. 8. lib. 2.*

§. II.

Quo sensu dictum sit Patrem esse Filio majorem.

S. Thom. 1. part. q. 42. art. 2. 4. ad 1. & art. 6.

Quamvis ex ratione missionis non sit consequens, eum qui mittitur, esse minorem mittente, nihilo magis, quam ex ratione processione consequens sit, procedentem minorem esse eo, a quo procedit (*est enim originis quaestio, non aequalitatis, quis, de quo sit*) ut ait August. lib. 3. *contra Maxim.* vere tamen dixit Filius, Joan. 14. *Pater major me est.* Quod utrum similiter de Spiritu Sancto dici possit, nempe Patrem eo majorem esse, inquirendum, si tamen prius ostenderimus, quo sensu id dictum sit de Filio. Sunt autem hujus sententiae duae celebres expositiones.

Una est, eaque promptior & expeditior, qua Pater intelligitur dici major Filio, considerato secundum humanam naturam, ut sit sensus: *Pater me homine major est.* Juxta hanc igitur expositionem, dixit hoc Christus ut Filius hominis, non ut Filius Dei. Qua quidem ratione non tantum Pater, sed & Spiritus Sanctus Filio major est, & ipse Filius major seipso, idemque Filius Patre & Spiritu Sancto & seipso minor, juxta illud Philip. 2. *Cum in forma Dei esset exinanivit seipsum, formam servi accipiens*, id est, factus est seipso minor. Immo secundum assumptam naturam, non solum Deo, sed & Angelis minor est, dicente Psalmista Psal. 8. *Minuisti eum paullo minus ab Angelis.* Quod de Christo interpretatur Apostol. Heb. 2. Hic intellectus probabilis fit ex ipso contextu sermonis Christi. *Si, inquit, diligeritis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est: quasi diceret, ea ratione Pater major me est, qua ad eum vado, nempe secundum Naturam Humanam; nam secundum Naturam Divinam a Patre non recesserat. Sic intelligit, & intelligentiam ex contextu probat S. August. scribens super Joannem in expositione hujus loci Tract. 78. Sic idem alibi saepe exponit,*
ut

ut lib. 1. de Trin. cap. 7. 8. & 11. Et lib. 2. cap. 5. & 6. Et lib. de Fide, & Symb. cap. 9. Et lib. 83. qu. 9. 69. Et lib. 3. contra Maxim. cap. 24. & 25. &c. Sequuntur hanc expositionem plerique Latinorum, & inter Graecos Athanasius in Symbolo, ubi dicitur: *Christus aequalis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem*; ubi etiam diserte negat in illa Trinitate quidquam esse majus, aut minus. Et idem in Tract. de Humana Natura suscepta a Verbo, *in fine*. Et in disputatione contra Arium in Concilio Nicaeno, *non procul ab initio*. Et in altera disputatione contra Arium habita Laodiceae *post med.* licet hujus ipse Athanasius non sit auctor. Et lib. 3. de unica Deit. Trin. Sed nec ille Athan. est. Item Chrysost. & Theophyl. in *Joan.* Et Cyrillus lib. 2. *Thes.* cap. 3. Denique probari potest ex aliis Scripturae locis, quibus significatur Patrem Filio superiorem esse secundum naturam assumptam considerato, ut 1. Cor. 11. *Caput Christi Deus*. Et 1. Cor. 15. *Cum tradiderit Regnum Deo, & Patri, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia*.

Altera expositio est, eaque difficilior, qua Pater Christo, etiam ut Dei Filio, major dicitur, non ulla essentiali proprietate, quae in Patre sit, & non in Filio, aut in Patre major ac perfectior quam in Filio, sed sola auctoritate principii, idest, eo solo, quod Pater sit auctor, principium & origo Filii. Qua etiam ratione quamdam prioritatem Patri competere comparatione Filii, diximus *ad Dist. 9.* ubi de ordine Divinarum Personarum agebamus. Hac ratione dictum quoque est a Basilio initio lib. 3. *contra Eunom.* Filium *dignitate* secundum esse a Patre, & Spiritum Sanctum secundum a Filio: *dignitatis* nomine auctoritatem intelligendo, idest, principii rationem, ut alibi diximus. Tradunt hanc expositionem plerique Graeci auctores, ut Patres Concil. Sardinic. in Ep. scripta ad universos Episcopos, quae habetur lib. 4. *Hist. trip. cap. 24.* ex Theodoro lib. 2. cap. 8. Athanasius in Oratione 2. contra Arianos, *haud procul a fine*. Basilius Epist. 143. *ad Caesariens.* Et *in fine* lib. 3. *contra Eunom.* & lib. 4. *cont. eumd.* Gregorius Nazianz. in Oratione 4. *de Theol. object.* 3. etiam cum improbatione prioris exposition-

nis. Quibus accedit Joannes Damascenus lib. 1. *de Orth. Fi-*
de cap. 9. Eandem sequitur inter Latinos Hilarius lib. *de Tri-*
nit. & in lib. de Synodis.

Porro Chrysostomus, & Theophylactus in *Joan.* Et Cy-
 rillus lib. 2. *Theo. cap. 3.* utriusque expositionis meminerunt,
 & adeo priorem non improbant, ut eam etiam praeferant
 posteriori.

Secundum hanc igitur posteriorem expositionem: *Major*
 dicitur *Pater Filio*; quia prior, non natura, neque tempore,
 neque perfectione quacumque, sed originis dumtaxat ratione; quia
 videlicet Filius ex Patre, non Pater ex Filio.

Neque repugnat illud Symboli Athanasiani: *In Trinitate*
nihil esse majus, aut minus. Sic enim ibi, *nihil majus mi-*
nusve fateri licet, quomodo nec prius quidquam, aut poste-
 rius. Haec enim dicta sunt ad excludendam a Divinis omnem
 inaequalitatem, quae quidem attendenda est ex parte natu-
 rae & proprietatum essentialium, non ad tollendam origi-
 nis ac principii rationem. Quamquam Augustinus lib. 4. *de*
Trin. cap. 20. non admittit, ratione principii, Patrem dici
 Filio majorem. Verum ille majoritatem intellexit absolutam,
 & proprie dictam, ut patet ex initio capitis; sicut enim
 in creatoris magnum aliquid dicitur ratione quantitatis, quae
 est accidens absolutum; sic magnitudo, quae Deo tribuitur
 in iis, quae absoluta sunt, fundari debet; cujusmodi sunt
 Sapientia, Omnipotentia, Bonitas. In quibus quidem ita tres
 Personae magnitudine sunt aequales, ut nulla earum respec-
 tu alterius major aut minor dici possit. Ex quo patet, non
 nisi improprie, dici Patrem Filio majorem ratione princi-
 pii, cum principium sit ad aliquid, ideoque hujusmodi sen-
 tentiae, ne cum Ario loqui videamur, sobrie sunt usurpan-
 dae: quemadmodum & illa Hilarii verba, exponentis Ana-
 thematism. 17. & 27. Synodi Sirmiensis in *libro de Synodis*,
 sane intelligenda sunt, quibus dicit, Filium etiam secundum
 Naturam Divinam ministrare, subjectum esse, & obedien-
 tem Patri. Haec enim non aliud significant, quam Filium
 in omni actione exacte respondere voluntati Patris, a quo
 cum natura voluntatem & ipsum agere accipit. Jam autem

in eo, quod idem Hilarius lib. 9. *de Trin.* negat, Filium recte dici minorem Patre, etiamsi Pater dicatur Filio major; quod tamen omnino ex natura relatorum consequens videtur, putamus eum respexisse ad intentionem Arianorum, qui ex eo Scripturae loco contendebant, consequens esse Filium simpliciter, ac natura Patre esse minorem. Dicit enim Hilarius ex eo, quod Pater donantis auctoritate sit major, non sequi, ut Filius confessione doni sit minor; quia Pater donat ei tantum esse, quantus ipse est. Negat ergo Filium minorem natura, ut qui prorsus eandem, quam Pater habet, ab eo naturam acceperit: quamvis interim Pater major sit auctoritate principii, qua dator est naturae. Ad hoc autem citat Scripturam, Philip. 2. *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, &c.* quamquam Apostolus ibi non loquitur de aeterna donatione aequalis gloriae, quomodo ea verba intellexisse videtur Hilarius, sed de glorificatione Christi hominis, qua scilicet pro praemio redditum est illi a Patre, ut ab omnibus tamquam Deus Patri aequalis agnosceretur.

§. III.

Removetur obiectio Arianorum contra priorem expositionem.

S. Thom. 1. part. q. 42. art. 4. ad 1.

PRiorem expositionem illius sententiae: *Pater major me est,* convellere conati sunt olim Ariani, hoc argumento. Quod inepta sit omnis comparatio, qua res diversorum generum inter se conferuntur; sicut enim inepte & absurde quis dixerit, hominem esse sapienterem cane, ita & qui dicit Deum esse majorem homine, eoque magis, quo major est distantia naturae & perfectionis inter Deum & hominem, utpote infinita, quam inter hominem & bestiam. Meminit hujus objectionis Cyrillus lib. 10. *super Joan.*

Est autem ad eam respondendum, generalem illam sententiam, qua negant res diversorum generum recte inter

se comparari, multiplicem habere exceptionem.

Primo enim, recte proprieque comparantur inter se res diversissimae, in *accidente*, quod specie unum est: ut nix cum lacte in candore: homo cum arbore in longitudine & crassitudine.

Secundo. Non inepte comparantur res aliquae, *secundum praestantiam* in iis etiam, quae specie vel genere differunt. Ita dicimus hominem esse animal praestantius ceteris, & substantiam accidente digniorem.

Tertio. Contingit tropica locutione res diversas etiam in *dissimili accidente* recte comparari propter analogiam quamdam; dum uni proprie, alteri figurate quidpiam tribuitur: velut cum dicimus orationem melle dulciorem, pectus nive candidius.

Quarto. Recte atque etiam proprie comparantur aliqua multum diversa, in eo quod concipitur, tamquam eadem ratione iis competens, etiamsi revera diversissima ratione, & tantum *secundum analogiam* quamdam alteri tribuatur: quomodo recte dicimus hominem bestia prudentiorem; cum prudentia tantum analogice competat bestiae, sed conceptu tamen fere simili.

Atque hoc postremo modo dictum est secundum priorem expositionem, Patrem esse Filio majorem, & in univ ersum hoc modo verissime rectissimeque dicitur, Deum esse majorem, sapientiorem, potentiorem, meliorem homine. Sic Joan. 1. Epist. 3. *Deus*, inquit, *major est corde nostro*. Et Sap. 13. *Deus speciosior* esse docetur rebus a se conditis, Et Eccles. 6. dicitur *fortior* homine. Ceterum apposite Cyrillus argumentum Arianorum in ipsos retorquet. Si enim non recte comparantur, nisi quae sunt ejusdem generis atque naturae, manifeste consequitur ex hac comparatione, qua dixit Dei Filius, *Pater major me est*, Filium ejusdem esse naturae cum Patre. Quo dato facile docebit Catholicus aequalitatem ejus cum Patre; cum Divina Natura, quae propriissime una est, inaequaliter participari non possit.

Denique respondendum etiam Nazianzeno, qui posteriorem expositionem ita statuit, ut priorem rejicere videatur

hujusmodi argumento: *Nam quod*, inquit, *ratione humanitatis Pater Filio major intelligendus sit, & vere quidem dici potest, sed non perinde honorifice. Quid enim mirum Deum homine majorem esse?* Respondetur autem, Christum, aliquando ut hominem, aliquando ut Dei Filium, tribuisse Patri suo honorem. Unde eum aliquando Patrem suum vocat, aliquando Deum suum, & quidem utrumque nominatum in Cruce & post Resurrectionem. Quamvis igitur major sit Patris honor in eo, quod Pater est Filii sibi coequalis, non tamen negligendus fuit etiam ille honor, quo agnosceretur Filio major esse, tamquam Deus homine, & Creator creatura.

§. IV.

An dici possit Patrem esse majorem Spiritu Sancto?

S. Thom. 1. part. q. 42. art. 1. & q. 43. art. 8. ad 1.

EX duplici interpretatione illius: *Pater major me est*, intelligi potest, quid respondendum quaestioni superius motae: *An Pater etiam Spiritu Sancto sit major*; si enim solam admittimus priorem expositionem, minime consequens est, Patrem Spiritu Sancto majorem esse, ex eo quod major sit Filio; quemadmodum recte docet S. Augustinus lib. 2. *de Trin. cap. 6.* Nam Spiritus Sanctus Deus tantum est, Filius Deus & homo; qui quidem non ut Deus, secundum dictam expositionem, sed tantum ut homo, Patrem agnoscit majorem. Quamvis enim Spiritus Sanctus in specie Columbae apparuerit; non tamen ipse Columba effectus est, sicut Filius Dei factus est homo. Unde stolidè quidam Haeretici, ut Chrysostomus commemorat Hom. 12. *in Matth.* docuerunt Spiritum Sanctum Filio minorem esse, propterea quod ille in Columba, hic in homine apparuisset, multumque inter hominem & Columbam interesset. Quem errorem refellit ibidem Chrysostomus. Quod si posteriorem expositionem recipimus, tum simili prorsus ratione fatendum erit, Patrem majorem esse Spiritu Sancto; qua dictus est Pater major

Filio, nimirum propter originem. Qua etiam ratione consequens erit, Filium esse Spiritu Sancto majorem; siquidem Filius cum Patre unum est principium Spiritus Sancti: denique consequeretur eadem ratione Spiritum Sanctum Patre & Filio esse minorem. Sed quia ejusmodi locutiones, neque in Scripturis Sacris, neque in scriptis Sanctorum Patrum reperiuntur, satius fuerit ab iis abstinere; praesertim cum, ut supra dictum est, magnitudo proprie secundum aliquid absolutum attendatur, non secundum id quod est ad aliquid. Unde & August. lib. 2. *de Trin. cap. 5.* sermonem istiusmodi rejicit, ex eo quia scriptus non invenitur. Leguntur quidem apud Tertull. lib. *de Trin. cap. 24.* haec verba de Paraclito, idest, Spiritu Sancto: *Si a Christo accepit, quae nunciet, major ergo Paraclito jam Christus est; quoniam nec Paraclitus a Christo acciperet, nisi minor Christo esset. Minor autem Christo Paraclitus, Christum etiam Deum esse, hoc ipso probat, &c.* Verum ejus libri non Tertullianum, sed Novatianum haereticum auctorem esse, certis argumentis potest ostendi.

Potest etiam illud objici, quod Basilius initio libri 3. *contra Eunomium*, dicit: *Spiritum Sanctum dignitate, secundum esse a Filio.* Sed hoc quomodo intelligendum sit, alibi diximus. Et sufficit instituto, quod expresse non legatur neque in Scripturis, neque apud Patres orthodoxos, Patrem aut Filium esse Spiritu Sancto majorem. Eaque res plurimum facit pro confirmanda priori expositione hujus: *Pater major me est*; quandoquidem admissa posteriore expositione, nulla dari potest ratio, cur non idem aequè de Spiritu Sancto dici potuerit.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMSEPTIMAM.

§. I.

An Spiritus Sanctus sit ea Charitas, qua Homo Deum
& Proximum diligit?

S. Thom. 1. part. q. 43. art. 3. & 2.2. q. 23. art. 2.

DE invisibili missione Spiritus Sancti nunc deinceps agendum; qua nimirum Spiritus Sanctus mittitur invisibiliter & occultissime in corda fidelium ad eos sanctificandum, quod quidem facit diffusa in cordibus charitate, teste Apostolo *Rom. 5.* Circa hanc igitur missionem prima & praecipua quaestio occurrit: *Utrum Spiritus Sanctus sit ea ipsa Charitas, qua quisque Deum & proximum diligit?* Ad quod prompta responsio est: *Spiritum Sanctum proprio sermone dici & esse Charitatem, qua Deus & se diligit, & creaturas; non eam, qua nos Deum & proximum diligimus.* Sicut enim Spiritus Sanctus, proprio sermone non est vita, qua nos vivimus; nec sapientia, qua nos sapientes sumus, ita nec proprie dici potest Charitas, qua nos sumus dilectores. Proprie namque ab iis rebus denominamur, quae nobis inhaerent, ut ab albedine albi, a sanitate sani. Spiritus Sanctus autem non est forma inhaerens, sed prima & summa substantia. Ceterum improprio sermone concedi potest, Spiritum Sanctum esse Charitatem, qua nos dilectores sumus, & qua diligimus; quia videlicet ipse fons est & auctor hujus dilectionis, dum nobis eam occulta gratiae suae operatione infundit: vocatur autem hac ratione Charitas, eo sermonis tropo, quo sumit appellationem effectus; quomodo & vita nostra Deus dici potest; quia, ut inquit Apostolus *Act. 17.* *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Quomodo etiam eodem Apostolo teste *1. Corinth. 1.* *Christus factus est nobis sapientia a Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio;* quia horum omnium nobis merito passionis suae impetratoria causa fuit.

fuit. An autem hoc sensu legamus, Spiritum Sanctum uspiam vocatum in Scripturis Charitatem, pendet ex interpretatione illius sententiae, 1. Joan. 1. *Deus Charitas est*, de qua dudum egimus *ad Distinct.* 10. atque ostendimus probabilius id dictum intelligi proprio sermone; nempe de Charitate, qua Deus diligit se & alia a se, quae Charitas non aliud est, quam ipsa essentia Divina.

§. II.

Præter Spiritum Sanctum esse in homine Charitatem creatam, ex Scripturis docetur.

S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 2.

Opinio Magistri est Spiritum Sanctum esse Charitatem, qua nos Deum & proximum diligimus, non sensu causali, quasi vocetur Charitas; quia Charitatem in nobis creat atque efficit, sed proprio sermone, quomodo dictum est: *Deus Spiritus est*, idque adeo ut creatam & habitualement Charitatem in homine nullam agnoscat, sed solam increatam, idest, Spiritum Sanctum auctorem in nobis diligendi Deum & proximum. Quam suam opinionem prolixè asserit tota hac Distinctione, eandemque etiam alibi repetit. Sed eam velut erroneam merito rejiciunt & explodunt omnes Doctores Scholastici, docentes præter increatam Charitatem, quae Deus est, omnino agnosci oportere in homine charitatem creatam atque inhaerentem, more aliorum accidentium, ex qua, tamquam ex habitu divinitus infuso, Charitatis opera procedant. Quod ita esse, primum Scripturae testimoniis; deinde auctoritate Patrum, & Conciliorum; tertio ratione docebimus; ac postremo adversae opinionis argumenta refellemus, ea maxime quae Magistrum in illam adduxerunt.

Primum igitur, in Scripturis manifestus est locus, Roman. 5. *Charitas Dei*, inquit Apostolus, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quibus

bus verbis aperte charitatem in cordibus distinguit a Spiritu Sancto, per quem diffunditur: tametsi Magister, coacta quadam interpretatione, solvere nititur hoc argumentum. Item Apostolus 1. Corinth. 12. & 13. Charitatem inter charismata Spiritus Sancti expresse numerat. Cum enim dixisset: *Aemulamini charismata meliora*, statim adjungit de Charitate; & *adhuc excellentiorem viam vobis demonstro, si linguis hominum loquar & Angelorum, Charitatem autem non habeam, &c.* significans Charitatem esse in numero charismatum Spiritus Sancti; tametsi charisma ceteris excellentius: eodem loco de Charitate dicitur: *Non quaerit quae sua sunt: omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Quae eļpgia neququam apte quadrant in Spiritum Sanctum, sed bene in virtutem, ut imperantem more principii interni. Rursus ibidem Charitatem cum Fide & Spe comparat Apostolus, nimirum habitum cum habitibus, cum ait: *Nunc autem manent Fides, Spes, Caritas, tria haec; major autem horum est Caritas.* Quo sane loco notandum, quod si Apostolus Charitatem illam, de qua disserebat, intellexisset proprie esse Spiritum Sanctum, cum ibi tam multa in laudem Charitatis commemoraret, numquam praetermisisset id, quod praecipuum & summum esset, nempe Charitatem esse Spiritum Sanctum, & proinde Deum. Nunc autem ad praecipuam ejus commendationem tantum posuit, quod numquam excidat, quodque Fide & Spe major sit. Quae duo profecto exigua sunt ad condignam laudem Charitatis, si Caritas Deus est; de quo alia multo plura & excellentiora dici potuissent. Neque vero ad haec respondere poterit Magister, Apostolum de actuali dilectione locutum esse; tum quia negat ipse in Textu, actum Charitatis recte Charitatem vocari, tum quia illud Apostoli, *si Charitatem non habuero, nihil mihi prodest;* & illud, *Charitas numquam excidit*, & alia fere quae cap. 13. dicuntur, de actu dilectionis intelligi nequeunt. Nam sine actuali dilectione per solum Charitatis habitum placet homo Deo ab actione quiescens; idemque dilectionis actus transitorius, quaedam affectio est, & cetera quae dicuntur, multo aptius quadrant in habitum, quam in actum. Ad haec

haec locus apertus est Galat. 5. *Fructus autem Spiritus est Charitas, gaudium, pax, patientia, &c.* Si enim Charitas est fructus Spiritus Sancti; ergo effectus ejus est, & proinde eadem Charitas non est ipse Spiritus Sanctus. Nec potest hic locus intelligi de actu Charitatis: nam Apostolus virtutes, idest, habitus ordine enumerat, ut patientiam, benignitatem, longanimitatem, modestiam, fidem, castitatem.)

Praeterea dicit Apostolus Ephes. ultim. *Pax fratribus, & Charitas cum Fide a Deo Patre, & Domino Jesu Christo:* ergo sic Charitas est a Deo, sicut Fides, nempe ut effectus creatus a Deo Creatore. Deinde pertinent huc Scripturae, quae docent Charitatem consistere in observatione mandatorum Dei, ut 1. Joan. 5. *Haec est Charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Et 2. Epistola: *Haec est Charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus.* Constat autem Spiritum Sanctum non consistere in observatione mandatorum Dei, neque ab ea dependere, quomodo Charitas ab ea dependet. Non ergo Charitas nostra proprie est Spiritus Sanctus.

(Huc denique referendae sunt Scripturae, quae docent augeri, & minui Charitatem. Augeri eam docent hae, & similes. 1. Joan. 4. *Perfecta Charitas foras mittit timorem.* Joan. 15. *Majorem hac Charitatem nemo habet, &c.* Philipp. 1. *Oro ut Charitas vestra magis & magis abundet.* 2. Thessal. 1. *Abundat Charitas uniuscujusque vestrum in invicem.* Unde & Ecclesia Deum orat Dominica 13. post Pentecosten: *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum.* Et S. Augustin. Tract. 5. in Joan. *Charitas, inquit, meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Idem Serm. 2. de divers. cap. 4. *Videte, & attendite quid habeatis de Charitate, & hoc quod inveneritis augete.* Simili modo loquitur Tract. 6. in Epist. Joan. Lib. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 17. Lib. 83. quaestionum 9. 36. & Ench. ultim. Prosper. lib. 2. de *Vocatione Gentium* cap. 11.

Eandem vero minui significant hae Scripturae. Matth. 24. *Refrigescet Charitas multorum.* Et Apocal. 2. *Charitatem tuam primam reliquisti.* Unde Gregorius Hom. 38. in *Evang.* refert de quadam muliere, quod animus ejus coepit a calore amoris intimi, per quotidiana decremента tepescere. Cum
igi-

igitur certum sit Spiritum Sanctum nec augeri nec minui posse, consequens est hanc Charitatem, quae augetur & minuitur, non esse ipsum Spiritum Sanctum.

Neque satis apta est ad hoc argumentum responsio Magistri dicentis: Spiritum Sanctum non in se augeri vel minui, sed in homine: dum videlicet ab homine nunc magis, nunc minus habetur aut participatur, quomodo Deus non in se, sed in homine magnificatur & exaltatur, ipse per se semper maximus & altissimus; hoc, inquam, non satis convenienter dicitur. Non enim potest augmentum & decrementum in motu, ad perfectionem & imperfectionem intelligi sine forma aliqua creata, in qua proprie reperiatur, quod Deo interdum improprie tribuitur. Proinde licet recte dicatur Deus in nobis augeri vel minui improprio sermone; id tamen verum non est sine profectu, vel defectu proprie dicto alicujus boni, quod est in nobis. Quod bonum in proposito non potest aliud assignari, quam Charitas creata.

§. III.

Ejusdem probatio ex Patribus, & Conciliis.

S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 2.

Scriptores Ecclesiastici tam veteres quam recentiores, Charitatem virtutem vocant, immo virtutem primam & maximam. Virtus autem omnium confessione, habitus est, aut certe affectio quaedam animi. Est igitur Charitas habitus, aut affectio animi; & proinde qualitas quaedam creata, & a Spiritu Sancto diversa. Charitatem esse virtutem, inter alios testis est S. Augustinus multis locis velut Tract. 8. in *Joann.* cum dicit, eam virtutem inspiratam a Spiritu Sancto plane per hoc significans, eam a Spiritu Sancto esse diversam. Et lib. *de Moribus Ecclesiae cap. 11.* ubi Charitatem vocat virtutem, quae animi nostri rectissima affectio est. Item lib. *de Bono Conjug. cap. 24.* lib. 4. *contra Julianum cap. 3.* libro *de Gratia Christi cap. 20. & 21.* Et Epist.

29. quae est ad Hieronymum, ubi affirmat, Charitatem esse magnam & veram virtutem. Quod & de justitia Christiana, quae potissimum in Charitate consistit, testatur in expositione Psalmi 118. Conc. 26. Testatur etiam Gregorius Hom. 8. super Ezechielem, Charitatem esse virtutem, sine qua reliquae virtutes esse non possunt. Consentiant omnes Theologi, dum ab Apostolo edoceri, Charitatem inter Theologicas virtutes dignitate primam faciunt. Atqui omnem virtutem habitum esse, diserte docet idem S. Augustinus q. 31. inter 83. eademque omnium Theologorum, & recte Philosophantium sententia est: manet ergo conclusio: Charitatem esse habitum. Praeterea Charitatem, ut habitum inesse homini, satis insinuat S. Augustinus, quando lib. 15. de Trin. cap. 18. dicit, Spiritum Sanctum facere hominem Dei, & proximi amatorem. Hac enim dictione amator, non actus, sed habitus significatur. Manifestius autem id docet lib. de Spiritu, & lit. cap. 32. ubi cum dixisset, Charitatem in nobis non esse nisi per Spiritum Sanctum, adjecit: *Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut justitia Dei, qua justii ejus munere efficiamur, & Domini salus, qua salvos facit, & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit.* Haec Sanctus Augustinus; in quibus verbis notanda sunt haec vocabula, *Charitas, Justitia, Fides*; & haec illis respondentia, *dilectores, justii, fideles*. Dum ergo dicit nos Charitate dilectores effici, sicut Justitia justos, & Fide fideles; aperte significat, Charitatem habitualement nobis inesse, sicut justitiam & fidem; atque eo magis, quia rursus utitur vocabulo habitum significante, *dilectores*.

Accedunt alia ejusdem Doctoris loca. Nam lib. 1. Retract. cap. 23. ex Apostoli sententia, qua dicit Charitatem diffundi in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, everti docet haeresim Pelagianam, quae non ex Deo nobis, sed ex nobis esse Charitatem, qua bene ac pie vivimus. Non est autem verisimile Pelagianos tam absurde sensisse, ut putarent nobis inesse ipsum Spiritum Sanctum ex nobis. Neque dubium est, quin hoc eis objecissent Catholici, si persuasum

habuissent Charitatem, qua bene vivimus, proprie esse Spiritum Sanctum. Idem Augustin. Tract. 6. super Epist. Joan. *Charitas, inquit, quae in te per Spiritum Sanctum facta est, ipsa gemit, ipsa orat.* At Spiritus Sanctus secundum Fidem Catholicam non est factus, sed procedens; neque omnino potest quidquam esse factum a seipso. Simile est, quod Conc. 25 in Psalm. 118. dicit, per Spiritum Sanctum inspirari nobis Charitatem recte factorum. Denique quod lib. 15. de Trinit. cap. 17. rursus Charitatem, qua nos Deum diligimus, ab ea qua Deus nos diligit, diversam facit. His accedit ea Charitatis definitio, quae est apud eundem Augustinum lib. 4. de Doctrina Christiana cap. 10. *Charitas est motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se, ac proximo propter Deum.* Et quaestio. 36. inter 83. *Charitatem, inquit, voco motum animi, quo amatur id, quod aeternum est, &c.* Et lib. de Moribus Ecclesiae cap. 11. *Charitas, inquit, animi nostri relictissima affectio est, quae conjungit nos Deo, quaque eum diligimus.* Alibi vero Charitatem definit bonam voluntatem, ut lib. de Gratia Christi cap. 21. Conc. super Psalm. 38. Homil. 8. inter 50. & lib. 15. de Trin. cap. 20. Est igitur Augustino Charitas, qua nos Deum diligimus, non Deus ipse, sed virtus, motus, atque affectio animi & bona voluntas, idest, bonus habitus, seu motus voluntatis, & omnino qualitas quaedam nobis a Deo collata, ac forma inhaerens. Eadem est expressa Bernardi Magistro contemporanei sententia in fine lib. de diligendo Deo. *Dicitur, inquit, recte Charitas, & Deus, & Dei donum. Itaque Charitas dat Charitatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen substantiae est, ubi donum, qualitatis.* Eadem verba habentur in Epistola ejus 11. ad Carthusienses. Cyrillus quoque Graecus lib. 10. in Joan. sub initium cap. 13. conglutinationem palmitum cum vite habitudinalem esse dicit; nimirum significans habitu quodam Charitatis palmites cum vite cohaerere. His antiquorum Patrum sententiis addendum postremo loco, quod cum Patres Concilii Viennensis sub Clemente V. declaraverint, eam opinionem Doctorum esse probabiliorum, & dictis Sanctorum magis consonam, quae dicit, tam parvulis, quam ad-

dultis conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes quoad habitum, etiamsi non pro aetate infantili quoad usum (ut hic interim omittamus, quod nonnulli docti, ac nominatim Guido Carmelita libro de Haeresibus in haeresi Petri Joannis illud Concilii decretum acceperunt ut absolutam definitionem, dicentes ibi non intelligi probabile Topicum, sed quod simpliciter verum esse probatur) certe Patres Trident. Concilii *Sess. 6. cap. 7.* absolute definiendum censuerunt, in justificatione impij per Spiritum Sanctum diffundi Charitatem Dei in cordibus eorum, qui justificantur, eamque ipsis inhaerere. Qui etiam *ejusdem Session. canon. II.* Anathema dicunt ei, qui dixerit, homines justificari absque ea gratia & Charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhaereat. Quibus verbis apertissime declaratur, Charitatem cujus infusione justificamur, esse formam inhaerentem, ideoque a Spiritu Sancto diversam. Denique quaecumque vel Scripturae, vel Patrum sententiae, vel Conciliorum decreta confirmant Catholicam adversus Haereticos doctrinam de justitia formali atque inhaerente, eadem omnia faciunt pro Charitate creata, ac proinde a Spiritu Sancto diversa; cum Charitas sit ipsa justitia, praesertim ea parte, qua justitia qualitas inhaerens est. Quod August. lib. *de Natura, & Gratia cap. ult.* docet his verbis: *Charitas inchoata, inchoata justitia est: Charitas provelcta, provelcta justitia est: Charitas magna, magna justitia est: Charitas perfecta, perfecta justitia est.* Unde & lib. 3. *contra 2. Epist. Pel. cap. 7.* testatur, quod quanto plus diligimus, tanto sumus justiores.

§. IV.

Eadem Doctrina rationibus confirmata.

S. Thom. loco jam allegato.

Nunc rationibus aliquot ostendenda est superioris doctrinae veritas, quarum haec sit

(Prima. Actus voluntatis non ita procedit a Spiritu Sancto, quin etiam procedat a voluntate seipsam movente ad diligendum. Est enim diligere actus voluntarius, nec imperatus tantum a voluntate, sed elicitus. Atqui actus ille naturalem facultatem voluntatis transcendit; ergo necesse est, ut insit voluntati supradicta forma seu principium quoddam, quo ad talem operationem perfecte, prompte, & delectabiliter exercendam moveatur: tale autem principium potentiae naturali superadditum habitus vocatur. Oportet ergo inesse homini habitum Charitatis ad hoc, ut opera Charitatis perfecte, prompte, & delectabiliter exercent. Rationem hanc pluribus verbis explicat Sanctus Thomas 2. 2. *quaest. 23. art. 2.*)

Secunda. Ad actum credendi sanatur intellectus, atque informatur habitu fidei: ergo similiter ad actum diligendi sanatur, atque informatur voluntas habitu Charitatis. Tam voluntas enim, quam intellectus, simili sanatione indiget; & sicut non est dicendum, Spiritum Sanctum absque habitu mediò producere in intellectu quemcumque actum fidei: ita nec dicendum, eum sine ejusmodi habitu, producere in voluntate quemcumque Charitatis actum.)

Tertia. Contraria contrariis pelluntur: ergo ad expellendum habitum cupiditatis, quo non tantum homo agit malum, sed etiam ad agendum malum inclinatur, opus est habitu Charitatis, quo non tantum amet bonum, sed etiam ad bonum amandum inclinetur.

(Quarta. Homo justus dormiens, vel alias ad tempus ab omni voluntatis actione suspensus, vere tamen ac proprie dilector Dei dicitur: non est autem dilector actu; ergo habitu. Item talis homo bonam ac Dei amantem gerit voluntatem; non in actu: ergo in habitu. Est igitur in eo Charitas habitualis, per quam voluntas ejus propensa fit in amorem Dei.)

Quinta. Perfecta Charitas, quae est in Beatis, formaliter illis inhaeret; nam alioqui non haberent voluntatem perfecte, atque omni modo sanam & rectam; igitur imperfecta Charitas, quae est in justis hujus saeculi, similiter est for-

forma inhaerens. Quae consecutio valet, quia Charitas secundum Apostolum, *non excidit*, sed eadem numero, quae inchoata est in hoc saeculo, perficitur in futuro.

Sexta. Charitas augetur & minuitur. Augeri autem & minui nullo modo competit Spiritui Sancto; imperfecto autem modo convenit operationi, utpote rei transitoriae, ac perfecte tribuitur habitui. Est igitur agnoscendus habitus Charitatis, cui illud perfecte & omnino secundum rationem habitus tribuatur. Haec ratio supra plenius deducta est ex Scripturis & Patribus.

Septima. Omnis virtus est habitus; Charitas est virtus: ergo &c. Haec quoque ratio paullo ante testimoniis Patrum roborata est.

(Postrema ratio sumitur ex justitia inhaerente, de qua etiam modo dictum est. Atque hoc loco diligenter notandum, cum definitum sit in Synod. Trid. *Sess. 6. cap. 7. & 16. & Can. 11. Hominem dici, & esse justum, non imputative tantum a justitia Dei, vel Christi, quae homini imputetur, sed vere, ac proprie a justitia ei divinitus collata, atque inhaerente: simul etiam, quod ex eo consequitur, expresse definitum sit, Charitatem justificatis inhaerere: manifestum hinc fieri, eum, qui nullam in homine Charitatem praeter Spiritum Sanctum agnoscit, Fidei Catholicae contradicere, atque in Haeresim damnatam impingere. Quam tamen notam a Magistro remove non dubitamus, quod ejus tempore nondum res illa clare satis esset ab Ecclesia definita.)*

§. V.

Responsio ad argumenta Magistri, & aliorum;

S. Thom. ibidem.

Superest ut ea diluamus, quae contra communem, immo Catholicam de Charitate doctrinam, partim a Magistro, partim ab aliis adferuntur.

Primo objiciunt Scripturam 1. Joan. 4. *Deus Charitas est,*

& qui manet in Charitate, in Deo manet. Quibus verbis cum Apostolus facere videatur syllogisticam collectionem, qualis haec est: albedo color est, ergo qui videt albedinem videt colorem; necesse est ibi Charitatem eandem intelligi. Ad quod respondetur, collectionem, quae ex illis Apostoli verbis confici potest, non esse syllogisticam. Sed cum Deus per essentiam sit Charitas; ideoque fons omnis dilectionis, quae esse potest in creaturis: recte concludit Joannes, eum qui manet in dilectione fraterna, manere in Deo; quia per Charitatem creatam, qua fratrem diligit, Deo, qui per essentiam Charitas est, similis efficitur. Quomodo etiam dicere liceat; qui manet in Sapientia, in Deo manet, quia Deus Sapientia est. Et similiter de bonitate, iustitia, sanctitate, & similibus. Unde tamen consequens non erit, nullas creatas huiusmodi proprietates homini inesse. Quamquam peculiari ratione, propter Charitatem in Deo manere quis dicitur; eo quod Charitas excellentissimum sit Dei donum, cujus proinde ratione maxime similes efficitur Deo.

Secundo: quaedam ex August. pro se Magister adducit. Primus locus est Tract. 9. super Epist. Joan. ubi dicit, non tam Charitatem in nobis, quam nos in Charitate proficere; rationem addens: *Nam si Charitas Deus est, nec deficit, nec proficit: sed in te proficere dicitur, quia tu in ea proficis. Sic enim, & Ecclesia orat in quadam Collecta dicens: ut dum dona tua in tribulatione percipimus, de consolatione nostra in tuo amore crescamus, feria 2. Rogationum.* Secundus est lib. 8. de Trinit. cap. 7. & 8. ubi docet, atque identidem repetit, eam dilectionem, qua fratrem diligimus, esse Deum: ideoque consequens esse, ut qui fratrem diligit, Deum diligat; quia ipsam dilectionem, qua fratrem diligit, non potest non diligere. Tertius lib. 15. de Trinit. cap. 17. & 18. in quibus docet, Charitatem ipsam, quae Dei donum est, esse Spiritum Sanctum, utens huiusmodi argumento: *Spiritus Sanctus facit nos in Deo manere, & Deum in nobis. Hoc autem facit Charitas, qua invicem diligimus, igitur eadem illa Charitas est Spiritus Sanctus.* Quartus eodem lib. cap. 19. ubi idipsum concludit huiusmodi ratiocinatione: *Si in donis Dei ni-*
hil

hil est majus Charitate, & nullum est majus donum Dei, quam Spiritus Sanctus; quid consequentius est, quam ut ipse sit Charitas, quae dicitur & Deus & ex Deo? &c. Quintus lib. de Moribus Ecclesiae cap. 11. ubi testatur, Charitatem, quam dixerat esse rectissimam animi nostri affectionem, esse bonum, quo nihil melius sit. Hoc autem de solo Deo vere dicitur. Sextus locus addi potest ex Tract. 9. super Evangelium Joannis, ubi sic ait: Si anima tua sine Spiritu Sancto, idest, sine Charitate fuerit, mortua deputabitur &c. Respondemus, Augustinum nusquam docere, quod praeter Charitatem, quae est Spiritus Sanctus, nullus sit in homine habitus Charitatis creatus atque inhaerens, quo Deum & proximum diligat. Sed quatuor prioribus locis, necnon postremo affirmat, Spiritum Sanctum esse charitatem etiam fraternam hoc sensu, quia Spiritus Sanctus proprie, & essentialiter est Charitas, quia hominem efficit fratris dilectorem: quae quidem increata Charitas etiam ex Deo est, & Dei donum est, ut patet ex supra dictis de Spiritu Sancto Distinct. 14. & 15. & magis patebit ex Distinct. proxime sequenti. Hunc autem sensum satis indicant haec ejus verba lib. 8. de Trinit. cap. 8. Cum ergo de dilectione diligimus fratrem, de Deo diligimus fratrem; ubi praepositione de, efficientem atque externam causam significare voluit; si enim causam formalem, vel eam, quae locum causae formalis sive habitualis principii suppleret, designare voluisset, dixisset hoc pacto: Cum ergo dilectione diligimus fratrem, Deo diligimus fratrem. Quod autem agnovit Augustinus Charitatem quamdam in nobis distinctam a Spiritu Sancto, praeter testimonia dudum adducta, potest ex eodem lib. 8. de Trinit. doceri. Nam cap. 10. Charitatem nobis in Scriptura tantopere commendatam, non aliud esse dicit, quam amorem boni. De quo amore disserens ulterius lib. 9. cap. 2. dicit: Mentem nostram, & amorem non esse duos spiritus, sed unum; neque duas essentias, sed unam; quae verba de amore increato nulla ratione possent accipi. Quintus locus intelligendus venit de Charitate creata, qua nihil melius esse dicit, comparatione

ne facta inter creata Dei dona , ut sunt virtutes : nam Charitatem esse virtutem eodem loco manifeste asserit.

(Tertio sic argumentantur. Spiritus Sanctus hominem inhabitans , per se sufficienter agit , ac movet eum ad diligendum ; frustra ergo statuitur habitus aliquis Charitatis, a quo dilectionis actus procedat. *Respondetur* , eadem ratione , si bona sit , excludi habitus Fidei & Spei , quod aliunde sufficiat Spiritus Sanctus per se movere hominem ad credendum & sperandum. Immo hujusmodi ratiocinatione contra Ecclesiae definitionem tollemus ab homine justificato creatam , & internam habitualementem justitiam : cum ad omnia opera justitiae in nobis producenda , solus per se sufficiat idem justus hominis inhabitator Spiritus Sanctus. Sic nimirum olim Apollinaris haereticus dicebat , supervacue Christo tribui mentem seu rationalem animam , quod hujus officia aliunde suppleret Dei Verbum. Sicut ergo Patres Apollinari responderunt , mentem esse homini Christo necessariam ad hoc , ut vere sit homo ; ita dicimus, justitiam & charitatem creatam homini justo , ac Dei amatori necessariam esse , ad hoc , ut recte & vere sit justus ac Dei amator. Nec vero posset efficere Spiritus Sanctus , ut homo sine creata & inhaerente justitia proprie, idest , formaliter sit justus , & sine charitate creata dilector ; quia hoc includit contradictionem : sicut facere non posset, ut sine anima rationali proprie sit homo , aut ut aliquid sit album sine albedine.)

Si objicias , catechumenum & poenitentem diligere Deum sine habitu charitatis. *Respondetur* , eos a solo actu diligendi non dici proprie dilectores : unde fatemur in iis, praeter actum transeuntem , esse aliquid habituale , per quod jam Deo placere incipiant ; quod tamen non est illa charitas , quae facit hominem simpliciter Deo gratum , quam demum accipiunt in remissione peccatorum , sed in illam charitatem transit , dum homo justificatur. De qua re agetur in 3. lib. *distinct.* 27. (a)

Quar-

(a) Haec durius , quam par est , dicta videntur , & propositiones 31.

Quarto obijciunt, ea quae Charitati in Scripturis attributa legimus, majora esse, quam in formam aliquam creatam cadere possint. Qualia sunt: hominem spiritualiter vivificare: transferre de morte ad vitam, & de sinistra ad dexteram: templum Dei constituere: facere Filium Dei: haeredem Regni: Divinae consortem naturae. Haec enim omnia tanta sunt, ut non nisi a Deo Auctore fieri possint. Addunt Cyrillum Thesauri, lib. 13. *qui est de Spiritu Sancto cap. 1. & 2.* hoc argumento colligere Spiritum Sanctum esse Deum, quia hominem spiritualiter vivificat, ac Dei templum efficit, quod hae sint operationes creaturae facultatem excedentes. *Responsio*: si haec ratio concludit, pari ratione cum Haereticis hujus temporis tollere nos oportebit habitualement & inhaerentem justitiam; eo quod omnia illa, quae Charitati attributa legimus, etiam justitiae, quae potissimum in Charitate consistit, tribui sit necesse. Rursus eadem omnia vere, & recte tribuuntur actuali dilectioni; nec tamen inde consequens est, ne quidem secundum Magistrum, nullam esse actualem dilectionem creatam in homine. Dicendum igitur, longe aliter haec tribui Charitati creatae quam increatae. Nam increata Charitas ea omnia praestat, tamquam causa efficiens eademque prima, quae nimirum sic agit propria virtute, ut hanc a nulla priori causa acceperit. Creatura vero Charitas illa eademque praestare dicitur, partim ut formalis causa: est enim Charitas ipsa vita, qua spiritualiter vivit homo; estque eadem qualitas, qua quis Dei amicus,

Estii Theol. Tom. I. Kk &

32. & 33. Michaëlis Baii a S. Pio, & Gregorio XIII. damnatas redolere: ac proinde eo sensu intellecta omnino reprobanda sunt. Videantur tamen, quae ad dictum locum *l. 3. dist. 27.* notabimus, & *l. 4. dist. 17.* Nunc vero monendus est Novitius Lector, ut doctrinam Auctoris de Charitate justificante, vel non justificante, vel praeallegatis locis, vel hic vel alibi, aut assertam, aut insinuatam accurate discutiat; & admissim SS. Conciliorum, praesertim Tridentini, ac Summorum Pontificum diplomatum exigat. Legendi interea Bella m. tom. 3. *Controvers. contro. 4. generali de Sacram. Poenit. l. 2. cap. 11. §. 3. propos. 4. Et cap. 13. & 14. Aegid. ConincK. de Poenit. Sacram. part. 2. disp. 2. dub. 7. a num. 62. & potissimum num. 70. Sotus in 4. Sentent. dist. 17. qu. 2. art. 4. Joannes de NeerKassel Episc. Castor. in Append. ad librum 2. operis, quod inscripsit: Amôr poenitens.*

& per adoptionem filius & Spiritus Sancti templum constituitur, qua etiam Divinae Naturae, per gratiam consors efficitur. Partim, ut causa meritoria; per Charitatem enim meretur homo justificatus, Deique filius effectus haereditatem adipisci Regni coelestis. Adde quod eadem omnia quodammodo efficienter causet ipse homo per liberum arbitrium, scilicet, ut causa secunda. Unde in Scripturis homo seipsum justificare, sanctificare, convertere dicitur. Saepe namque in Scripturis iidem effectus & Deo & homini tribuuntur, sed non eodem modo.

Postremum argumentum tale est: sic Deus est vita animae; sicut anima est vita corporis, Deut. 30. *Ipse est enim vita tua*: ergo sicut anima per seipsam sine qualitate media vivificat corpus, sic Deus animam per seipsum vivificat, tamquam per Charitatem increatam, sine habitu Charitatis medio. *Respondendum*, non esse prorsus simile; Deus enim efficienter est vita animae per Charitatem informantem, sicut & corporis per animam. Anima vero formaliter est vita corporis, quomodo & creata Charitas formaliter est vita animae; forma vero materiae conjungitur immediate: causa vero efficiens rem informat efficienter, mediante forma ut causa formali.)

IN DISTINCT. DECIMAMOCTAVAM.

§. I.

Spiritum Sanctum alia ratione *donum*, alia *datum* dici.

S. Thom. 1. part. q. 38. art. 1. & 2.

INter ea vocabula, quae Spiritui Sancto tribuuntur, sunt haec duo, *donum*, & *datum*, quae tametsi vicinae sunt significationis, non tamen eadem prorsus ratione de Spiritu Sancto dicuntur. Ac primum, ne fallamur, scire oportet discrimen, quod a Magistro & Scholasticis inter haec duo

assignatur, non per omnia respondere significationi Grammaticae harum vocum, secundum quam *donum*, non potius quam *datum*, originem ab alio requirit: cum sicut *dare*, sic & *donare* seipsum quispiam possit. Est igitur secundum Theologos discrimen hujusmodi; quod *donum* Spiritui Sancto tribuatur tamquam nomen proprium ac personale; quodque ei ab aeterno conveniat: *datum* vero neque personale nomen sit, neque ab aeterno, sed in tempore tantum illi competens. Quod ut planius fiat, sciendum a Magistro hac *Distinctione*, & iterum *Distinctione* 26. cujus hac in re doctrinam omnes Scholastici sequuntur, ita usurpari *doni* vocabulum Spiritui Sancto tributum, ut principaliter significet eam relationem, qua Spiritus Sanctus ad Patrem & Filium, tamquam principium suum, referatur. Hujus autem usurpationis ratio est; quia Spiritus Sanctus procedit per modum *doni*, sive *donabilis*. Cum enim, ut dictum est *ad Distinct.* 10. Spiritus Sanctus sit amor Patris & Filii, utpote per modum amoris procedens; amor autem principium sit omnis liberalis ac gratuita donationis; merito Spiritus Sanctus *donum* vocatur, utpote solus eo procedens modo, in quo *doni* ratio continetur; praesertim cum ipse amor sit primum ac praecipuum donum, quod amans donat amato, quodque cetera dona antecedere necesse est. Quare utrumque recte dicimus, & per modum amoris, & per modum doni procedere Spiritum Sanctum, idque ab aeterno. Quamvis enim non fuerit ab aeterno donatus, fuit tamen ab aeterno donabilis; quod quidem sufficit, ut *donum* ab aeterno fuisse dicatur, juxta praesentem *doni* significationem. Adde quod non tantum *donabilis*, sed & *donatus* fuit ab aeterno secundum praedestinationem. Deinde significat quidem hoc nomen etiam respectum ad eum, cui donatio fieri possit, hoc est, ad creaturam, sed secundario dumtaxat: quae proinde significatio non impedit, quo minus personale sit nomen. Quod enim principaliter significatur, aeternum est, & tertiae Personae proprium; nimirum ipsa ejus processio ex Patre & Filio; atque haec relatio realis est, cum illa altera, qua creaturam respicit, tantum sit rationis.

Porro *datum esse*, vel *donatum*, itemque *dari*, vel *donari*, eidem Spiritui Sancto conveniunt tantum ex tempore: tunc videlicet, quando a Patre & Filio mittitur ad sanctificandam creaturam rationalem,

Est autem hoc discrimen inter *donum*, & *datum*, non a Magistro excogitatum, sed a Veteribus traditum, ac nominatim ab Augustino, cujus auctoritatem Magister ad hanc rem allegat *tum hac Distinctione*, *tum Distinct.* 26. Augustini loca sunt lib. 4. *de Trin. cap.* 20. ubi vult idem esse Spiritui Sancto, esse *donum Dei*, & a Patre Filioque procedere; sicut idem est Filio, *natum esse*, & a Patre esse. Et lib. 5. *cap.* 11. & 12. ubi docet, relationem, quam Spiritus Sanctus habet ad Patrem & Filium, tamquam principium, non apparere in vocabulo Spiritus Sancti, sicut apparet in vocabulo *doni*. Et rursum ejusdem lib. *cap.* 15. & 16. ubi restatur Spiritum Sanctum fuisse *donum*, antequam esset cui daretur, sed nisi actu detur, *donatum* vocari nullo modo posse.

Quod autem apud eundem Augustinum legitur lib. 15. *de Trin. cap.* 19. Spiritum Sanctum in tantum *donum Dei* esse, in quantum *datur* eis, quibus *datur*, non adversatur Distinctioni jam positae inter *donum*, & *datum*. Nam ut diximus, plena *doni* ratio etiam hoc includit, ut detur alicui vel actu, vel saltem potentia.

§. II.

Utrum etiam Filius *donum* dici possit?

S. Thom. 1. part. q. 38. art. 2.

Quod Filius Dei recte *dari* dicatur ostensum est *ad Distinct.* 14. & 15. Ceterum non perinde *donum* eum vocari posse, patet ex discrimine jam constituto inter *donum*, & *datum*. Atque id plane convincunt August. verba lib. 4. *de Trinit. cap.* 20. paullo ante memorata, quibus ita proprium facit Spiritui Sancto *donum* esse, sicut Filio *natum esse*.

Si

Si quaeras : quomodo Filius non sit *donum* , qui in tempore datus est , & proinde ab aeterno donabilis erat ? *Respondet* Magister §. E. Filium ab aeterno processisse ex Patre , non tantum ut donabilem , sed etiam ut genitum : Spiritum Sanctum vero processisse tantum ut donum ; idest , licet uterque processerit ut donabilis , Filium tamen simul processisse lege nativitatis ; Spiritum Sanctum vero tantum in ratione doni ; tum quia ab utroque processit ; tum quia , ut donabilis processit. Verum juxta proprietatem vocis *doni* attributae Spiritui Sancto , paullo aliter videtur respondendum ; nempe quod Filius ab aeterno processit donabilis quidem , non tamen ut donabilis. Hoc est , Filius ab aeterno procedens donari , idest , liberaliter dari potuit creaturae , sed hoc non ei competit ex processione modo : sicut id ex processione modo competit Spiritui Sancto. Nam Spiritus Sanctus per modum amoris procedit , & ex consequenti per modum doni , non item Filius. Hanc responsionem suggerit nobis Augustinus lib. 5. *de Trin. cap. 15.* Verba videantur suo loco. Igitur *nomen doni proprie acceptum , juxta discrimen supra assignatum , tale est , ut Filio communicari non possit , quomodo non potest communicari nativitas Spiritui Sancto.* At vero *generali ratione nihil prohibet Filium dici donum Dei ;* quia nimirum gratuito datus est a Patre omnibus , juxta illud Isai. *Filius datus est nobis.* Quod quidem ipsum , ut fieret in tempore , decretum fuerat ab aeterno. Quare etiam hac ratione Filius fuit ab aeterno donabilis , ac proinde *donum.* Unde in Sacrificio , mysteria Corporis & Sanguinis ejus , dona & munera vocantur , idest , ipse Dei Filius , Deus & homo , nobis a Patre donatus. Sic & S. Thomas 1. 2. *qu. 102. artic. 3.* inter omnia dona , quae Deus humano generi jam per peccatum lapsus , dedit , praecipuum est , quod dedit Filium suum ; secundum illud Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum , ut Filium suum unigenitum daret , &c.*

§. III.

Cui *donabilis* sit Spiritus Sanctus?

S. Thom. 1. part. q. 38. art. 1.

AD quaestionem quam movet Magister : *Cui donabilis sit Spiritus Sanctus*, breviter respondendum ; satis constare , quod *non sit donabilis Patri & Filio*. Neque enim intelligi potest donabilis iis , quorum ab aeterno fuerit Spiritus , & quorum non esse non potest ; quia nimirum Spiritus , atque adeo donum eorum sit per naturam. Donatio autem largitionem significat ejus , quod jure aut natura non competit.

At neque cuilibet creaturae donabilis dici potest, sed ei soli , quae mente praedita sit , per quam re donata frui vel uti possit. Hoc enim in sua significatione donationis nomen includit , ut videlicet ea res , cui fit donatio , utendi vel fruendi dono accepto facultatem habeat. Unde nemo convenienter dixerit , se jumento pabulum donare , sed dare , vel potius praebere ; quod autem sola intellectualis creatura utendi , & fruendi facultatem habeat , ad primam hujus libri Distinctionem ostendimus. Ex quo etiam loco manifestum relinquitur , quod quamvis uti nos oporteat donis Spiritus Sancti , in quibus numerandae sunt virtutes , & in his Fides , Spes , Charitas ; ipso tamen Spiritu Sancto , utpote Deo , non utendum sit , sed fruendum.

§. IV.

Quomodo Filius nascendo , et Spiritus Sanctus procedendo essentiam accipiant?

S. Thom. 1. p. q. 27. art. 2. & 3. & q. 39. art. 2.

Filius Dei nascendo ex Patre , non tantum habet ut sit Filius , sed omnino ut sit ; idest , nascendo , non tantum fi-

filiationem accipit, sed etiam essentiam. Similiter, & Spiritus Sanctus, ex Patre Filioque procedendo, non tantum habet ut sit Spiritus Sanctus, sed omnino ut sit. Ita docet August. lib. 5. *de Trin. cap. 15.* Eamque doctrinam repetit lib. 15. *cap. 26.* dicens: *Sicut Filio praestat essentiam de Patre generatio; ita Spiritui Sancto praestat essentiam de utroque processio.* Idem volunt Hilarii verba lib. 5. *de Trinit. sub fin.* cum dicit: *Ex virtute naturae in naturam eandem nativitate subsistere Filium: & ex virtute naturae in naturam eandem processione subsistere Spiritum Sanctum.*

Quae Patrum sententiae quomodo sint accipiendae, dubitari potest; cum eodem August. teste lib. 7. *de Trin. cap. 2.* huiusmodi nominibus, qualia sunt generatio, processio, non ostendatur essentia, sed tantum relatio significetur. Sed *respondemus*: utrumque vere, & convenienter dici; nempe quod accipiant Filius & Spiritus Sanctus, ille nascendo, ut sit Filius, & iste procedendo, ut sit Spiritus Sanctus, & rursum uterque ut sit; verum aliter & aliter. Nam proprietatem personalem accipiunt nativitate & processione, tamquam habentibus se per modum causae formalis: Essentiam vero non per hunc modum, (uterque enim formaliter Deitate Deus est, sicut Sapiencia Sapiens) sed ut via ac medio, vel modo originis, cui in rebus creatis respondet motus; in quibus proinde similis est loquendi ratio. Dicimus enim nascendo ex homine accipere utrumque, & ut filius sit & ut homo: sed illud ei praestat generatio, ut causa formalis geniti, hoc autem, ut via quaedam ac modus originis.

Quod autem Filius Dei nascendo Naturam seu Essentiam accipiat a Patre; quemadmodum Hilarius & Augustinus docent, & ex utroque Magister, facile est etiam ex Scripturis ostendere. Dicit enim ipse Filius, Joan. 16. *Omnia quae habet Pater mea sunt.* Et 17. ad Patrem: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Quae sententiae significant Filium, quidquid est & quidquid habet, immo quidquid Pater habet, exceptis dumtaxat proprietatibus personalibus, habere & accepisse a Patre. At Filius est, & Deus est, & essentiam habet Di-
vi-

vinam, similiter & Pater; ergo Filius a Patre accepit, quod sit, & quod Deus sit, & quod essentiam habeat Divinam. Accipere autem non aliter potuit, quam nascendo; ergo haec omnia Filius nascendo accepit a Patre. Unde quod ait Dominus Joan. 5. *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*; Augustinus eum locum tractans, interpretatur in hunc sensum: *Pater vita genuit Filium vitam*. Similiter autem dicere possumus: Pater Deus genuit Filium Deum: Pater Essentia genuit Filium Essentiam, & ita de aliis attributis Dei essentialibus, & quod de Filio dicitur, erit consimiliter intelligendum de Spiritu Sancto.

§. V.

An Filius dici possit noster: sicut Pater, & Spiritus Sanctus?

S. Thom. 1. p. q. 36. art. 1. ad 3.

Quamvis nos absolute ipsius Dei esse dicamur; nimirum, ut creaturae ejus, ac proinde totum quo sumus, aut habemus, ab ipso habentes; Deus tamen non ita absolute noster dici potest, velut hac propositione, Deus est noster; sed tantummodo noster dicitur cum addito; dum videlicet de Deo praedicatur vox aliqua, quae quamdam ad nos relationem importare intelligitur, quales sunt, quae causam efficientem, finem, formam, exemplar, aut simile aliquid respectu nostri significant: cujusmodi sunt, Creator, Salvator, Protector, Dominus, Vita, Beatitudo, Protectio. Quin etiam dicitur Deus noster, quatenus a nobis colitur, & Pater noster, quatenus nos fecit & factos conservat: necnon peculiari ratione, quatenus per gratiam nos in Filios adoptat. Dicitur & Spiritus noster, quatenus nobis inspiratus, spirat, & vitam operatur in nobis. Atque haec omnia variis Scripturae testimoniis probare non est difficile. Qua de re videre est Augustinum lib. 5. *de Trin. cap. 14.*

Sunt

Sunt autem aliae quaedam voces Deo attributae, quae quod respectum nullum ad nos importent, adjectionem hujusmodi non admittunt. Non enim *Essentia* vel *Persona* Dei dici potest *essentia* vel *persona* nostra: ne vel *Essentia* vel *Persona* Divina putetur nobis competere; sic ergo nec Dei *Filius* recte vocatur *Filius* noster: ne *Filius* Dei intelligatur ex nobis *genitus*, aut a nobis aliquo modo accipere esse; sicut vocatur *Pater* noster, quia nos ab illo omne esse nostrum accipimus. Unde & *Christus* in *Evangelio* cum diceret: *Qui facit voluntatem Patris mei, ille meus frater, & soror, & mater est.* Matth. 12: non addit, & *Pater*, ne Dei *Filius*, cujusquam hominis, sola *Matre* excepta, ex qua secundum *carnem* *genitus* erat, *Filius* esse intelligeretur; atque hoc est, quod ait *S. August.* loco jam indicato. Quod de *Patre* natum est, ad *Patrem* solum referri, quatenus *Filius* dicitur; licet aliis nominibus enunciatus possit etiam *noster* dici, ut *Dominus*, *Redemptor*, *Panis* noster, &c.

Breviter autem de hac re *Sanctus Thomas* 1. p. qu. 36. art. 1. ad tertium, ita scribit: *In nomine Filii intelligitur sola relatio ejus, qui est a principio ad principium. Sed in nomine Patris intelligitur relatio principii: & similiter in nomine Spiritus, prout importat quamdam vim motivam; nulli autem creaturae competit esse principium respectu alicujus Divinae personae, sed e converso. Et ideo potest dici Pater noster & Spiritus noster, non tamen potest dici Filius noster.* Sic ille.

IN DISTINCTIONEM DECIMAMNONAM.

§. I.

Aequalitas Personarum in Divinis probatur, & explicatur.

S. Thom. 1. part. quaest. 42.

Res personas Divinas non modo similes esse inter se, sed & aequales docet *Fides Catholica*. Quod quidem

post vetusta Concilia contra Arianos habita, post Symbolum Athanasii per totam Ecclesiam receptum; item post Hilarium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Augustinum, Fulgentium, aliosque Patres variis locis; demum in magno Concilio Lateranensi repetitum est *cap. 1.* his verbis: *Firmiter credimus, quod Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt consubstantiales, coaequales, coomnipotentes, & coaeterni.* Neque hanc aequalitatem tacuit Scriptura. Nam praeter ea testimonia, quae Filium, & Spiritum Sanctum docent verum esse Deum, Patri consubstantialem (ex quo sequitur Personarum aequalitas) plane dictum est de Filio, *Philip. 2. Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo.* Et *Joan. 5. Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.* Quam aequalitatem significavit etiam illud, quod audiente Propheta Seraphim clamantes dixerunt: *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* *Isai. 6.* non autem Sanctus, Sanctior, Sanctissimus; quemadmodum bene annotavit Rupertus *lib. 3. de Process. Spiritus Sancti cap. 15.* Ceterum cum aequalitas proprie intelligatur in quantitate, cujus expers est Natura Divina; quaerendum quo sensu aequalitas in Divinis sit accipienda? Est igitur notandum in rebus creatis solere distingui haec tria, unitatem seu identitatem, similitudinem, aequalitatem: atque his oppositas, diversitatem, dissimilitudinem, inaequalitatem; quarum relationum prima fundatur in substantia, secunda in qualitate, tertia in quantitate: nam secundum substantiam res aliquae dicuntur eadem, vel diversae; secundum qualitatem similes, vel dissimiles; secundum quantitatem aequales, vel inaequales. Sed cum in Deo proprie, neque qualitas sit, neque quantitas; quia nullum accidens, sed substantia sola; consequens est, tria ista identitatem, similitudinem, & aequalitatem, rem eandem significare in Deo; licet cum quadam diversitate rationis. Dicuntur ergo tres Personae esse unum & idem; quia eadem prorsus est essentia, sive Substantia trium personarum. Dicuntur similes; quia in eadem perfectione conveniunt, velut in Bonitate, Sapientia, Potentia, & hujusmodi, quae creaturis attributae sunt revera qualitates quaedam accidentariae inter

se, & a subjectis distinctae. Ut autem Deo competunt, neque inter se, neque ab essentia realiter differunt.

Porro aequales dicuntur Divinae Personae; quia sic conveniunt in qualibet eadem perfectione, ut alia aliam, ne minimum quidem excedat, aut ab alia excedatur. *Nam in his, quae non mole magna sunt*, ait Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 8. *hoc est majus esse, quod & melius esse; quomodo & magistrum discipulo, & dominum servo majorem esse dicimus, non quantitate, sed scientia, seu potestate.* Unde satis evidenter apparet, quod magnitudo in Divinis non est aliud, quam praestantia secundum quamcumque perfectionem. Idcirco autem praeter similitudinem, cogimur etiam aequalitatis nomen ad Personas Divinas transferre, seu potius in Divinis agnoscere; quia aequalitas excludit omnem perfectionis diversitatem secundum magis & minus, quam non excludit similitudo. Nam si Pater Filio potentior esset vel sapientior, ut volebant Ariani, similes essent inter se Pater & Filius, sed non aequales; quia non perfecte similes & hoc est, quod dicebant Ariani, Filium esse Patri *ὁμοῦσιον*, non *ὁμοῦσιον*, id est, *substantia similem*, non autem *consubstantialem*. Igitur aequalitas in proposito non est aliud, quam perfecta similitudo, quae videlicet omnem gradum comparationis alterius cum altero excludat.

Praeterea notandum, inter tria suprascripta etiam hoc interesse, quod eas res, quibus similitudo vel aequalitas tribuitur, inter se distinctas esse oporteat, sic, ut una non sit altera; nihil enim sibi ipsi aequale est, aut simile. Res autem, cui tribuitur unitas, nullam distinctionem requirit. Immo res unaquaqueque sibi ipsi propriissime est una & eadem. Ex quo discrimine intelligendum est, quod quando Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dicuntur esse unum Essentia, Bonitate, Sapientia, nulla ex ejusmodi attributo vincitur Personarum inter eos distinctio; quando autem dicuntur similes vel aequales, etiam ab eadem numero Essentia, Bonitate, Sapientia, necessario sequitur ex ejusmodi attributo, tres illos realiter inter se distingui.

Ex dictis consequens est, quod praesupposita Personarum

rum pluralitate in Deo, unitas consequenter statuatur similitudinem & aequalitatem. Cum enim Essentia, & Essentiae perfectio in Deo non differant; sequitur ex eo, quod tres Personae sunt unum secundum Essentiam, eas quoque similes esse, & aequales secundum omnem ejusdem Essentiae perfectionem.

§. II.

Quo sensu personarum unaquaeque in alia esse dicatur.

S. Thom. 1. part. q. 42. art. 5.

QUOD ait Dominus ad Judaeos Joan. 10. *Ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Et cap. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Et ad Patrem cap. 17. *Sicut tu Pater in me, & ego in te:* prorsus similiter est intelligendum de Spiritu Sancto; nam & in ipso Pater est & Filius, & ipse in utroque. Quam rem de omnibus personis sigillatim enunciat Fulgentius *de Fide ad Petrum cap. 1.* Sed qua ratione haec dicantur, explicandum.

Prima & praecipua ratio est unitas Naturae in Personis distinctis. Utrumque enim haec inexistencia requirit, & distinctionem personarum, & unitatem Naturae. Significatur ergo hujusmodi sermone: ita Personas esse distinctas inter se, ut tamen unaquaeque cum alia penitus, atque intime sit unum & idem, quem sensum postulat circumstantia locorum, quos citavimus ex Joanne. Quem eundem expresserunt Augustinus lib. 6. *de Trinitate.* Fulgentius *de Fide ad Petrum.* Et Hilarius verbis a Magistro recitatis, necnon Ambrosii titulo *Commentarius super 2. Cor. 3. ad illud: Deus erat in Christo,* cujus verba similiter habes apud Magistrum. His adde Cyrillum scribentem super *Joann.* & alios in eundem locum.

Secunda ratio est ad significandam singularem quemdam modum originis unius Personae ex alia. Non enim sic una

Per-

Persona ex alia procedit , ut foras quasi prodeat , & sejuncta existat ab ea , unde procedit ; quomodo procedit domus ab artifice , & homo filius ab homine patre , quae processio ad extra vocatur : sed ita ut intime in ea maneat , a qua procedere dicitur : quomodo verbum procedit a mente , & amor a voluntate. Quamquam hoc exemplum de verbo & amore non est omnino simile ; quia verbum non est coëssentiale menti , nec amor voluntati , sed inest utrumque in utroque , ut accidens in subjecto ; vel certe ut actus in suo principio potenciali , a quo secundum rem diversus est ; quod non ita est in processione Divina ; quae proinde sola propriissime vocatur processio ad intra ; quia quod ibi procedit , non est aliud ab eo , a quo procedit ; & proinde manet ei prorsus intimum. Atque hoc significasse videtur Christus eodem loco apud Joann. 14. cum ait : *Pater in me manens ipse facit opera* : quasi diceret : *Ita procedo a Patre* , ut tamen permaneat in me Pater faciens ea opera , quae videtis me facere.

Tertia accedit ratio ex sententia S. Thomae , ut significetur alteram Personam in altera intelligi ; idque ex natura relatorum , quorum alterum sine altero intelligi nequit. Verum hic sensus verbis Domini minus congruere videtur. Non enim dubitatur : utrum Christus , si Filius esset , Patrem haberet , quod ex natura relatorum manifeste consequens est ; sed quis esset ejus Pater , id est , cujus naturae & dignitatis , seu conditionis. Item hic modus mutuae inexistantiae omnibus correlativis communis est.

Porro hanc reciprocam inexistantiam Graeci Theologi *περιχώρησις* appellant , Latini *circuminsessionem*. Cujus quidem , ut in aliis rebus quaedam exempla possunt proferri (nam secundum Dialecticos inest species in genere , & genus in specie , insunt etiam sibi invicem , quaecumque se mutuo penetrant , sive corpora supernaturaliter , sive accidentia , ut plura lumina in eodem aëre naturaliter) ita perfectio absoluta non reperitur nisi in Divinis secundum primam , & secundam rationem supra positas. Unde & illa *perichorisis* , quam Joannes Damascenus lib. 3. *de Orthod. Fide cap. 5. 6. & 7. libr. 4.* constituit inter duas Christi naturas Di-
vi-

vinam, & Humanam, quamvis fundata sit in unitate Personae Filii Dei, cujus ratione illae Naturae se invicem absque confusione immeant, ut loquitur Damascenus: haud tamen assequitur perfectionem *perichoriseos* attributae Personis Divinis inter se; quia non est ibi *consubstantialitas*. Sed nec illa, quam Hilarius lib. 8. *de Trin.* constituit inter fideles, & carnem Christi, quam ita fideles Eucharistiae sumptione participant, ut & ipsi in Christo maneat, & Christus in ipsis, Joann. 6. dictam perfectionem attingit; quia licet fideles per hoc Sacramentum substantialiter uniantur Christo, Christusque nobis, ut Hilarius loquitur, insit carnaliter: nequaquam tamen tanta consurgit unitas inter Christum hominem & nos, quanta existit inter Divinas Personas, utpote quarum non specie tantum, ut Christi & nostra, sed numero, & quidem perfectissimo modo una est substantia.

Porro longius ab ea perfectione recedit inexistencia, quam mutuam inter Deum & homines Sanctos Scripturae statuunt, ut Joann. 17. dum videlicet id, quod proprie, & perfectissime habet locum in Divinis Personis, secundum analogiam quamdam transferunt ad homines inter se, vel ad Deum re-
latos; quomodo etiam transferunt *unum*, & *perfectum*. Unde ibidem dicitur, *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Et 1. Corinth. 6. *Qui adhaeret Domino, unus Spiritus est*. Et Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester coelestis perfectus est*. Quae quidem sententiae, quomodo sint accipiendae, dictum est supra *ad Distinct.* 5. Est ergo Deus in nobis, & nos in Deo per conjunctionem charitatis: Pater autem in Filio, & Filius in Patre per unitatem naturae.

§. III.

Quomodo tres Personae sint Unum natura.

S. Thom. 1. part. qu. 39. art. 2.

TRES Personas Divinas non esse Dei, vel essentiae Divinae partes, copiose probat Magister ex Augustino lib. 3.

contra Maxim. c.10. Loquitur autem S. Augustinus potissimum de partibus integralibus, quarum unaquaeque minor sit toto, sive partes illae molem corpoream habeant, sive non. Est enim certissima Fide tenendum, non modo unam Personam alia majorem non esse, sed nec duas, nec tres simul sumptas esse majores una, aut duabus; quemadmodum docet idem August. lib.6. de Trin. & lib.8. Cum enim, ut supra dictum est, magnitudo Dei non sit aliud, quam ejus perfectio atque praestantia, nec habeat una Persona minus perfectionis seu praestantiae, quam duae vel tres; consequens est in una eandem esse magnitudinem, quae in pluribus. Item tres Personas non esse unum in Deo, tamquam in causa materiali, quomodo tres statuae ex eodem auro factae dicuntur unum aurum; ut docet Augustinus lib. 7. de Trin. ac rursus ostendit eodem loco, nec sic in Deo tres Personas esse unum, quomodo tres homines ejusdem sexus, & complexionis naturalis esse unius naturae dicere solemus. Nam & in hominibus, & in statuis plus aliquid sunt tria, quam duo; & duo, quam unum. At vero cum longe perfectior sit unitas specierum in genere, & individuorum in specie: quaeritur, *utrum saltem hic unitatis modus tribui possit personis Divinis respectu Essentiae Divinae?* Hoc enim sentire videtur Damascenus lib. 3. *Orthod. Fide cap. 4. & 6.* cum de Deo loquens dicit, *essentiam significare speciem* quamdam communem; *hypostases* vero, sive personas esse *individua* numero, non natura differentia, communi substantiae tamquam speciei subiecta, quomodo particulares homines humanae speciei subjiuntur. Sed citra dubitationem *respondendum* est, nec hunc unitatis modum tribus Personis respectu Dei competere; quemadmodum rectissime docet Sanctus Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 5. Quae res ex eo manifeste probatur, quia tres personae humanae non dicuntur unus homo, nisi improprie, & secundum operationem intellectus dumtaxat, propriissime vero dicuntur tres homines. Tres autem Personae Divinae propriissime dicuntur, & sunt unus Deus; tres autem Dii dici nullo modo possunt. Quare ut intelligamus, quomodo tres Personae sunt unum natura, transcendere oportet om-

nem modum, quo plures res creatae unum natura dicuntur. Hae namque ita conveniunt in communi natura, ut tamen unaquaeque earum suum habeat particulare esse distinctum a particulari esse alterius. Quod non ita est in Divinis Personis, quae ita distinguuntur proprietatibus personalibus, ut nihilominus omnes tres unum idemque, ut ita loquamur, individuum esse habeant; cujus unitatis exemplum frustra in creaturis quaeritur, cum modus ille unitatis non sit creaturis communicabilis.

Ad Damascenum autem quod attinet, ejus sententia diligentius expensa ab hac veritate non discrepat. Mutuatus est enim ille voces dialecticas, *speciem*, & *individuum* ad explicandum aliquatenus mysterium unitatis Personarum in Deo. In quo quidem mysterio reperitur aliquid simile cum illa unitate Logica; tametsi cum magna dissimilitudine conjunctum, ut jam ostendimus. *Speciem* ergo in Divinis vocavit Damascenus Essentiam tribus Personis communem, ipsas vero Personas *individuum* nomine designavit, nimirum ratione praedicationis & subjectionis mutuae; quemadmodum bene declarat Magister. Quod autem Catholice de hac re senserit Damascenus, clare doceri potest ex lib. 1. *ejusdem operis cap. 11.* ubi cum initio capituli dixisset: *Aliud est in re considerare, aliud ratione, aliud cogitatione*: addit postea de Trinitate loquens: *Nam illic communitas quidem & unitas re ipsa consideratur commune, & unum re consideratur propter coaeternitatem, & identitatem substantiae & operationis.* Et rursus: *Non dixi, inquit, aequalitatem, sed identitatem atque unam motus prosultationem; una est enim Essentia, una Bonitas, &c.* Ex quibus verbis liquet Damascenum agnoscere unitatem Divinae Naturae in tribus Personis, non tantum ratione, sed re ipsa. Numero quoque differre easdem personas non absurde ab eodem S. Damasceno dictum est. Hoc enim sermone non aliud voluit significare, quam eas, ita inter se proprietatibus esse distinctas, ut una non sit altera. Sed de hac re plura ad *Distinct.* 24.

§. IV.

Cur Deus non *triplex*, sed *trinus* dicatur.

S. Thom. 1. part. q. 31. n. 2. 3. 4. 5.

DEUS in tribus Personis subsistens non *triplex*, sed *trinus* dicendus est. *Triplicitas* enim quemadmodum ex Boëtio lib. 1. de Arith. cap. 24. tradit S. Thomas 1. p. q. 31. artic. 1. ad tertium, species quaedam est inaequalis proportionis, sicut alia similis formae vocabula. Unde *triplex* dicitur, quasi *triplicatum*, idest, quod triplo majus est eo, cum quo comparatur, quod ab Arithmeticis *subtripulum* vocatur. Quare cum neque tres Personae simul, neque Divina Essentia sit aliquid majus Personis singulis, nec omnino proportionem inaequalitatis respectu earum subeat; patet Deum respectu earumdem *triplicem* dici non posse; quemadmodum bene ratiocinatur Sanctus Augustinus lib. 6. de Trinitate, verbis a Magistro adductis. Legimus quidem apud Chrysostomum in Homilia de Joanne Baptista, quod in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto est *triplex*, & una Divinitas. Verum ea Homilia Chrysostomi non est, sed incerti auctoris. Et ut locum benigne interpretemur, *triplex* ibi pro *trino* positum accipere debemus, sicut & apud Prudentium in Hymno de Cereō Paschali, cum ait de Deo: *Regnum continuat numine triplici*: nam idem Prudentius in Hymno ante somnum expresse posuit nomen Trinitatis. Similiter interpretandum, quod apud Isidorum legitur lib. 1. Etym. in Deo Unitatem esse singularem, Trinitatem vero multiplicem. Nihil aliud enim vult, quam in Deo esse numerum, seu pluralitatem Personarum. Ceterum quo alio sensu Deus possit dici *multiplex*, exposuimus supra ad Dist. 8.

Porro *trinum* numero singulari profanis auctoribus vix usitatum, consuetudine Scholae Christianae significat aliquid habens tria supposita: estque Deo proprium, si illud aliquid unum secundum rem intelligamus. Nulla est enim creatura,

quae secundum rem , una eademque cum sit , in tribus suppositis subsistat , sed soli creaturarum auctori id competit. Qui proinde trinus dicitur , quasi tres unus. Trinitas autem , etsi secundum etymologiam vocabuli videatur significare unam Essentiam trium Personarum , ut Trinitas dicatur , quasi trium unitas : potius tamen secundum proprietatem vocabuli , quam habet ex usu Ecclesiae , significat numerum Personarum unius Essentiae , eumque determinatum , nempe ternarium , ut Trinitas hoc significet determinate , quod pluralitas indeterminate , quemadmodum docet Sanctus Thomas , loco jam allegato *in corpore & ad primum argumentum*. Unde non est consequens unamquamque Personam esse Trinitatem , licet de unaquaque Persona vere dicatur , quod sit unitas Essentiae Divinae , sicut est Essentia Divina. Non enim unaquaeque Persona est numerus Personarum , idest , ipsae tres Personae unius Essentiae. Trinitatem autem Graeci Τριάδα nominant vocabulo etiam prophanis auctoribus usitato , apud quos in genere ternarium numerum , seu ternionem significat , sed usu Ecclesiae jam inde ab initio ad ternarium Personarum in Deo significandum est appropriatum. Utitur eo in hac significatione Dionysius *cap. 1. Ecclesiast. Hierarch.* dicens : *Triadem Hierarchiae principium esse , &c.* Nec laborandum , ut in Sacris Literis hoc nomen monstretur , quod olim exegerunt Ariani. Sufficit enim rem hoc nomine monstratam ibi contineri , etiam cum numeri determinati expressione , ut *1. Joan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in coelo , &c. & hi tres unum sunt.*

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAM.

§. I.

Tres Personae potentia esse aequales.

S. Thom. 1. p. q. 42. art. 2. & 6.

EX eo quod magnitudine , idest , simpliciter aequales sunt inter se tres Personae Divinae , sicut ostensum est *superio-*

riori Distinctione ; consequens est eandem *Potentia* esse aequales ; quia ut ibi dictum est , magnitudo Dei omnem ejus perfectionem & praestantiam complectitur. Immo magnitudinis nomine interdum peculiariter *Potentia* designatur. Unde est illud Augustini in Epistola 3. *quae est ad Volusianum*, Deum non mole , sed virtute , idest , *Potentia* , magnum esse.

Nunc igitur praeter ea , quae in genere de aequalitate Personarum dicta sunt , adhibenda est specialis probatio de earum aequalitate secundum *Potentiam*. Ubi primo notandum, non recte dici *Potentiam* Personarum esse aequalem , sed eandem : ipsas vero Personas *Potentia* , idest , secundum *Potentiam* , pares atque aequales esse dici oportere. Aequalitas enim , ut *ad superiorem Distinctionem* indicavimus , sicut & similitudo , non est nisi inter res distinctas. Atqui *Potentia* , sicut & Bonitas & cetera essentialia Dei attributa , sicut & ipsa Deitas non distinguuntur in Personis distinctis , sed sine distinctione unicuique Personae conveniunt.

Imprimis ergo Filium ejusdem esse cum Patre *Potentiae* docet ipse Filius , hac generali sententia , Joan. 16. *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt*. Ex quo statim consequens est Omnipotentiam Patris eandem esse & Filii. Speciatim autem suam cum Patre Omnipotentiam significavit , cum ait Joan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, intellige, *quidquid operatur Pater*. Ex his enim Christi verbis Judaei recta ratiocinatione colligebant , teste Evangelista , quod Patrem suum diceret Deum , aequalem se faciens Deo. Quam collectionem corroborans Dominus iterum adjecit : *Quaecumque Pater fecerit , haec & Filius similiter facit*. Sed hanc Scripturam eludere volentes Ariani , respondebant non esse dictum , *haec & Filius aequaliter facit* , sed *similiter*. Quibus vicissim respondetur , non esse dictum ; *his similia Filius facit*, sed *haec ipsa* , idest , *eadem*. Non potest autem fieri , ut eadem omnino Filius faciat , quae Pater , nisi sit eadem *Potentia* praeditus. Nam a potentia minore non possunt eadem omnia opera procedere , quae a majore. Quanto enim unaquaeque potentia major est , tanto plus potest. Si ergo non am-

plius potest Potentia Patris quam Filii, non est utique major. Item si Filius facit omnia, quae Pater; ergo aut Filius non est factus; aut quod absurdissimum, & prorsus impossibile, factus est a seipso. Hoc fere modo S. Augustinus respondit Arianis scribens in hunc locum Joan. Addit autem Cyrillus in suo ejusdem loci Commentario, his vocabulis, *similiter, sicut*, significari interdum perfectam similitudinem, idest, aequalitatem, quomodo de duobus pari honore dignis dicimus, hunc honorandum esse sicut illum, idest, non minus quam illum.

Huc accedit Scriptura Sap. 7. ubi de Sapientia Dei dicitur: *Cum sit una, omnia potest.* Et Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus &c.* Item in Evangelio passim a credentibus Christo tribuitur, quod omnia possit quaecumque voluerit.

Praeter haec Omnipotentiam Filii probat Augustin. lib. 2. *contra Maximin. cap. 7.* hujusmodi ratione: Pater Filium genuit, non ex nihilo, neque ex aliqua materia, sed ex seipso. Si ergo se minorem minusque potentem genuit Filium, igitur aut non potuit eum gignere Potentia sibi aequalem, & infirmus est; aut noluit, & invidus est. Infirmus quidem; quia imbecillitatis est non posse Filium gignere sibi aequalem secundum quamcumque perfectionem; invidus autem; quia invidia laborare convincitur, qui cum possit, non vult alteri communicare, quod ei lege naturae debetur, eoque magis, si a Patre debeatur Filio, in quo maxime apparere debet benignitas Patris.

Similis huic est ratio, quam eodem libro Sanctus Augustinus indicat *cap. 13. & 18.* ex natura gignentium sumptam. In-situm enim est hoc naturaliter omni homini, ut filium gignere cupiat, sibi in omnibus, quae perfectionis sunt, quam maxime similem; immo se etiam perfectiorem, idque statim si fieri posset; quod quominus praestet, ex impotentia & imperfectione gignentis provenit. Cum igitur omnis impotentia & imperfectio a Deo Patre, quam longissime sit removenda, fit consequens, eum ab aeterno talem genuisse Filium, qui nec ex parte Potentiae, nec cujuscumque alterius perfectionis quidquam minus haberet, quam Pater.

Valent istae ab August. productae rationes *contra Maximin.*

min. qui jam concesserat Patrem Natura, & ex seipso genuisse Filium. Ceterum contra alios Arianos, qui Filium negaverunt ex Substantia Patris genitum, & Natura Filium esse, non perinde sunt efficaces. Non enim oportet Deum, vel infirmum esse, vel invidum, si creaturam non faciat aequalem, cum praestantia creaturae nulla lege, vel aequitate debeat, scilicet, ut aequetur suo Creatori. Quod ne fieri quidem ullo modo potest.

(Porro, quae de Filii aequalitate cum Patre secundum Potentiam dicta sunt, eadem de Spiritu Sancto sunt intelligenda, de quo peculiariter Sap. 1. scriptum est, *Quod continet omnia*; nimirum Virtute, & Potentia sua. Et Sap. 7. *Quod omnem habeat virtutem.*

De tribus autem Personis clara est Ecclesiae confessio in Symbolo Athanasii: *Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus*; & tamen non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens. Et in magno Concilio Lateranensi cap. 1. ubi tres Personae praedicantur *co Omnipotentes*. Denique quaecumque probant Filium & Spiritum Sanctum esse unum verum Deum Patri consubstantialem, de qua re supra ad Dist. 9. & 10. eadem certissime ostendunt eos Patri, tam quoad Potentiam, quam quoad ceteras omnes perfectiones, esse coaequales.)

§. II.

Ad objectiones responsio.

S. Thom. 1. part. quaest. 42. art. 4.

CONtra aequalitatem Filii cum Patre, secundum Potentiam, objicit apud S. Augustinum Maximinus Arianus hujusmodi argumenta.

Primum. Filius accipit Potentiam a Patre; Pater a nemine: ergo Pater est Potentior Filio.

Secundum. Pater genuit Filium; ipse a nullo genitus: igitur hoc ipso major & potentior est Filio. Leguntur haec apud S. August. lib. 3. contra Maximin. cap. 12. & 18. Vide-

tur

tur autem utrumque confirmari hoc axiomate : *Propter quod unumquodque tale & illud magis.* Verum S. Augustinus utrumque argumentum retorquet in adversarium. Si enim Filius *Potentiam* accepit a Patre , certe eandem accepit , quam habet Pater , quia & eandem *Essentiam* , ut fatebatur Maximinus : est ergo Filius Patri secundum *Potentiam* aequalis. Item si Pater genuit Filium , genuit autem sibi aequalem , sicut postulat ratio Divinae generationis : non ergo secundum *Potentiam* major est Pater Filio.

Neque obstat , quod Filius a Patre , Pater autem a nemine naturam habeat , & *Potentiam*. Nam ut ibidem *cap. 18.* subjungit Sanctus Augustinus : *Originis quaestio est , quis de quo sit ; aequalitatis autem , qualis aut quantus sit :* quasi dicat ; per ea , quae Maximinus objicit solum docetur Filii originem esse ex Patre , non autem Filium minorem esse Patre. Nec argumento suffragatur dictum axioma : illud enim de forma majus minusve suscipiente , deque ea , quae saltem numero diversa est in iis , quae inter se comparantur , accipi debet. Cujusmodi non est *Potentia* Divina.

Tertium argumentum. Pater potuit gignere Filium , quod Filius non potest ; plus ergo potest Pater , quam Filius. Respondet Sanctus Augustinus *in fine cap. 12. ejusdem libri* , his verbis : *Filium genuit Patris natura , non fecit :* idest , *Potentia* in Deo non dicitur respectu generationis aut processions , quae est ad intra , sed respectu operationum ad extra. Quod & Fulgentius *cap. 3. de Fide ad Petrum* , significavit dicens , in eo Trinitatis esse Omnipotentiam , quod omnem creaturam visibilem & invisibilem , idest , corpoream & incorpoream fecerit : hoc est , Omnipotentiam Dei respicere creaturas , quae sunt extra Dei substantiam , non actus processionales , qui Dei substantiam non egrediuntur. Sed hujus argumenti plenior explicatio petatur ex iis , quae dicta sunt *ad Distinct. 7. hujus libri* , ubi disputatum fuit : *an potentia gignendi Filio competat ?* necnon ex iis , quae infra *ad Dist. 42.* dicentur de Dei Omnipotentia.

Quarto objiciet aliquis. Patrem videri Filio potentio-
ex eo , quia *Potentia* Patri appropriatur. Sed facilis respon-

sio est ; alia esse *propria*, alia *appropriata*. Nam *appropriata* revera sunt communia ; quemadmodum patebit ex iis , quae dicenda sunt *ad Distinct.* 31. Et si hoc argumentum procederet , sequeretur Filium esse Patre sapientiozem , cum approprietur Sapientia Filio. Sequeretur etiam , Spiritum Sanctum esse meliorem Patre & Filio per eandem rationem.

Postremo potest objici , quod Dominus dicit Joann. 5. *Ego veni in nomine Patris mei , & non accipitis me. Si alius venerit in nomine suo , illum accipietis. Nomen autem virtutem significat , igitur Virtus Filii non est Virtus Patris ; quia alioqui venisset Filius in nomine suo. Respondetur , si nomen ibi virtutem significat , Christam non venisse in nomine suo tantum , sed in eo , quod a Patre se habere fatetur. Verumtamen phrasia illa venire in nomine alicujus , videtur hoc tantum significare , quod quis veniat missus ab aliquo. Et ita Filius venit in mundum , tantum in nomine Patris , id est , tantum missus a Patre.*

§. III.

Inseparabilia esse Trinitatis opera.

S. Thom. 1. part. q. 45. art. 6.

His opportune adjiciendum , ita Potentiam tribus Personis esse communem , ut inseparabilia sint opera quaecumque ab illa procedunt , id est , quaecumque Deus ad extra operatur. Immo fieri omnino non posse , ut una Persona operetur aliquid sine alia , vel aliis duabus. Est enim ridicula & Catholicae fidei plane contraria Manichaeorum fabula , qua singulis Personis certas sedes assignabant , & virtutes suas exercere singulas in diversis elementis aut creaturis asserebant.

Probatur autem Catholica doctrina hac certissima ratione. In Deo non est aliud esse , aliud posse , aliud velle & operari , sed haec omnia sunt unum & idem , juxta illud , quod dici solet : *In Divinis omnia esse unum , ubi non obviat relatio-*

nis oppositio. Sicut ergo trium Personarum una est atque indivisa Essentia, ita est una Potentia; & per consequens una voluntas & operatio. Unde quaecumque sunt operationes unius Personae, sunt & aliarum; & quaecumque opera ab una Persona producuntur, necessario producuntur etiam a reliquis duabus; idque non diversa, sed una & indivisa operatione. Atque haec Augustini probatio est lib. *contra sermonem Arianorum cap. 16.* dicentis: *Non potest operatio esse divisa, ubi non solum aequalis est, verum etiam indiscreta Natura.*

Probatur etiam peculiariter ex unitate Potentiae. Si enim trium Personarum una est & eadem Potentia, necesse est omnes operationes ab illa procedentes tribus Personis esse communes. Idem ostendunt Scripturae: nam creationem Mundi & partium ejus, modo Patri, modo Filio, modo Spiritui Sancto legimus in Scripturis attributam: ut Psal. 32. *Verbo Domini Coeli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum, &c.* Unde & Filius Joan. 5. se cum Patre omnia operari testatur, dicens: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* Et iterum: *Quaecumque Pater facit, haec & Filius similiter facit.* Et Prov. 8. *Cum eo eram cuncta componens.* Ac rursum Joan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, id est, Pater nihil fecit sine Filio. Facit autem idem Filius opera sua in Spiritu Sancto, sicut ipse dicit Matth. 12. *Si ego in Spiritu Dei ejicio doemones, &c.* Sic & sanctificatio nostra tum alibi, tum apertissime Matth. *ultim.* toti tribuitur Trinitati, dum jubentur Apostoli baptizare credentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Denique nullum in Scripturis opus legimus attributum uni ex tribus Personis, quod ab alia, vel aliis removeatur, ac non potius interdum aliis attributum legatur; sed ita ut Filius sicut esse, ita & operari accipiat a Patre; quemadmodum ipse testatur Joan. 5. *Nen potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Similiter & Spiritus Sanctus sicut esse, ita & operari accipit a Patre & Filio. *Non enim loquitur a semetipso, sed quaecumque audit, loquitur:* Joann. 16. ut sicut a Patre est principium essendi, ita ab eodem sit principium operandi.

Hanc

Hanc porro communionem, atque inseparabilitatem operationum Patris contra Haereticos, ac potissimum Arianos, qui Filium voluntate, ac proinde operatione posse dissidere a Patre docebant, constanter Patres tradiderunt: unde est illa imprimis Hilarii sententia lib. 7. *de Trin. In Divinis Personis nihil esse diversum, nihil alienum, nihil separabile.* Quod ipsum multis locis docet S. August. in Epist. ubi sic ait: *Quid facit Filius sine Spiritu Sancto, vel sine Patre, cum inseparabilia sint omnia opera Trinitatis?* Item lib. 1. *de Trin.* Et lib. *contra sermonem Arianorum cap. 16.* Et Tract. 20. in Joan. Et Sermon. 11. *de verbis Domini, cap. 15. & 16.* Et Sermon. 63. *per plura capita.* Euch. c. 38. & lib. *de vera Religione cap. 7.* Tradit eandem doctrinam Sancti Augustini titulo liber de Trinitate, & Unitate Dei cap. 7. & sequent. tom. 4. In eandem & ceteri Patres sine dubitatione consentiunt.

(S. IV.

Respondetur ab objectiones.

S. Thom. 1. part. quaest. 45. artic. 6.

ADversus superiorem doctrinam quaedam solent objici. Primum est ex mysterio Incarnationis Filii Dei, sive assumptione Humanae Naturae. Solus enim Filius incarnatus est; solus humanam naturam assumpsit; solus in carne locutus est; ambulavit, manducavit, bibit; solus passus, & mortuus est; solus denique resurrexit, & in Coelos ascendit: quemadmodum contra Patripassianos jam olim Catholica Fide traditum est. Haec autem omnia constat opera quaedam esse *ad extra.*

Secundo. Solus Pater voce caelitus delapsa super Christum dixit: *Hic est Filius meus dilectus, &c.*

Tertio. Solus Spiritus Sanctus super Christum descendit in specie Columbae, & super Apostolos in linguis igneis.

Quarto. Joan. 8. Christus ait: *Ego non quaero gloriam meam,*

Estii Theol. Tom. I.

Nu

meam,

ratur, sed quia solus illa in seipso recipit, nimirum secundum naturam humanam.

Ad secundum respondetur, solum Patrem ea verba dixisse, non quia solus sonum illum verborum in aëre formaverit; fuit enim & hoc opus, ut cetera, toti Trinitati commune; sed quia verba in solius Patris persona prolata sunt, ut qui solus Filium habebat Jesum Christum, quem verba illa monstrabant. *Solus, inquit, dixit, quia res significata ad solam pertinebat Patris personam, ut si dixisset: Ego sum Pater.*

Ad tertium quoque respondetur: solum Spiritum Sanctum in specie Columbae & in linguis igneis apparuisse; quia solam Spiritus Sancti Personam res illae visibiles significabant, quas tamen una indivisa operatione, tres Personae produxerunt. Horum trium argumentorum pleniorē tractationem, vide apud Sanctum Augustinum *Serm. 11. & 63. de verbis Domini, & Euch. c. 38. libro primo de Trinit. cap. 4. & 5. Et contra Sermonem Arianorum cap. 15.*

Ad quartum: aut loquitur Christus de se secundum hominem; quia non venerat glorificari, sed pati. Aut idem ipse ut Deus non originaliter quaerebat gloriam suam, sed Patris, a quo omnia acceperat.

Ad quintum similis est responsio. Christus enim non semetipsum clarificavit ut homo, sed ut Deus. Divinitas enim humanitati contulit dignitatem summi Sacerdotii. Et tamen ut Deus, hoc ipsum ut faceret, accepit a Patre.

Ad sextum. Pater neque interpellat, neque postulat, neque offert; non quia has actiones non operatur, sed quia in illis iam expressis continetur aliquid alienum a Patre, nempe ab alio accipere, quod petitur. Solus quippe Pater ita praestat postulata, ut ipsum praestare non ab alio accipiat.

Ad postremum. Augustinus clare seipsum explicat, & expresse contrarium eo loco docet. Dicit ergo *Trinitatem quasi separabilem*; quia opera, quae ibi commemorat, quasi separantur. Quamvis enim omnia ab omnibus Personis fiant, non tamen ad omnes Personas pertinent, juxta ea, quae pro solutione argumentorum primi, secundi, & tertii dicta sunt.

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAMPRIMAM.

§. I.

Quomodo vox exclusiva *solus* Deo tribuatur.

S. Thom. 1. part. 9. 31. art. 3.

CUM dixerit Sanctus Augustinus lib. 6. de Trin. cap. 7. & 8. tantum esse Patrem *solum*, vel Filium *solum*, vel Spiritum Sanctum *solum*, quanta est tota Trinitas: merito quaeritur, quomodo vox ista, *solus*, quae solitudinem significare videtur, recte Deo ac Divinis Personis tribuatur; atque omnino, quomodo illa in Divinis usurpetur. Ad quod respondentes dicimus, ejus vocabuli varium esse usum in vulgato sermone. *Aliquando enim solitarium* significat, ita ut excludat consortium rerum ejusdem naturae vel speciei. Quomodo de Adam dictum est Genes. 2. *Non est bonum hominem esse solum*. Hoc sensu nec Deus, nec ulla in Divinis Persona sola est, cum sit ibi felicissime trium Personarum in una Natura perfectissime convenientium societas. Hoc modo Filius Dei, Joan. 8. ait: *Solus non sum, sed ego & qui misit me, Pater*. Et 16. *Non sum solus, quia Pater mecum est*. Nam quod ibidem dicit: *Relinquetis me solum*, intellige quantum in vobis erit. Ita Sanctus Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 8. docet Deum non esse *solum*; tametsi sit *solus* Deus. *Solus* enim esse negatur, non tantum quia est cum Spiritibus & animabus Sanctis, ut ibi dicit Sanctus Augustinus; fuit enim sine illis ante mundum conditum: sed praecipue propter beatissimum consortium trium Personarum. Quocirca neque ipsa Trinitas *sola*, id est, *solitaria* dici potest, cum ea in se complectatur illud trium Personarum consortium. Quod nimirum indicatum est verbis illis, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Hac enim Scriptura ad hoc ipsum probandum usus est Hilarius lib. 4. de Trinitate: fere autem dicto modo accipitur dictio *solus*, quando prorsus solitarie po-

nitur ex parte attributi in enunciatione, velut cum dicimus: *Deus est solus, Joannes est solus.* Quod si ex parte attributi aliam partem adjunctam habeat, non solitudinem significabit, sed removebit ab attributo rem omnem a subjecto diversam. Et hoc pacto verissime dicitur, *unus Deus est solus Deus,* quemadmodum loco modo citato testatur Augustinus. Unde ipse Dominus, Deut. 32. *Videte, inquit, quod ego sum solus, subaudi Deus.* Sic enim exponit verbis sequentibus; *Et non sit alius Deus praeter me.* Ita dictum est ab Apostolo 1. Timoth. *Soli Deo honor, & gloria, id est, ei qui est solus Deus.*

Porro si subjecto propositionis eadem vox adjungatur, longe manifestius significabit remotionem praedicati ab omni eo, quod a subjecto diversum est. Sic Deo dicitur Job 23. *Ipsa enim solus es.* Quo significatur Deum *solum* esse, nimirum illo excellentissimo modo, quo id esse dicitur, quod esse suum a nullo alio accepit. Ita 1. Timoth. 1. solus Deus dicitur *Immortalis*, id est, Natura sua Aeternus atque Immutabilis. Et cap. 6. *Solus Deus Potens, & Rom. 16. Solus Sapiens.* Sic & Deut. 32. scriptum est; *Dominus solus dux ejus fuit.* His inquam, & hujusmodi sententiis significat Scriptura, talium propositionum attributa sic competere Deo, ut nulli rei a Deo diversae conveniant. De hoc locutionis modo in Divinis videre est Sanctum Augustinum lib. 1. *de Trin. cap. 6. & lib. 3. contra Maxim. cap. 9. & quatuor sequentibus. Et Sanctum Thom. 1. p. quaest. 31. art. 3.*

§. II.

Quomodo dictiones exclusivae Personis Divinis tribuantur.

S. Thom. 1. part. q. 31. art. 4.

Plus difficultatis adferunt *exclusivae dictiones*, si Personis Divinis adjunctae fuerint. Quae res tamen ita breviter expediri posse videtur.

Si dictio exclusiva adjuncta fuerit Personae ex parte sub-

jecti, eique praedicatum tribuatur personale, nullam habet dubitationem talis propositio. Verissime enim dicitur: *Solus Pater est Pater: solus Pater gignit: solus Filius gignitur: solus Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit.* Sic in *Symbolo Sancti Athanasii*. Filius ex Patre solo, id est, solus Pater genuit Filium. Hujus igitur generis propositionibus significatur, praedicatum non modo removeri ab eo, quod natura distinctum est a subiecto, verum etiam ab eo, quod sola distinguitur suppositi ratione. Si vero praedicatum sit absolutum, juxta proprietatem quidem sermonis falsa videbitur propositio; verbi gratia, *solus Pater est Deus*; cum etiam Filius, qui alius est a Patre, sit Deus. Ea namque vis esse videtur exclusivae dictionis, ut removeat omne id, de quo vox affecta affirmari non potest; nisi forte circumstantia sermonis aliud postulet, velut si dicam: *solus Petrus est in domo*; non excludo caenam vel suppellectilem, sed alios homines. Hoc modo saepe Veteres in scriptis suis loquuntur, ut quando negant solum Patrem esse Deum, aut Omnipotentem, aut Aeternum contra Arianos scribentes, qui haec attributa Filio & Spiritui Sancto detrahebant. Manifestius autem patet hujusmodi propositionum falsitas, quando fit expressa comparatio Personarum inter se, velut si dicat quispiam: *solus Pater creat, solus Filius salvat, solus Spiritus Sanctus sanctificat.* Ibi namque ita cum exclusione singula tribuuntur singulis, ut ab aliis videantur removeri. At vero si modum loquendi in Scripturis usitatum sequamur, vere reperientur interdum etiam hujus generis propositiones, id est, in quibus praedicatum absolutum Personae tribuitur signo exclusivo affectae. Sic enim *solus Pater dicitur esse Deus verus*, in his verbis Joan. 17. *Ut cognoscant te solum Deum verum.* Sic & Matth. 11. dicitur: *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius*, id est, solus Pater novit Filium, & solus Filius novit Patrem. Et Apocal. 19. de Filio: *Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse*, id est, quod solus Filius novit. Et 1. Corinth. 2. *Quae Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei*; id est, solus Spiritus Dei novit. Et apertius Ecclesiastici 24. dicit Sapientia Dei: *Gyrum Coeli circui-*

cui soli. Sic Ecclesia canit in Missa, sermone ad Filium converso: *Tu solus Sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus*: nam quod sequitur, *Cum Sancto Spiritu, &c.* hunc sensum habere videtur: *qui cum Sancto Spiritu vivis, & regnas in gloria Dei Patris.* Sic in Officio Divino de Martyribus Joanne & Paulo: *Nobis alius non est Dominus, nisi Jesus Christus.* Et in Martyrologio Romano pridie Kal. Sept. de S. Aristide: *Quod Christus Jesus solus esset Deus luculentissime peroravit.* Immo sic loquitur Judas Apostolus, dicens: quosdam *solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum* negare; id est, eum, qui solus est Dominator, ac Dominus noster: tametsi Graeca paullo aliter, scilicet *solum Dominatorem Deum & Dominum &c.* In his igitur, & similibus sententiis exclusiva dictio non excludit omne illud, de quo subjectum vere affirmari non potest; sed res a subjecto diversas, id est, omnia ea, quae secundum essentiam non sunt unum & idem cum eo, cui signum exclusionis adjunctum est: verbi causa, si dicat aliquis, se credere in Deum Patrem, qui solus mundum creavit, non continuo Filium & Spiritum Sanctum excludit, sed excludere censetur tantummodo ea omnia, quae non sunt id, quod Pater, id est, quae non sunt una eademque res cum Patre. Cum ergo Filius & Spiritus Sanctus sint unum & idem cum Patre, non oportet eos hoc loquendi modo exclusos videri ab opere creationis, sed solas creaturas.

De hujusmodi locutionibus vide Sanctum Hilarium lib. 4. *de Trinitate*, ante medium. Et S. Augustin. lib. 6. *de Trinitate cap. 9.* Et lib. 3. *contra Maxim. cap. 13.* Et Sanctus Thomas 1. p. *quaest. 31. art. 4.*

IN DISTINCTIONEM VIGESIMAMSECUNDAM.

§. I.

Quaedam observationes circa nomina Deo
attributa.

S. Thom. 1. part. q. 13. tota.

Circa diversitatem nominum, quibus utimur loquentes de Deo, priusquam ea dividendo explicemus, praemittenda sunt quaedam scitu necessaria. Quorum hoc primum est: nullum esse nomen, quod Dei naturam nobis perfecte repraesentet; tametsi alia aliis, aut proprius ad eam repraesentandam accedant, aut ab ea minus longe recedant, ut intelligi potest ex dictis ad *Dist. 8.* ubi quaerebatur: *quod sit nomen Deo maxime proprium?* Ratio autem est; quia unaquaeque res, ut intelligitur, ita nominatur; nomina enim rebus imposita sunt ad significandas proprias earum naturas, quae definitionibus explicantur. Cum ergo Dei Natura capacitatem intellectus humani in infinitum excedat, consequens est eandem Naturam respectu nostri proprio nomine explicari non posse. Atque hoc est, quod Sanctus Dionysius Areopagita lib. *de Divinis Nominib. cap. 1.* dicit, de Deo neque nomen exstare, neque opinionem haberi, id est, conceptum proprium & adaequatum de Deo formari non posse; quia videlicet omnis intellectus creatus cum finitus sit, infinitam illam Naturam sicut est, assequi cogitando non valet.

Secundum. Ad Dei naturam sermone declarandam, multis, ac variis nominibus utendum esse. Cum enim in Deo sint omnes omnium rerum perfectiones modo perfectissimo, necesse est, ut vel pluribus nominibus illa Divinae Naturae excellentia nobis significetur atque innotescat, quam singula repraesentare minus queunt.

Tertium. Non res multas, sed rem prorsus unam, & eandem omni illa nominum varietate, quae Deo tribuuntur, significari.

Quar-

Quartum. Licet rem unam, eamque simplicissimam multa Dei nomina significant, non tamen ea synonyma esse, sed diversis notionibus, seu propriis conceptibus rem unam, & eandem significare.

Postremum. Eam notionum diversitatem, quae diversis Dei nominibus respondet, nullam involvere falsitatem; propterea quod nihil vetet rem in se unam varie apprehendi, pro ut varias in se perfectiones includit. Unde licet in Deo, verbi gratia, non aliud sit Potentia, aliud Sapientia, aliud Bonitas; aliter tamen, atque aliter mente concipimus Divinam Naturam, ut diversis illis nominibus exprimitur.

§. II.

Multiplex divisio nominum Divinorum.

S. Thom. ibidem.

Varietas nominum, quae Deo tribuuntur, divisionibus aliquot explicanda est, quarum prima sit ista.

Nominum Divinorum alia affirmativa, seu positiva sunt, quibus videlicet aliquid positivum primo significatur. Cujusmodi sunt *Deus, Bonus, Aeternus, Pater, Filius*. Alia negativa, id est, quae negationem alicujus imperfecti significantia, consequenter ingerunt cogitationi nostrae perfectionem oppositam, ut *Incorporeus, Infinitus, Immortalis*.

Secunda divisio. Nominum Divinorum quaedam proprie, quaedam figurate, ac per translationem Deo tribuuntur. Prioris generis sunt *Deus, Justus, Sapiens*: posterioris, *zelotes, leo, petra*. Quo pertinent etiam ea vocabula, quae a partibus ac membris humanis ad significandas certas Dei proprietates translata sunt, cujus generis sunt *anima, os, oculi, brachia, manus*. Quorum omnium rationem, ac significationem in Deo late exponit Sanctus Joannes Damascenus lib. I. de Fide cap. 4. De quibus etiam Tractatus extat inter opera Sancti Hieronymi, titulo de membris Dei; tametsi quod ad auctorem attinet, pseudepigraphus sit. Dicimus autem quaedam nomi-

na Deo *proprie* tribui, non quod proprio & adaequato conceptu Dei Naturam nobis repraesentent: hoc enim, ut jam diximus, fieri non potest; qua ratione, & Sanctus Augustinus negavit, proprie aliquid de Deo ore hominis enunciari posse, libr. 5. de *Trin. cap. 10.* Sed quia simpliciter, ac citra tropum Deo tribuuntur; cujusmodi fere sunt, quae imperfecte creaturis, perfectissime Deo conveniunt, velut ista, *Bonus, Justus, Sapiens, Potens.* Quae quodam sensu soli Deo competere Scripturae docent.

Tertia: Nominum Divinorum alia sunt *absoluta*, alia *relativa*. Absoluta quidem, quorum significatio non consistit in relatione *ad aliud*, sed ut Sanctus Augustinus ait libr. 5. de *Trin. cap. 8.* ejusmodi sunt, ut *ad se* dicantur. Quae proinde substantialiter Deo tribuuntur, ut *Deus, Magnus, Potens.* Relativa vero, quae respectum designant *ad aliud*, sive illud sit Persona Divina, sive creatura, ut *Pater, Filius, Gubernator, Creator.* De hac divisione dictum etiam est ad *Dist. 4.*

Quarta: Relativorum nominum, alia uni Personae sunt propria, ut *Pater, Filius*; alia duabus tantum conveniunt, ut *Spirans Patri & Filio*; *procedens, missus*, Filio & Spiritui Sancto; alia tribus communia, ut *Creator, Dominus.*

Quinta: Nominum Dei quaedam *ab aeterno* Deo conveniunt, quaedam *ex tempore*. Prioris generis sunt *Deus, Pater, Omnipotens*; posterioris, *Creator, Dominus, Refugium.*

Sexta: De qua etiam dictum est *Dist. 4.* Nominum Divinorum alia *concreta* sunt, alia *abstracta*. Inter haec autem praeter discrimen eo loco traditum, hoc etiam interest; quod *abstracta* Divinae Naturae simplicitatem commendant: *concreta* vero personalem subsistentiam expressius insinuant. Porro quomodo concreta pluraliter enunciatia Personis Divinis attribui possint, petendum ex iis, quae partim *ad Distincti. 4. partim ad 9.*, a Nobis dicta sunt.

Denique unum nomen est absolutae significationis, quod de Deo quidem dicitur seorsum, non tamen seorsum de ulla trium Personarum, sed simul & collective de omnibus, nempe *Trinitas*, ut patet. Quid autem significetur nomine *Personae*, statim dicitur.

IN DISTINCT. VIGESIMAM TERTIAM.

§. I.

Quid nomine *Personae* significetur.

S. Thom. 1. p. q. 29. art. 1.

*P*ersonae vocabulum id habet peculiare, quod cum cetera, quae Deo tribuuntur, vel possint, vel debeant in numero singulari dici de pluribus Personis simul sumptis; hoc solum tale sit, ut pluribus simul Personis numquam singulari numero tribui possit, sed plurali tantum. Neque enim fas est dicere, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse unam Personam, sicut unum Deum, unum Dominum, unum Aeternum, sed tres Personas. Cujus ratio ut intelligatur, explicandum quid nomine *Personae* significetur. Nam hoc nomine in Divinis (etiam ante Arianorum exortam haeresim, atque ab ipsis pene incunabulis suis) usa est Ecclesia Christi. Sic enim legimus apud Tertull. *lib. adversus Praxeam cap. 26.* Nam non semel, sed ter ad singula nomina in Personas singulas tingimur. *Personam*, itaque definit Boëtius in libro de duabus Naturis, & una Persona Christi, contra Eutychem & Nestorium scripto, esse: *Rationalis naturae individuum substantiam.* Richardus autem Victorinus lib. 4. de Trin. cap. 18. & 23. dicit, eam esse *intellectualis naturae incommunicabilem existentiam.* Nonnullam etiam definitionis speciem habet, quod Sanctus Ambrosius lib. 5. de Fide ad Gratianum cap. 2. Personam humanam vocat *hominem specialem*, id est, *individuum.*

In definitione Boëtii, quam fere Scholae retinent, *substantiam* intelligere oportet rem aliquam per se subsistentem, eamque completam. Nam accidentibus *Personae* nomen non convenit, nec formis substantialibus, ne quidem animae separatae; quemadmodum ad *Dist. 5. lib. 3.* Theologi docent, Magistro licet dissentiente. *Individuum* autem *substantiam* intellige, quae (ut sua definitione clarius explicat Richardus)

incommunicabilis est ; id est , quae pluribus realiter distinctis communicari nequeat , sed ipsa a quolibet alio sit incommunicabili proprietate distincta. Hinc igitur consequens est, Divinam Essentiam , sub propria ratione Essentiae consideratam , non esse Personam. Quamvis enim in Deo essentia revera Persona sit ; alia tamen Essentiae , alia Personae ratio est. Et Essentia quidem ut talis , reipsa communicabilis est ; Persona autem incommunicabilis. Ac rursum tametsi Essentia Divina quodam sensu individua dici possit , recteque dicatur ; quia nimirum neque genus est , neque species, sed res una numero , & ut ita dicamus , singularis. Sic enim Sanctus Thomas loquitur 1. p. qu. 13. art. 11. juxta datam tamen Personae definitionem , *individua* dici non potest ; quia non est *incommunicabilis* ; communicatur enim tribus Personis. Quod additur in definitione , *naturae rationalis* , personam tamquam quiddam specialius a supposito distinguit. Est enim suppositum individua substantia cujuscumque naturae , ut hic equus, hic lapis. *Personae* autem vocabulum non nisi *substantiae rationali*, id est , *intellectuali* , ut Richardi definitio habet , usu latine loquentium , tribuitur.

§. II.

Utrum *Persona* Essentiam , an relationem significet ?

S. Thom. 1. part. qu. 29. art. 4.

Quaesitum est jam olim : utrum hoc vocabulum , *Persona*, secundum substantiam , an relative de Deo dicatur ? Magister ex Sancto Augustino docet secundum substantiam dici. Scribit enim Sanctus Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. Cum dicimus Personam Patris , non aliud dici quam Substantiam Patris. Idque probat ; quia Pater ad se persona dicitur, non ad Filium , vel Spiritum Sanctum.

Jam vero ulterius quaerenti : si *Persona* secundum Substantiam dicitur , & non aliud , quam Essentiam significat ; quomodo ergo plurali numero dicatur , cum non similiter dicantur alia vocabula , quae substantiam signi-

gnificant , ut Deus , Essentia ; immo quare dicere non liceat Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum esse unam Personam , sicut dicuntur unus Deus , & una Essentia : ita respondet , ut aliquando refugisse videatur hunc sermonem , Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus sunt tres Personae , ut apparet ex quodam ejus Tract. in Joann. Faciens enim adversarium interrogantem , quid tres dicantur ? non aliud respondet , quam se complere tres , dicendo Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum. Alias vero ut lib. 5. de Trinit. cap. 9. & lib. 7. cap. 4. & 6. significat Catholicos necessitate quadam adductos , ne omnino tacerent , quaerentibus Haereticis quid tres dicerent , quando Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum tres esse confitentur , huic significationi servasse Personae vocabulum , seu verius in eum usum parasse , ut cum Substantia simul proprietatem includeret. Hoc enim iis locis velle videtur Augustinus.

Sed huic Augustini responsioni potest objici. Si Persona Divina non aliud quam Essentiam significat , etiamsi Catholici alio deflexerint ejus significatum , nimirum ad designandam proprietatem , non per hoc repelli Arianorum calumniam : quia illi insistentes propriae significationi vocis , tres Personas , quas Catholici faterentur , tres intelligerent Essentias.

Proinde verior eaque clarior & expeditior responsio videtur , si cum S. Thom. 1. p. qu. 29. art. 4. dicamus Personam significare relationem per modum Substantiae , id est , absolute , & non relative ad aliud : vel quod fere in idem recidit Essentiam non absolute , sed ut conjunctam habet proprietatem individuaalem atque incommunicabilem , quamvis eam proprietatem significet indistincte. Qua ratione fit , ut in numero plurali simul de pluribus affirmari possit. Cum enim dicimus Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum esse tres Personas , significamus eos esse tres ejusmodi res , quarum unaquaeque suis proprietatibus a quacumque alia fit distincta. Nudam autem relationem hoc vocabulum non significat ; quia ut recte a S. Augustino dictum est : Pater non dicitur Persona ad aliud , quemadmodum nec Filius , nec Spi-
ri-

ritus Sanctus. Sed significat aliquid per se subsistens ; quatenus ab alio proprietate quadam , quae in Deo aliud non est , quam relatio , distinguitur. Unde vicissim patet ratio , quare vocabulum hoc pluribus simul numero singulari tribui non possit ; quia videlicet ejusmodi propositio significaret Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum esse substantiam incommunicabili aliqua proprietate eandem , atque indistinctam , quod falsum est : quia quidquid tribus Personis tribuitur , id iisdem communicabile sit oportet. Rationes autem quibus docetur , Personam & Essentiam non idem significare , cum responsione ad objectiones in contrarium videantur infra *ad Distinct. 25.*

§. III.

De Graecis vocabulis *Hypostasis* & *Usiae* Latinis respondentibus.

S. Thom. 1. part. q. 29. art. 2.

Personae respondet *Hypostasis* apud Graecos. Sicut enim Latini tres Personas confitentur in Deo, sic & Graeci tres Hypostases; tametsi hoc discriminis est inter Hypostasim & Personam, quod Hypostasis generaliter ad omnem individuum substantiam extendi possit, sicut apud Latinos suppositum; cum Persona tantum de intellectuali substantia dicatur. Sciendum tamen non semper eundem fuisse hujus vocabuli usum apud auctores Graecos. Scribit enim Hieronymus in *Epistola ad Damasum*, *cujus initium: Quoniam vetusto &c.*, totam saecularium literarum Scholam nihil aliud *Hypostasim* nisi *Usiam* novisse; *Usiam* autem ibidem *Substantiam* interpretatur. Et proinde sub Hypostasis vocabulo, tamquam a viris Ecclesiasticis modo sic, modo aliter usurpato, venenum latere dicit: adeo ut tres in Deo Hypostases confiteri non audeat (utpote calumniam trium substantiarum ex ea confessione veritus) nisi addita expositione, qua tria *enypostata*, id est, tres subsistentes Personas intelligere se declarat. Praeterea in Syno-

nodo Alexandrina sub Athanasio habita, constitutum fuit nihil opus esse vocabulis *Usiae*, & *Hypostasis*, ubi de Deo sermo est, uti referunt Socrates lib. 3. *Hist. Eccl. cap. 5.* Et Nicephorus lib. 10. *cap. 15.* Cujus decreti pro tempore haec ratio fuit; quia apud saeculares Auctores *νοια* non tam essentiam significabat, quam substantiam, quae apud Aristotelem Categoriarum prima est, in qua tamen Divina Essentia non continetur. *Hypostasis* quoque, si vocis etymon spectes, & vocabulum Latinum ex Graeco exprimas, non aliud quam *substantiam* sonat. Hinc etiam factum, ut quemadmodum commemorat Theodoretus lib. 2. *Hist. Eccl. cap. 8.* Patres Concilii Sardicensis, quod universale fuisse perhibent, definiunt: *Unam esse Hypostasim Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Id ipsum, & in Conc. Rom. sub Damaso decretum fuisse testatur eodem libr. Theodoretus *cap. 22.* Exstatque simile decretum Concilii cujusdam Antiocheni *apud Hilarium in lib. de Synodis.* Certum est autem horum Conciliorum Patres *Hypostasis* nomine *νοιας*, sive *substantiam* intellexisse: quomodo Theodoretus, atque ipsimet sua decreta exponunt. Neque vero aliena videri debet haec illius vocis significatio, quandoquidem & Apostolus Hebraeor. 1. similiter eam accepit, Filium Dei vocans *characterem Hypostasis*; id est, ut noster Interpres vertit, *figuram Substantiae Patris*: tametsi Theophylactus *Hypostasim* eo loco *Personam* intellexerit, auctoritatem in ea re Gregorii Nysseni, quem allegat, secutus.

Porro in hac altera significatione, qua nimirum *Hypostasis* idem significet, quod Latinis *Persona*, vel *suppositum* usurparunt jam olim eam vocem Graeci Patres, nihil dubitantes in Deo tres *Hypostases* confiteri. Primus quidem Dionysius Areopagita *de Divinis Nomin. cap. 1.* Deinde Athanasius *in Symbolo. Basilii Epist. 43. ad fratrem suum.* Gregor. Nyssenus, disserens de differentia *Usiae & Hypostasis.* Gregor. Nazianzenus *Serm. 2. de Epiph. Domini.* Epiphanius *Haeresi 78.* Cyrillus lib. 1. *in Joann. cap. 2.* Et Damascenus lib. 1. *de Fide cap. 9. & lib. 3. cap. 5. necnon libro de Logica capit. 25. & 26.* ubi utriusque significationis meminit. Denique eundem hujus vocabuli usum Synodus Alexandrina, de qua supra

pra, non improbat, sicubi Catholicis res est cum Sabellianis Personarum discrimen negantibus. Horum auctoritatem posteriores Graeci ita sunt secuti, ut *Hypostasim* in Divinis non aliud intelligant, quam quod Latini *Personam* vocant, maxime cum in promptu non esset aliud vocabulum, quo subsistentiam illam personalem, qua inter se distinguuntur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus commode atque inoffense exprimerent. Quemadmodum testatur Augustinus lib. 7. de *Trinit. cap. 4. & 6.* Quamvis enim personam *πρόσωπον* dicant, noluerunt tamen tria *πρόσωπα* dicere in Deo, ne quid simile sentire viderentur cum Antropomorphitis humanam effigiem & membra Deo tribuentibus; propterea quod eadem voce etiam facies seu vultus apud eos significetur, sitque absurdissimum tres facies Sanctissimae Trinitati, tamquam homini trivultio tribuere. Quod vero ad *ουσία* attinet, etsi Aristoteles in Categoriis vox illa *substantiam subsistentem* dicat significare: Christiani tamen Scriptores de Deo disserentes, constanter eam usurparunt pro *Essentia*, quam & proprie significat, si vocis etymologia spectetur. Unde in Concilio Nicaeno, ac deinde a rota Ecclesia Filius Dei praedicatur Patri *ὁμοουσιος*, id est, *coessentialis*, quod usitatus Latini dicunt *consubstantialem*, quasi ejusdem substantiae; tametsi *Essentiae* vocabulum huic significationi magis proprie congruit, quam substantiae, quam diximus spectata vocis origine, idem quod *Hypostasim* significare. Quo fit ut etiam apud Latinos Patres interdum legamus *Substantiam* pro *Hypostasi*, seu *Persona* positam. Sic enim Hilarius lib. 4. de *Trin.* tres *Substantias* esse dixit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Et in lib. de *Synodo ex supra dicta Synodo Antiochena*, tres in Deo *Substantias* exponit tres Subsistentium Personas. Sed hanc *Substantiae* significationem apud Latinos minus fuisse receptam, arguit in primis illud Hieronymi in Epistola memorata ad *Damasum*: & quis ore sacrilego tres *Substantias* praedicabit? Augustinus etiam lib. 5. de *Trin. cap. 9. & lib. 7. cap. 4. & 6.* scribit: *Essentiam*, & *Substantiam* Latinis idem significare, licet Graeca vocabula iis respondentia, *Usia*, & *Hypostasis* Graecis non idem significant, ubi de ineffabili Trinitate illis sermo est. Itaque tem-

pore Augustini jam obtinuerat, ut Hypostasis apud Graecos personam non substantiam significaret. Si quando autem Hypostasim Latini sua lingua vellent exprimere, ne quid offenderent, potius subsistentiam, quam substantiam dicebant; ut videre est in expositione Symboli ad Damasum apud Hieronymum, & alibi. Postremo nec illud praetereundum, quod Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 1. Latinum *Substantiae* nomen abusive Deo tribui censet, eo quod Divina natura nulli substat accidenti. Nomen autem *essentiae* proprie Deo tribui; quia Deo maxime convenit esse, juxta illud: *Ego sum, qui sum.* Hoc autem de substantia eatenus verum est, quatenus ad etymon vocis respiciatur, non autem quoad proprium vocis significatum, quod saepenumero ab etymo diversum esse constat.

§. IV.

Quomodo in Trinitate, nec diversitas sit, nec singularitas.

S. Thom. 1. part. q. 31. art. 2.

QUI de Trinitate contra Arianos disseruerunt, ita docent esse in Divinis Personarum distinctionem, ut tamen diversitatem ibi nullam agnoscant. Et rursus ita Naturae unitatem confitentur, ut tamen ab ea removeri velint singularitatem. Ita loquuntur Hilarius lib. 3. de Trin. circa finem, lib. 4. circa medium, & lib. 7. circa finem. Ambros. lib. 1. de Fide ad Gratianum cap. 2. lib. 2. cap. 2. & lib. 5. cap. 2. Et Augustin. lib. 7. de Trin. cap. 4. & 6. A quibus non dissentit Auctor quaeest. veteris & novi Testamenti apud Augustin. qu. 122.

Intellexerunt autem diversitatis nomine non quamcumque & undecumque sumptam distinctionem, sed eam tantum, qua res secundum naturam, vel certe secundum aliquid absolutum distinguitur, quomodo diversus est homo ab equo, immo homo albus ab homine nigro. Singularitatem vero solitudinem interpretantur iidem Patres, quae videlicet

consortium excludat. Item singularem intelligunt eum, qui solus est, quemadmodum accipitur in versiculo Psalmi: *Singularis sum ego donec transeam*. Et quomodo dicitur de Christo homine Marci 4. *Cum esset singularis interrogaverunt eum*. Cum ergo in Deo, neque solitudo sit, sed beatissimum consortium trium Personarum, neque rursus ea differentia, qua competat uni natura vel proprietas absoluta, quae non alii, constat hoc sensu, tam diversitatem contra Arianos, quam singularitatem contra Sabellianos, a Sanctissima Trinitate removendam esse. Sicubi autem Patres singularitatem in Deo nominant vel diversitatem, quomodo dixit Isidorus libr. 1. *Etymol. cap. 4*. Unitatem esse in Deo *singularem*, Trinitatem vero *multiplicem*; quomodo & Personas in Deo diversas esse, alicubi legitur, ea commode sunt accipienda, ut *singulare*, quod unum est & indivisum; *diversum* autem & *multiplex*, quod distinctum. Unde S. Thomas 1. p. *qu. 13. art. 11*. non simpliciter, sed cum cautela nomen singularitatis in Divinis usurpavit, dicens: *Dei substantiam esse incommunicabilem, & ut sic liceat loqui, singularem*. Verum de hoc vocabulo non nihil quoque, quod ad rem praesentem pertineat, dictum est *ad Dist. 2. circa fin.* Neque sane videtur negandum, quominus hoc vocabulum, secundum eam significationem, quam habet apud Logicos inoffense possit in Divinis usurpari; cum satis appareat Veteres usum ejus refugientes, ad aliam significationem, scilicet eam, quam nunc exposuimus, respexisse.

IN DISTINCT. VIGESIMAMQUARTAM.

§. I.

Unitas, & numerus quomodo accipienda in Divinis.

S. Thom. 1. part. 1. q. 30. art. 3. & q. 11. art. 1.

CUM in Divinis *Unitatem, Dualitatem, Trinitatem* nominamus, dicentes unum esse Deum, unum Patrem, unum Filium; duos spi-

spirantes , duos procedentes ; tres Personas , tres Creantes , tres Sanctificantes ; quaeri solet , quomodo haec in Deo sint accipienda. Videtur enim Magister sentire , quod horum vocabulorum usus in Divinis potius introductus sit ad removendum atque excludendum aliquid a simplicitate Deitatis , quam ad aliquid ponendum. Verum absque dubitatione respondendum est , proprie *Unitatem* esse in Deo , immo & numerum *his* vocibus , *duo* , *tres* , *dualitas* , *Trinitas* , significatum. Vere enim ac proprie unus est Deus ; duo sunt Pater & Filius ; tres sunt Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus. Neque enim improprie locutus est Moyses quando dixit Deuter.6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est.* Aut Joannes Apostolus , quando dixit : *Tres sunt , qui testimonium dant in Coelo , &c.* sicut autem non ille numerus est in Deo intelligendus , quem in praedicamento quantitatis Dialectici reponunt , eum videlicet , qui nascitur ex divisione continui : ita nec unitas , quae hujus numeri principium est , nihilo magis ; immo vero multo minus quam Sapientia , vel Potentia , quam Deo tribuimus , ea sit intelligenda , quae est praedicamenti qualitatis. Certum est enim Deo nihil horum competere , quae in praedicamentis collocantur ; minime vero quicquam eorum , quae quantitatis extensionem , vel divisionem consequuntur ; sed nec ejusmodi vel unitas , vel numerus adscribendus est Deo , cujusmodi agnoscitur in creaturis spiritualibus atque incorporeis , quae quantitatis omnis expertes sunt. Quamvis enim hujus generis unitas sit quiddam transcendens , nullam rei formam superaddens , sed rem ipsam significans , quatenus in se indivisa est ; ratione tamen rei subjectae , naturam ejus designat ut limitatam , atque extra res alias positam. Qua ratione hujusmodi rebus pluribus , seu multiplicatis etiam numerus transcendens exoritur , secundum quem res una ab altera natura , vel qualitibus discreta intelligitur. Unitas autem Deo attributa , etsi sit instar unitatis transcendentis , quatenus nullam Deo formam superaddit , non tamen in Deo aliquid ut limitatum significat , sed supra rationem entis solam addit multitudinis negationem , significans videlicet ens indivisum ; quemadmodum & numerus

in Deo plurium quidem inter se distinctionem realem significat, non ita tamen ut ea plura natura vel qualitatibus discreta intelligantur, ac singula suis velut limitibus circumsepta.

Ex his igitur patet tam unitatem, quam numerum in Divinis non tantum remove quippiam, sed revera aliquid ponere; videlicet ipsam rem iis vocibus significatam. Verum sicut sapientia, etsi aliquid ponat in Deo, non tamen reipsa aliud est quam Dei essentia: ita de unitate, ac numero sentiendum. Nam unitas in Deo non aliud est, quam natura, vel persona, quae dicitur una. Et dualitas vel trinitas, non aliud quam personae, quae duae vel tres dicuntur. Unde hac parte unitas, & numerus in Divinis conveniunt cum unitate & numero transcendente in creaturis.

Porro quod Hilarius in lib. de Synodis, *explicans formulam Fidei in Sardicensi Concilio editam*, dicit: *Divinam substantiam respere numerum*, id non ad personas, sed naturam referendum esse, ipse Hilarius declarat, repetens verba, quibus illa Synodus anathematizat eos, qui tres Deos esse dicerent. Ad eundem modum videntur intelligendi Ambrosius lib. 1. *de Fide ad Gratianum cap. 2. & lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 14.* Prudentius in *Hamart.* & Boëtius lib. 1. *de Trinitate cap. 3.* cujus verba recitat Magister *Distinct.* 8. §. 1. tametsi alii de quantitate numerali eos locutos interpretentur; quasi tantummodo discontinuum, & rerum corporarum more discretum, a Divinis remove voluerint. Quamquam prior responsio magis esse videtur ex mente Auctorum.

IN DISTINCT. VIGESIMAMQUINTAM.

§. I.

Rationes quibus docetur Personam, & Essentiam non idem significare.

S. Thom. 1. p. q. 29. art. 2.

PRaeter ea, quae dicta sunt *ad Dist. 23.* de significatione hujus vocabuli *Persona*, quoniam hac *Distinct.* Magister idem argumentum tractans, rursus suadere conatur *Personam* idem significare quod *Essentiam*, si numero singulari dicatur (fatetur enim numero plurali non naturam, sed subsistentias sive hypostases designari) rationibus aliquot ostendendum ea voce, sive singulari, sive plurali numero fuerit expressa, non *Essentiam* significari, sed id quod dudum a nobis definitione explicatum est.

Prima ratio. Si Persona non aliud quam Essentiam significat; ergo sicut una est Essentia in Deo, ita erit una Persona.

Secunda. Personae nomen in humanis usurpatum nunquam significat essentiam. Interrogatus enim, quid sit Paulus, inepte personam respondebit; igitur nec in Divinis essentiam significat, cum hoc nomen, ut cetera fere omnia, sint ejusdem, secundum analogiam quamdam, significationis in humanis & Divinis usurpata, ut Pater, Filius, bonus, sapiens. Proinde etiam si quaeratur quid sit Pater, non apte respondebitur Persona, sed Deus; siquidem ea interrogatione Patris Essentiam in Divinis investigare quis volet?

Tertia. Persona Latinis id significat, quod *ὑπόστασις* apud Graecos, secundum eam significationem, quae Scripturis Ecclesiasticis usu frequentata est, de qua *ad Dist. 23.* Atqui hoc modo constat *ὑπόστασις* & *ουσία* esse diversae significationis, sicut ibi ostendimus: igitur & Latinis persona aliud significat, quam essentia.

Quar-

Quarta. In Christo aliud est Persona, aliud Essentia. Confitemur enim Ecclesia Catholica unicam in Christo Personam, duas Essentias, seu Naturas: ergo Persona etiam singulari numero non idem significat, quod Essentia.

§. II.

Respondetur ad rationes in contrarium:

S. Thom. ejusdem quaest. art. 2. 3. & 4.

Contra superiorem doctrinam primo objiciunt: Esse personam est commune tribus; quia & Pater est persona, & Filius est persona, & Spiritus Sanctus est persona; ubi persona semper idem significat: atqui nihil praeter essentiam est commune tribus: igitur essentiam persona significat. Sumpta est haec ratio ex Augustino lib. 7. de Trin. cap. 4. ubi tamen non expresse docet personam significare idem quod essentiam, sed disputando ac dubitando magis, quam definiendo, eam ventilat quaestionem, ut videre est in verbis ejus a Magistro allatis *Dist. 23. Respondendum* igitur, nihil praeter essentiam esse tribus commune secundum rem, posse autem tribus aliquid aliud esse commune tantum secundum rationem; cujusmodi est esse personam. Quae res facile intelligitur ex generibus & speciebus logicis, quorum unumquodque pluribus individuis commune est, secundum rationem tantum, ut homo Petro, Paulo, Antonio. Unde sicut de unoquoque horum seorsim dicitur, quod sit homo; de tribus autem simul non dicitur, quod sint unus homo, sed quod sint tres homines: ita de unoquoque trium in Divinis seorsim vere dicitur, quod sit persona; de tribus autem simul dici non potest, quod sint una persona, sed tres personae. Quod si homo secundum rem, communis esset tribus singularibus, sicut Deus tribus personis; tum sicut tres personae dicuntur unus Deus, sic tria illa singularia dicerentur unus homo. Quod autem persona, spectando totum ejus significatum, non sit aliquid commune tribus secundum rem, sed secundum rationem tantum, palam est;

est ; quia persona in sua significatione includit incommunicabilem proprietatem ; atqui habere incommunicabilem proprietatem non re , sed ratione commune est tribus ; quia non eandem omnes proprietatem habent , sed singuli suam.

Iterum obijciunt. Non est aliud persona , aliud essentia , sed res prorsus eadem , ut Augustinus docet lib. 7. de *Trinit. cap. 6.* : ergo idem significat persona , quod essentia. *Respondetur* non sequi , quemadmodum nec istud : Non est aliud Pater , quam essentia ; ergo Pater significat essentiam : quamvis enim quidquid est in Deo , essentia sit ; non tamen quidquid Deo attribuitur essentiam significat. Oportet enim distinguere attributionem vocum ab earum significatione , ut ex *Dialectica* manifestum est.

Hic si quaeras : utrum persona saltem eo modo significet essentiam , quo Sapientia , Bonitas essentiam in Deo significant ? Negative est respondendum. Haec enim , & alia hujusmodi significant id , quod tribus commune est secundum rem ; ideoque fatendum Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum esse unam Sapientiam , Bonitatem , non tres Sapientias , Bonitates. Persona vero significat id , quod tantum ratione commune est tribus , ut paullo ante declaratum est.

Alia objectio. Cum Catholici confiterentur Patrem , & Filium , & Spiritum Sanctum esse tres ; quaerentibus Arianis , *quid tres ?* recte illi respondebant , *tres Personae*. Atqui quaestio *quid* essentiam quaerit : ergo quod ei quaestioni reddebatur , nempe *Persona* , essentiam significabat. *Respondemus* Arianos ea quaestione non de essentia interrogasse , sed tantum voluisse Catholicos urgere , ut eloquerentur ac designarent substantivum illius adjectivi , *tres* ; arbitantes nimirum , non aliud ab iis responderi posse , nisi tres Deos , aut tres essentias. Qua eorum importunitate pressi Catholici , tres Personas sive Hypostases non inconvenienter responderunt , juxta significationem istarum vocum supra explicatam.

§. III.

Res, & ens in Divinis quomodo sumantur.

Bannes in 1. part. S. Thom. q. 39. art. 3.

HAec duo vocabula *res*, & *ens*, apud Catholicos Scriptores de Trinitate disserentes, ita fere accipiuntur, ut tantum essentiam significant. Unde ab iis docetur, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse *rem* unam, & *ens* unum, non plures *res*, aut plura *entia*. Quod ex eo patet, quia quaerentibus Arianis *quid tres*, aut *quid tria*? respondere Catholici noluerunt, *tres res*, aut *tres entes*, aut *tria entia*: quae tamen responsio maxime videbatur esse in promptu. Verebantur enim ne huiusmodi responsione tres essentias in Deo viderentur admisisse. Nonnumquam tamen eadem haec vocabula, ubi de Trinitate sermo est, transcenderentur sumuntur, ita ut amplitudine suae significationis tam relationem, quam substantiam comprehendant. Atque hoc modo Augustinus lib. 1. de Doctr. Chr. cap. 3. & 5. dicit, plurali numero eas *res*, quibus fruendum est, esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; subjiciens tamen eandem Trinitatem esse unam *rem* summam. Huc & illud referendum, quod idem Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 4. & 6. non modo tres genere personali, sed tria quaedam esse in Trinitate scribit, ac subinde repetit; affirmans Sabellium in haeresim lapsum, quod id negasset. Sic contra eundem Sabellium Prudentius in praefatione Apotheosis, cecinit: *Est tria summa Deus*. Tria autem illa transcendentem vocabulo *entia* non incommode supplemus, nec vero aliter commode supplere possumus. Eodem sensu, & a Damasceno scriptum est lib. 3. de Fide cap. 5. in Deitate unam naturam, & tres Hypostases secundum veritatem *entes* confitendas esse. Nec mirum, cum verbum substantivum tam plurali quam singulari numero sic resolvatur, ut *ens* in numero respondentem praedicatum fiat. Sicut enim haec propositio, *Deus est*, ita resolvitur, *Deus est ens*: sic ista:

Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt, resolvitur hoc modo, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt entes, vel entia.

IN DISTINCT. VIGESIMAMSEXTAM.

§. I.

Quae sint Divinarum Personarum notiones, & proprietates.

S. Thom. 1. part. q. 32. art. 2. 3. & 4.

Inter ea nomina, quae Deo tribuuntur, sunt quae a Theologis Scholasticis *notionalia* dicuntur, ut & res iis nominibus significatae solent *notiones* ab iisdem appellari. Est enim *notionale nomen*, per quod aliqua Divina persona, ejusque ab alia, vel aliis distinctio nobis innotescit. Et quidem *notionis* vocabulo in hac significatione ante Scholasticos usus est Augustinus lib. 5. *de Trin. cap. 6.* cum ait: Aliam esse notionem Patris, qua intelligitur genitor, aliam qua ingenitus. Sunt autem hujus generis nomina quinque numero, scilicet: *Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Processio.* Quae omnia praeter *Innascibilitatem*, relationem seu respectum personarum inter se significant. Et rursus inter ea quae respectum significant, haec tria, *Paternitas, Filiatio, & Processio* (quam specialiter dictam intellige) singula singulis tantum Personis conveniunt, Paternitas Patri, Filiatio Filio, Processio Spiritui Sancto, quae & *spiratio passiva* dicitur. Unde & propriissime sola haec tria proprietates personales vocantur. De quibus Joannes Damascenus lib. 3. *de Fide cap. 5. Differentiam*, inquit, *Hypostaseon seu Personarum in tribus proprietatibus; id est, paternali, & filiali, & processionali recognoscimus*: Quoniam autem ex originis ratione, personarum inter ipsas discrimen petendum est; necesse est trium personarum unam aliquam ex duabus reliquis originem habere tamquam ex uno principio. Unde ea notio resultat, quae

duabus competit personis, & usitato sermone, *spiratio* dicitur, *activa nimirum*, Patri & Filio ex aequo conveniens, & Spiritum Sanctum ab utroque procedentem respiciens. Si enim distincta essent principia Spiritus Sancti Pater & Filius, magna sequeretur absurditas; nempe in Spiritu Sancto duas esse personas propter originis pluralitatem: & sic Quaternitas esset in Deo, non Trinitas. Necesse est enim multiplicata relatione quapiam, multiplicari relationem oppositam. Si quis autem, ut hoc incommodum vitet, cum Graecis negaverit Spiritum Sanctum ex Filio procedere; consequenter illi fatendum erit Spiritum Sanctum a Filio personaliter non distingui. Distinguuntur enim Personae secundum relationes oppositas, consequentes ortum unius ex altera. Quae distinctionis ratio inter Filium & Spiritum Sanctum, juxta dictam sententiam constare non poterit, ut *ad Dist. 11.* plenius est demonstratum. Quoniam igitur *activa spiratio* non uni Personae propria est, sed duabus communis, fit, ut sit quidem notio personalis, non tamen proprietas personalis. Proprietates enim personales dicimus esse incommunicabiles.

Postremo, quod ad *Innascibilitatem* attinet, sciendum est, Patrem per hoc, quod est a nullo, id est, carens origine, distingui quidem ab aliis personis, nullum tamen ad eas respectum habere; quemadmodum docet Augustinus libr. 5. *de Trin. cap. 6. & 7.* Atque hinc consurgit ea notio, quam *Innascibilitatem* vocant, soli quidem Patri conveniens, nullam tamen relationem importans. Qua ratione deficit ab earum proprietatum personalium conditione, quas diximus propriissime tales appellari.

Ex dictis animadvertere licet hujusmodi ordinem quinque notionum personalium respectu ipsarum Personarum: quod tres in Patrem competant: *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Spiratio*; duae in Filium: *Spiratio*, *Filiatio*; unica in Spiritum Sanctum, nempe *Processio*.

§. II.

Ad dubia quaedam responsio.

S. Thom. *ibidem*.

Cum dictum sit *Spirationem activam*, quae duobus communis est, Patri scilicet & Filio, distinguens eos a Spiritu Sancto, unam esse ex notionibus personalibus: merito dubitet aliquis, cur non item *Processio* generaliter sumpta, quae quidem communis est Filio, & Spiritui Sancto, sed eos a Patre distinguit, numero notionum adjungatur.

Deinde idem quaeri potest de *Innascibilitate*, qua natiuitas proprie sumpta negatur, quaeque communis est Patri & Spiritui Sancto, distinguens eos a Filio, qui solus nascitur. S. Thom. 1. part. q. 33. art. 4. ad 1.

Tertio de *Improcessibilitate* sive *Inspirabilitate*, qua scilicet negatur *Processio* specialiter dicta, quae proinde communis Patri, & Filio, distinguit eos a Spiritu Sancto.

Postremo de *Improductione activa*, qua videlicet activa productio negatur, quae proinde propria est Spiritui Sancto distinguens eum a Patre & Filio.

Ad 1. dubium respondetur: *Processionem* generaliter dictam ideo notionibus non annumerari; quia non est aliquid secundum rem commune duobus, quo a tertio distinguantur, sed tantum secundum rationem; *Spirationem* autem activam secundum rem esse communem Patri & Filio. Cum qua responsione congruit solutio S. Thomae, qua dicit Filium, & Spiritum Sanctum non convenire in uno speciali modo existendi a Patre; sicut Pater, & Filius conveniunt in uno speciali modo producendi Spiritum Sanctum: id autem, quod est principium innotescendi, speciale aliquid esse oportere.

Ad 2. respondetur: *Innascibilitatem* non debere notionibus annumerari, nisi quatenus ad dignitatem pertineat ejus personae, quae ex ea innotescit. Ita *Innascibilitas* tribuitur Patri, in quantum a nullo alio existit. Unde intelligitur esse

principium sine principio. Non sic autem competit Spiritui Sancto, in quo tantum negat nativitatem.

Ad 3. dicendum: *Improcessibilitatem* secundum id, quod dignitatis in ea voce intelligi potest, contineri in notione una ex quinque supra dictis, scilicet in *Spiratione activa*. Quia enim Patri, & Filio competit spiratio, ideo negatur ab iis processio.

Ad postremum similis est responsio cum 2. Cum enim *Personae* nomen, ut ait S. Thomas, importet dignitatem, non potest accipi notio aliqua Spiritus Sancti, ex hoc, quod nulla Persona est ab ipso. Hoc enim non pertinet ad dignitatem ejus, sicut pertinet ad auctoritatem Patris, quod sit a nullo. Sic ille 1. p. q. 32. art. 3. Qua quidem in quaestione disputat ex professo de notionibus trium in Deo Personarum.)

§. III.

Quae secundum substantiam de Deo dicantur, & quibus relationibus Personae distinguantur.

S. Thom. 1. part. q. 13. art. 2.

EX eo quod Patres docent pleraque nomina de Deo, secundum Substantiam dici, non est putandum, alia quaedam esse, quae de Deo dicuntur secundum accidens; cum certissima Fide tenendum sit, nullum esse accidens in Deo; adeoque quidquid in Deo est, substantiam ejus esse. Sed ea secundum substantiam, de Deo praedicari dicuntur, quae id significant, quod tribus Personis commune est, quodque absolute de iisdem praedicatur. Siquidem essentia cujusque rei absoluta est. Unde Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 4. & 5. docet ea, quae secundum Substantiam de Deo dicuntur, iis non opponi, quae de Deo dicuntur secundum accidens, cum nihil tale sit, sed iis quae dicuntur ad aliquid. Haec enim cum significant oppositas relationes in Divinis, ex consequenti per-

sonas inter se distinguunt. S. Thom. 1. p. *qu. 40. art. 2. & qu. 28.* Omnis enim distinctio in Divinis, ut alibi ostensum est, non a Substantia, quae communis est peti debet, sed a relationibus oppositis. Hoc autem intellige de iis relationibus, quae in ipsa Trinitate complentur & non terminantur ad extra, quaeque reales sunt & non rationis tantum. Quae enim ad extra terminantur, tribus Personis communes sunt, & earum oppositae relationes in subjectis sunt creaturis. Cujusmodi sunt relationes his vocibus significatae, Creator, creatura; Dominus, servus. Quaecumque autem hujusmodi sunt relationes, scilicet ipsius Dei ad creaturas, non sunt realiter in Deo; tametsi relationes illis oppositae sint realiter in creaturis: quemadmodum docet S. Thom. 1. p. *q. 13. art. 7. & q. 28. art. 4.* Nonnullae vero relationes in ipsa quidem Trinitate complentur ac terminantur, ut quae significantur, his vocibus, Intelligens & Intellectum; Volens & Volitum; Amans & Amatam; item Aequalitas & Similitudo &c. Per has tamen non sumitur Personarum distinctio; quia simpliciter non sunt relationes reales, sed rationis tantum; sicut relatio ejusdem ad idem. Docet hoc S. Thomas *eadem qu. 28. art. 4. ad 1. & 4. & qu. 42. art. 1. ad 4.*

§. IV.

Multipliciter in Scriptura Filios Dei vocari.

S. Thom. 1. part. 1. q. 27. art. 2.

IN Sacris Literis *Filii* nomen varie accipitur, & ad multa extenditur.

Proprie Filius dicitur, qui via generationis proprie dictae ab alio ortum habet, id est, qui processit ab alio, ut principio vivente conjuncto, secundum rationem similitudinis. Quod quidem magis, & usitatius dicitur in natura rationali seu intellectuali, quam in ceteris viventibus. Convenit autem hoc propriissime Filio Dei, qui eandem numero naturam, quae est in Patre, per generationem a Patre accepit; ideoque &

Pa-

Patrem expressissime repraesentat. Proprie quidem etiam homines hominum filii dicuntur, propter naturae similitudinem generatione acceptam; minus tamen perfecte quam Filius Dei; quia nec eandem numero naturam, sed specie tantum illi a parentibus accipiunt; ac proinde nec iis per omnia similes existunt. Ab hac significatione Filii, cetera ejus vocabuli significata analogice deducta sunt. Quo fit, ut varias, ac multiplices ob causas etiam Filii Dei in Scripturis sint appellati. Qui nuncupationis modi, imperfectionis ordine, ita possunt enumerari.

Primo. Filii Dei dicti sunt propter creationem, ut Deuter. 32. *Nonne ipse est Pater tuus, qui fecit & creavit te?* Quod etiam ad alia creata extenditur, ut Job 38. *Quis est pluviae Pater, vel quis genuit stillas roris?*

Secundo. Filii Dei dicuntur Angeli & homines propter imaginem Dei ipsis in creatione impressam, etiam si ea per peccatum deformata sit. Unde Lucae 15. filius prodigus filii nomen non amisit. Item Exod. 4. cum dicit Dominus: *Filius meus primogenitus Israel*, significat & ceteros homines filios suos esse: sed Israelem beneficiorum privilegio, illis priorem. Quo & illud pertinet Isai. 1. *Filios enutrivit & exaltavit, ipsi autem spreverunt me.*

Tertio. Propter cultum veri Dei, ut Gen. 6. *Videntes filii Dei filias hominum.* Qua etiam ratione omnes fideles in oratione dominica dicunt non mendaciter: *Pater noster, qui es in Coelis.*

Quarto. Propter judiciariam potestatem, licet malis etiam hominibus attributam, ut Psal. 81. *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes.*

Quinto. Propter similitudinem Dei, quae in rectitudine mentis, id est, in Charitate, aliisque virtutibus consistit. Unde illud Matth. 5. *Ut sitis filii Patris vestri, qui in Coelis est.* Et: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Hinc etiam testatur Apostolus, nos in spiritu adoptionis filiorum clamare, *Abba pater, Rom. 8.* Et alius Apostolus 1. Joann. 3. *Charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Hac quoque ratione homines Sanctificati vocantur fratres uni-

ci filii Dei, scilicet adoptionis jure, juxta illud Psal. 21. & Hebr. 2. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.*

Sexto. Propter electionem ad vitam aeternam. Sic enim accipitur hoc nomen Joan. 12. cum dicitur: *Ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.*

Postremo. Ratione perfectae assimilationis cum Deo, quae nimirum est in Beatis. Unde Job 1. & 38. beati Angeli vocantur filii Dei. Et Luc. 20. de hominibus beatis sic dicitur: *Filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis.* Et Sap. 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Atque hic postremus modus inter eos, qui creaturis tribuuntur, summus est & perfectissimus; utpote ceteris proprius accedens ad ineffabilem modum, quo Unigenitus ille, qui est in sinu Patris, Filius Dei dicitur; cui soli proprium pertinet esse natura Filium Dei; & ita proprium, ut id aliis communicari sit impossibile. Et hoc significatum est Psal. 88. quando de iis, quibus haec postremi modi filiatio ceteris omnibus perfectior competit, dicitur: *Quis similis erit Deo in filiis Dei?*

Utrum autem idem Dei Filius, in quantum est homo, possit dici Filius Dei adoptivus; disputatur ex professo ad *Distinct. 10. lib. 3.*

Porro, qua ratione Deus dicitur hominum Pater, & homines Dei filii, eadem nihil vetat, Trinitatem & quamlibet in Trinitate Personam dici Patrem hominum, & homines illius filios; ut satis indicat Augustinus lib. 5. *de Trinit. cap. 11.* Quod ipsum (ex sententiis Scripturae jam adductis, necnon ex rationibus singulorum modorum hujus nuncupationis) facile probatur: si enim propter creationem homines vocantur filii Dei, creationis autem opus tribus Personis commune est; sequitur homines totius Trinitatis & uniuscujuslibet Personae filios hac ratione dici posse, & sic de ceteris modis. Unde & cum dicimus: *Pater noster, qui es in Coelis,* non solum in Deitate Patrem, sed totam Trinitatem alloquimur.

IN DISTINCT. VIGESIMAMSEPTIMAM.

§. I.

Filium esse, & Genitum esse, quo ordine se habeant.

S. Thom. 1. p. q. 40. art. 4.

PROPRIETATES personales ab Hilario positae *lib. 12. de Trin.* ubi dicit; semper Patri proprium esse, quod semper sit Pater; & semper Filio proprium esse, quod semper sit Filius (idemque de Spiritu Sancto intelligendum) ab iis proprietatibus, quas Fulgentius, quem Augustini titulo citat Magister *lib. de Fide ad Petrum cap. 1. & 2.* enumerat, videlicet genuisse, natum esse, & procedere, non alio differunt, quam quod proprietates a Fulgentio positae, magis nobis insinuant actus notionales, in quibus relationes fundantur; quae autem ab Hilario designatae sunt, relationes ipsas expressius significant. Proinde ad quaestionem quam §. E. movet Magister: *Utrum potius dicendum sit, genitus est quia Filius, an Filius est quia genitus?* Respondendum, quamvis re ipsa idem significetur his vocabulis, *Filius* & *genitus*: propter rationis tamen diversitatem, & ordinem apprehensionis nostrae, potius dicendum, quod sit Filius quia genitus, quam contra; quia ordine naturae prius mente concipimus actum aliquem, quam relationem ex eo actu consequentem, atque in eo fundatam. Est enim fundamentum ordine prius relatione in ipso fundata. Quare & similiter dicendum est, Patrem esse, quia genuit, & Spiritum Sanctum quia processit; si relationem in nomine Spiritus Sancti intelligas. Si vero in vocabulis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non tam relationes spectemus, quam Personas relationibus distinctas, non erit par trium ratio. Nam proprietates Filii & Spiritus Sancti prius intelliguntur origine, quam ipsae Personae; quia nativitas & processio intelliguntur tamquam via quaedam ut
Per-

Personae sint. Contra vero persona Patris prius intelligitur, quam proprietates ejus. Prius est enim ordine intellectus nostri, ut res sit, quam ut gignat, vel omnino agat aliquid. Atque his consentanea sunt, quae docet S. Thomas 1. p. q. 40. art. 4. tractans hanc quaestionem: *Utrum actus notionales praeintelligentur proprietatibus?*

Neque iis, quae dicta sunt, obstat, quod Augustinus dicit lib. 5. de Trin. cap. 7. ideo Filium esse, quia genitum, & rursus ideo genitum quia Filium, propterea quod idem utroque vocabulo significetur. Intelligit enim id reipsa, non autem ratione vel modo significandi. Et quia res eadem est, recte docet utrumque ex altero necessitate consequentiae colligi, quidquid sit de ordine intelligentiae nostrae, de quo ibi Augustinus non agit.

§. II.

Verbi appellatio in Divinis unde accepta.

S. Thom. 1. part. q. 34.

HAec vocabula *Genitor, Genitus, Verbum, Imago*, proprietates personales significant, non tamen diversas a supra dictis. Primum enim Paternitatem, reliqua tria Filiationem designant. Quoniam autem duo postrema, *Verbum & Imago*, non nihil habent difficultatis; paullo plenius erit de iis disserendum, ac prius de *Verbo*.

Verbi nomen compluribus Scripturae locis Filio Dei tribuitur, sed praeclarissime hoc initio Evangelii Joannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ac rursus: *Et Verbum caro factum est*, &c. Nec minus aperte idem Joannes *Verbi* nomen attribuit Filio Dei, dum 1. Ep. 5. in enumeratione Divinarum Personarum *Verbum* secundo loco posuit: *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant in Coelo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.* Et Apoc. 19. de Filio Dei, ita scripsit: *Vocatur nomen ejus, Verbum Dei.* Sumpta est autem haec appellatio a verbo humano,

ex cujus cognitione , velut manu ducendi sumus ad cognitionem illius secretissimi verbi Divini , quemadmodum nos docet August. lib. 15. *de Trin. cap. 10.* Disserit quidem etiam de hoc nomine Origenes *tom. 1. super Joan.* latissime ; non perinde tamen , ut Augustinus veram appellationis rationem ex analogia verbi humani sumptam assecutus videtur. Est igitur verbum humanum duplex , scilicet externum , & internum : externum , quod foris sonat ; internum , quod intus in mente reconditum rem aliquam repraesentat. Et principalius quidem est verbum internum , utpote causa externi ; sicut vicissim externum est signum interni , quia ut recte Philosophus docet lib. *de Interpr.* ea , quae in voce versantur , signa sunt earum conceptionum , quae sunt in anima. Quae quidem conceptiones sunt naturales quaedam rerum similitudines ; ideoque perfectiori ratione verba dicenda , quam quae ore proferuntur ; ut quae tantum ex hominum instituto habent , quod significant. Ad verbum internum pertinet , quod Scriptura cogitantes saepenumero vocat loquentes , seu dicentes , ut in Psalmis : *Dixit insipiens in corde suo , non est Deus.* Et Sap. 5. *Dicentes intra se , poenitentiam agentes ;* aliaque ejusmodi. Nemo enim profert aliquid voce ad manifestandum aliis , quod non sibimet ante locutus fuerit in corde. Unde & Logica disciplina magis a ratione , tamquam verbo mentis sic appellata merito creditur , quam a sermone exterius sonante , ut non sermocinalis , sed ratiocinalis scientia dicatur. Hoc igitur internum verbum quisquis potest intelligere , inquit August. *loco memor.* jam potest videre per hoc speculum , atque in hoc aenigmate aliquam Verbi illius similitudinem , de quo dictum est : *In principio erat Verbum , &c.* Idemque paullo post , verbi interni descriptionem indicans : *Formata ,* inquit , *cogitatio ab ea re , quam scimus , verbum est , quod in corde dicimus.*

S. III.

Quid Graece λόγος & quomodo Latine reddendum.

S. Thom. quaest. proxime citata.

Ubi cumque Scriptura Filium Dei *Verbum* vocat, Graece est λόγος. Sciendum autem hujus Graecae vocis significationem latius patere, quam *Verbi* apud Latinos. Significat enim & rationem, & definitionem, & supputationem, & alia multa; praecipuum tamen ejus significatum est *verbum* sive *sermo*. Ad hoc enim & cetera ejus significata facile reduci possunt. Propter hanc significationis ejus generalitatem putat Laëtantius lib. 4. *Div. Instit. cap. 9.* Graecos melius λόγοι dicere, quam nos *verbum*, sive *sermonem*. Et Hieron. in Epist. ad Paulinum, *quae est de omnibus Divinae Historiae lib. cap. 4.* post enumerata aliquot significata Graecae dictionis addit, ea universa recte intelligi in Christo. Porro vocem Graecam sunt, qui mallent *rationem* vertere, ut fatetur Philelphus vol. 2. *Epistolarum lib. 6. Epist. 1.* & alii quidam Recentiores; quomodo & Evodius Episcopus in quadam ad Augustinum Epistola, *quae inter Augustini Epistolas extat numero 246.*, libenter locutus fuisse invenitur; verum id minus recte; quia vocabulum Latinum, *ratio*, multo minus reddit generalitatem Graecae vocis, quam *Verbum*. Quocirca Augustin. *lib. 9. 83. q. 63.* simpliciter affirmat λόγοι rectius verti *verbum*, quam *rationem*. Jam vero non admodum refert, sive *verbum*, sive *sermonem* veritas, quandoquidem & ipse Interpres Vulgatus indifferenter utrumque vocabulum reddit diversis locis. Quod enim *Joan. 1.* & *1. Joan. 5.* & *Apocal. 19.* vertit *Verbum*; id aliis locis, quibus aequae Filius Dei a multis intelligitur, ut *Joan. 17.* *Hebr. 4.* *Sap. 18.* vertit *sermonem*. Veteres quoque pro *Verbo sermonem* frequenter dixerunt. Cyprianus enim lib. 2. *contra Judaeos cap. 3. & 5.* recitat hoc modo initium Evangelii secundum Joan. *In principio fuit sermo, & sermo fuit apud Deum, &c.* Hilarius autem lib. 2. & 12. *de Trin.* Et Ambros.

Rr 2

lib.

lib. de Fide contra Arianos cap. 2. Filium Dei nunc *Verbum*, nunc *Sermonem* vocant, quasi nullo inter haec duo discrimine. Hieronymus quoque super *Eph.* 1. Et Lactantius libr. 4. cap. 8. & 9. *Sermonis* vocabulo uti sunt. Denique Augustinus tract. 108. in *Joan.* ad illud: *Sermo tuus veritas est*, ita docet hanc utramque vocem ex Graeco reddi posse, ut neutram alteri praeferat. Non immerito tamen videtur quibusdam rectius verti *Verbum*, quam *sermonem*; propterea, quod *sermo* fere non unam dictionem significet, sed conflatam ex pluribus orationem: *Verbum* autem in una dictione plerumque intelligatur. Unde videtur verbi appellatio magis convenire illi simplicissimo Dei verbo, quam si *Sermo* vocetur. Quamquam omnino fatendum est significationem Graecae vocis *λογος*, Latina aliqua dictione, nec satis proprie exprimi, nec plene reddi posse.

§. IV.

In quibus consentiant Verbum Divinum & humanum.

S. Thom. 1. p. q. 34. art. 1.

UT ex verbo humano in notitiam Verbi Dei perducamur, consideranda sunt ea, in quibus haec duo inter se conveniunt. Appellatio enim unius ab altero propter similitudinem unius cum altero facta est.

Primum igitur in eo conveniant, quod sicut verbum nostrum procedit a mente: ita Filio Dei ex ratione Verbi competit, quod procedat ex Patre.

Secundo: quemadmodum verbum internum etsi a mente profectum, intime tamen in ipsa permanet, neque ab ipsa separari potest: ita Filius Dei procedens ex Patre, intimus in ipso permanet, nec omnino ab eo separabilis est.

Tertio: sicut mens nostra producit verbum suum absque ulla sua laesione, divisione, aut diminutione: ita Pater profert ex se Filium absque ulla passione, vel omnino quacumque sui mutatione.

Quarto : quemadmodum mentis nostrae verbum , quo seipsam intelligit , est mentis ipsius perfecta imago : sic Dei Filius est perfecta imago Patris.

Quinto : sicut mens in verbo suo tamquam in imagine videt non tantum seipsam , sed & res alias a se ; ita Pater in Filio tamquam in Verbo & imagine sua , non se solum , sed & res omnes creatas perfectissime intuetur.

Sexto : sicut verbum internum apud homines manifestatur per verbum externum : ita aeternum Dei verbum Patri intimum innotuit hominibus per creaturas tamquam Dei gloriam annuntiantes , *Psal.* 18. potissimum vero per voces Prophetarum ante Christi adventum , tamquam per externa quaedam ac sonantia Dei verba , & maxime per verbum humanitatis assumptae.

Septimo : sicut verbum internum externo verbo velut induitur ac vestitur , ut sensibile fiat audientibus : ita Verbum illud arcanum Patris humanam carnem , velut externum quoddam verbum induit , ut visibile appareret hominibus , perque illud secreta Divina hominibus innotescerent.

Postremo : quemadmodum architectus quisque per verbum mente conceptum , tamquam sui operis ideam opus ipsum foris efficit : ita Pater per Verbum suum tamquam ideam , omnem condidit creaturam , juxta illud *Joan.* 1. *Omnia per ipsum facta sunt* , & *Prov.* 8. *Cum eo eram cuncta componens*. Rationes jam enumeratas comparationis Verbi Dei cum verbo hominis accipere licet ex variis locis Patrum ; nam Basilius Homil. *super initium Evangelii secundum Joannem*. Gregorius Nazianz. lib. 4. *Theologiae*. Hieronymus initio expositionis *Psal.* 44. Augustinus lib. *de Fide & Symbolo* , super illud , & *in Filium ejus unicum* , &c. docent Filium Dei , *λογος* , seu Verbum dici , quod sit velut foetus , & conceptus quidam mentis paternae.

Praeter haec autem Nazianzenus etiam hac ratione docet Christum *λογος* vocari , quia definitio est ac demonstratio Patris , juxta illud *Joan.* 1. *Unigenitus Filius , qui est in sinu Patris , ipse enarravit*. Vocatur etiam ab Hieronymo in Epistola ad Paulinum *cap.* 4. *λογος* , id est , supputatio , qua nimirum

ex multis una summa colligitur ; tum quia in Christo sunt omnes thesauri sapientiae & scientiae Dei absconditi *Coloss. 2.* tum quia , ut ipse Hieronymus exponit super *Eph. 1.* in Christo omnia recapitulantur , & velut in summam rediguntur vaticinia Prophetarum.

Quod autem Filius Dei sit verbum Patris practicum seu operatorium , qualis est idea in mente artificis , docet Augustinus *q. 63. inter 83.* & lib. *contra Sermones Arianorum cap. 3.* & ante eum Tertullianus in *Apologetico adversus Gentes cap. 21.* Peculiariter autem Filius Dei incarnatus verbum est operatorium , quatenus per ejus operantem in nobis gratiam fiunt a nobis omnia bona opera ad pietatem , & salutem spectantia, sicut ipse ad suos dixit, *Joan. 15. Sine me nihil potestis facere.*

§. V.

In quibus discrepet Verbum Divinum ab humano.

S. Thom. 1. part. qu. 34.

QUAMVIS in multis conveniat Verbum Divinum cum humano , discrepat tamen e converso in nonnullis. Neque enim fieri potest , ut rei Divinae aliquid in rebus creatis per omnia simile reperiatur. Est autem haec dissimilitudo idcirco notanda , ut remotis a Verbo Dei iis in quibus verbum humanum ob sui imperfectionem illi dissimile est , certius a nobis ejusdem Verbi Divini perfectio & praestantia percipiatur.

Prima igitur dissimilitudo est , quod verbum hominis sit accidens, etiam ipsius mentis respectu, & proinde res admodum imperfecta inter ipsas etiam creaturas. Verbum autem Dei sit ipsa Dei essentia , quae Patri est cum Filio communis.

Secunda. Quod verbum hominis non sit menti coaevum, sed modo in mente oriatur atque existat , modo occidat & evanescat ; Verbum autem Dei sit Patri coaeternum.

Tertia. Quod mens humana ad res varias tum concipiendas tum efficiendas , variis ac multiplicibus , & interdum

com-

compositis verbis egeat ; eo quod unica animi notio non possit plura , ac multo minus omnia repraesentare. Mens autem Divina uno eoque simplicissimo Verbo cuncta intelligat atque operetur.

Postrema. Quod humanum verbum etsi sit foetus quidam mentis , filii tamen rationem non attingat , nec ejusdem sit cum mente substantiae , nec omne ejusmodi sit , ut ipsius mentis imaginem referat. Quae tria plane competunt in Verbum Divinum respectu Patris.

§. VI.

Multiplex Verbi Divini respectus ad creaturas.

S. Thom. 1. part. q. 34. art. 3.

EX supra dictis perspicuum est in ratione Verbi , ut in Divinis dicitur , duplicem respectum contineri , alterum ad Patrem , alterum ad creaturas. Ad Patrem quidem ; quia Patris Verbum est , utpote ab eo procedens , ipsumque , ut propria ejus imago repraesentans. Ad creaturas autem multiplici ratione.

Primo enim , quatenus *speculativum* Verbum est , significat facultatem , sive officium manifestandi nobis Patrem , resque Divinas.

Secundo , quatenus *operatorium* est , significat facultatem efficiendi , & conservandi omnia Dei opera.

Tertio , quatenus *activum* est , id est , actionum humanarum principium , continetur in eo potestas praecipienda , & implendi in nobis , quod praeceptum est.

Postremo , quatenus est Verbum Dei *internum* , significat ordinem quemdam ad omnia verba Dei externa , quae sint opera ab ipso facta , tamquam ab interno Verbo profecta & probata , inter quae praestantissimum est Incarnatio Filii Dei. Per hanc enim Verbum illud internum atque invisibile , quasi ore Divino prolatum , externum atque visibile factum est. Cum autem nullus horum respectuum nomine Filii signifi-

ficetur (tantum enim ad Patrem Filius refertur) facile ex his apparet , quantum inter haec duo nomina , scilicet Verbi & Filii sit discriminis.

§. VII.

Nomen , ac proprietatem Verbi soli Filio competere.

S. Thom. 1. part. quaest. 34. art. 1. & 2.

Verbi nomen ita Filio Dei proprium esse , ut nec Patri, nec Spiritui Sancto sit commune , manifestum in primis est ex iis , quae Joannes Apostolus Verbi Divini singularis prece scripsit , tum in Evangelii sui initio dicens : *In principio erat Verbum* , &c. Et post , *Et Verbum caro factum est* ; tum initio primae Epistolae : *Quod vidimus oculis nostris de Verbo vitae*. Ac rursus cap. 5. *Tres sunt , qui testimonium dant in Coelo , Pater , Verbum , & Spiritus Sanctus* ; tum denique Apoc. 19. *Et vocatur nomen ejus , Verbum Dei*. Deinde vero , si Patrum doctrinam consulamus , non dubium est Verbi nomen ab eis attributum soli Filio , eosque plane negare in aliis Personis esse commune. Sic enim docent August. lib. 5. *de Trin. cap. 13. lib. 6. cap. 2. & lib. 7. cap. 1. 2. & 3.* Cyril. toto 7. lib. *Thes. scripto cont. Eunom.* Et lib. 1. in *Joann. cap. 4.* ubi contra eundem Haereticum disserit : Damascenus lib. 1. *de Fide cap. 18.* Et quicumque loca Scripturae superius allegata sunt interpretati , Verbi nomen acceperunt , ut Filio proprium. Potest id quoque rationibus probari sumptis ex convenientia , quae est inter Filium Dei , quatenus est Verbum Patris , & verbum mentis nostrae.

Primo enim : ut Verbum a mente , ita Filius procedit a Patre ; non ergo Pater ipse Verbum est , quia nec mens , a qua Verbum procedit , Verbum est.

Secundo : sicut Verbum a sola mente , ita Filius procedit a solo Patre ; non ergo Spiritus Sanctus Verbum est , qui non a solo Patre procedit.

Tertio : ut Verbum proxime & immediate procedit a men-

mente, ita Filius a Patre; atqui Spiritus Sanctus procedit a Patre per Filium, sicut amor a mente per Verbum: ergo Spiritus Sanctus non est Verbum.

Quarto: sicut Verbum per modum conceptus, seu foetus a mente procedit, (hinc enim fit, ut cogitationes vocentur animorum nostrorum conceptiones, & quae a nobis excogitata sunt, foetus ac partus nostros vocare soleamus) ita Filius procedit a Patre, juxta illud, quod dicit Sapientia Divina, Prov. 8. *Et ego jam concepta eram.* Constat autem hunc processionis modum non competere Spiritui Sancto.

Postremo: sicut inest verbo nostro interno naturalis quaedam aptitudo, sive instinctus manifestandi seipsum per verbum externum: ita ordinatissimo Dei consilio decretum est, ut inter Divinas Personas solus Dei Filius, tamquam internum & invisibile Dei Verbum per assumptam carnem fieret verbum externum & visibile, & ita seipsum hominibus manifestaret. Ex cujus Persona jam olim dictum fuisse recte intelligitur illud Prov. 8. *Deliciae meae esse cum filiis hominum.* Huc denique pertinent ea, quae ad Dist. 13. de duplici emanatione mentali, altera verbi, altera amoris, dicta sunt ad explicandum discrimen generationis Filii Dei, & processionis Spiritus Sancti.

§. VIII.

Ad quaedam in contrarium argumenta.

S. Thom. loco citato.

Contra Catholicam doctrinam, quae Verbi nomen soli Filio tribuit, extant apud Cyrillum lib. 7. *Thes. & lib. 1. in Joan. cap. 4.* objectiones quaedam Eunomii Ariani, quarum prima haec est.

Si Filius ejusdem est substantiae cum Patre, & Filius Verbum est, erit & Pater Verbum. Respondet Cyrillus Verbi nomine, sicut & Filii, non substantiam, sed personalem proprietatem significari. Poteratque idem argumentum aequae de nomine Filii proponi.

Secunda : Scriptura testatur Patrem Filio locutum esse, ut Psal. 2. *Dominus dixit ad me : Filius meus es tu.* Et 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* Hoc autem dixit verbo aliquo, nec tamen eo Verbo, cui loquebatur. Est ergo praeter Filium adhuc aliud Verbum Deo insitum. *Respondet* Cyrillus Patrem ad Filium loqui non humano more, sed modo quodam ineffabili; quo fit, ut ab aeterno plene ac perfecte, & naturaliter cognita sit Filio Dei voluntas Patris, ut verbo sonante & significante, tamquam inter Patrem & Filium medió non sit opus. Itaque Patrem Filio loqui, non aliud est in illa aeternitate, quam Patrem de se Filium procreare; quatenus scilicet Filius a Patre procedit per modum Verbi procedentis a mente.

Tertia : multis aliis rebus Verbi nomen tribuitur, ut verbo, tam interno quam externo hominis : non ergo proprium est Filio Dei. *Respondet* idem Cyrillus pari ratione concludi posse, nec Dei nomen Deo, nec Patris nomen Patri, nec Filii Filio proprium esse, quod & ista creaturis suo modo competant. Proinde dicendum, sicut ista vel secundum naturam ut Deus, vel secundum personalem proprietatem, ut Pater & Filius proprie & perfectissime sunt in Deo; abusive autem vel imperfecte in creaturis : ita Verbi nomine in Divinis significari proprietatem Filii, qua a Patre & Spiritu Sancto distinguitur; licet in creaturis significet aliquid huic proprietati simile, & quadam analogia respondens.

Praeter haec Eunomii argumenta sunt nonnulla Patrum loca, quae Verbi nomen aliis Personis commune facere videntur.

Primus locus est apud Dionysium Areopag. *lib. de Divin. Nom. cap. 7.* ubi Deum propterea dicit esse *λογος*, quod sit Sapientiae largitor; quae expositio in omnes Personas convenit. Adde quod idem Dionysius *cap. 1. ejusdem libri*, eandem vocem inter essentialia Dei nomina recenset.

Secundus est apud Origenem, qui scribens super illud Jo. 1. *In principio erat Verbum*, affirmat Verbum metaphorice dici in Divinis. Quae autem metaphorice de Deo dicuntur, non sunt personalia, sed essentialia.

Ter-

Tertius apud Basilium lib. 5. *contra Eunomium*, ubi etiam Spiritum Sanctum Verbum vocat, allegato ad id testimonio Scripturae *Hebr.* 1. ubi dicitur Filius portare omnia verbo virtutis suae; & *Eph.* 6. ubi dicitur: *Gladium spiritus quod est verbum Dei.*

Quartus est apud Hieron. super *Eph.* 1. ad illud, *Pater Gloriam*, ubi sermo, seu Verbum, ut essenziale nomen ab eo ponitur.

Quintus apud Anselmum, qui in *Monologio cap.* 58. dicit; quod sicut Pater est intelligens, & Filius, & Spiritus Sanctus: ita Pater est dicens, & Filius, & Spiritus Sanctus, & similiter quilibet eorum dicitur. Quod autem dicitur, Verbum est: ergo quilibet eorum Verbum est.

Verum ad haec respondemus, & quidem ad Dionysii verba respondet S. Thomas in *eius loci Commentario*: Dionysium usurpasse Verbum tamquam essenziale nomen eo dumtaxat loco, idque non habito respectu ad verba Joannis Apostoli, sed diversa quadam significatione. Nam & inter alia dicit, λέγει esse sedem Fidei, id est, veritatis Divinae, in his quae Deus dicit aut promittit, juxta illud Psalmi: *Fidelis Dominus in verbis suis.* Simile quid Hieronymus quoque spectasse videtur in vocabulo sermonis. Nec tamen dubium, quin uterque alibi agnoverit propriam Verbi in Divinis significationem. Nam Dionysius *cap.* 2. *ejusdem libri*, scribit solum Verbum assumpsisse carnem. Quod certum est de solo Filio intelligi: de Hieronymi autem sententia satis constat ex Epistola ejus ad Paulinum, *supra semel*, & iterum citata. Origenis auctoritatem rejicit S. Thomas 1. p. qu. 34. art. 1. ad 1. eo quod, ut ait, *Arianorum fons Origenes fuisse invenitur.* Quamquam potest etiam responderi; nihil obstare, quo minus ad significandum aliquid personale in Divinis utamur vocabulo translatio ex creaturis; quod tamen in hac dictione, *Verbum*, non est concedendum, nihilo sane magis, quam in vocabulo *Filii*. Nisi quis dicat omne illud metaphoricè dici in Deo, quod nobis notius dicitur in creaturis. Sed illa est valde impropria metaphorae acceptio. Et ita similiter dicendum esset, *Filium* & *Patrem* in Divinis metaphoricè dici; quod profecto non est admittendum.

Quod ad verba Basilii attinet, loca Scripturae ab eo producta non habent Graece λέγεις, sed φημι: Quod Graecum vocabulum non legimus in Scripturis proprie attributum Filio Dei. Et priori quidem loco Verbum significat nutum, & imperium: posteriori autem verbum Evangelicum. Neque posterioris loci sensus est, ipsum Spiritum esse verbum Dei, sed gladium spiritus esse verbum Dei; tametsi etiam apud Graecos constructio esse potest ambigua. Ceterum ipse Basilius in nomine verbi eo loco non aliud consideravit, quam quod procedat quocumque modo ab intelligente. Qua ratione nihil vetaret hoc nomen Spiritui Sancto tribui respectu Filii; quia nimirum procedit a Filio, & per eum Filius operatur. Sed Apostolus Joannes, in nomine Verbi, plus aliquid considerandum nobis reliquit, ut ex supra dictis satis jam patet. Quod & idem Basilius alibi agnoscit: nam in Homil. *super initium Evangelii secundum Joannem*, docet nomine Verbi generationem Filii significatam esse.

De Anselmo denique respondet Sanctus Thomas, *ubi sup. ad 3.* eum improprie usurpasse, *dicere* pro *intelligere*, cum *dicere* proprie sumptum plus aliquid importet. Est enim *dicere* idem, quod proferre verbum; cum *intelligere* importet solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam. Quae cum ita sint, perspicuum est falli Durandum super hac Distinctione docentem; quod Verbum secundum propriam significationem in Divinis essentialiter dicitur, non personaliter. Rationes ejus, quibus nititur, sunt eadem fere cum argumentis, quae Sanctus Thomas adducit, & solvit locis supra indicatis.

Praeterea vero hujusmodi facit argumentum: Amor in Divinis proprie dicitur essentialiter, & per appropriationem personaliter; ergo & Verbum; quia sicut Filius procedit per modum intellectus, ut Verbum; ita Spiritus Sanctus per modum voluntatis, ut Amor. Verum neganda est consequentia. Non enim est utriusque eadem ratio; quia non suppetit nobis unum nomen proprium ad significandum, quod procedit per voluntatem, & aliud quo significetur actus voluntatis, sed nomen amoris ad utrumque commune est. Suppetunt au-

tem nomina ad distincte significandum terminum productam per intellectionem, ut Verbum, imago, quae non significant ipsam intellectionem. De qua re videatur etiam S. Thom. super hac Dist. q. 2. art. 1. ad 2.

§. IX.

Filium Dei eumque solum esse imaginem Patris.

S. Thom. 1. part. qu. 35. art. 1. ad 2.

Nomen *Imaginis* respectu Dei vel Patris, in Divinis soli Filio Dei tribuant Sacrae Literae; tametsi minori distinctionis evidentia, quam nomen *Verbi*; loca sunt *Sap. 7.* ubi sapientia Dei vocatur imago bonitatis Divinae: *2. Cor. 4. & Col. 1.* ubi Christus vocatur imago Dei: Et *Hebr. 1.* ubi idem vocatur character, id est, expressa figura substantiae Dei.

His Scripturae testimoniis nitentes Hilarius & Augustin. pronunciare non dubitarunt, solum Filium in Divinis esse *Imaginem Dei*, scilicet Patris, non etiam Spiritum Sanctum imaginem Patris aut Filii. Hilarius quidem sub fine lib. 8. de *Trin.* Augustin. autem lib. 6. de *Trin. cap. 2. & lib. 7. cap. 1.* Quin etiam Ambrosius lib. 10. in *Luc.* ad illud: *Facta est contentio* dicit solum Christum esse plenam imaginem Dei, propter expressam in se paternae claritudinis unitatem. *Justus autem homo*, inquit, *ad imaginem Dei est.* Et quamvis dici possit, quod ibi tantum distinguat inter Christum & alios homines justos; tamen potest etiam sic accipi exclusiva dictio, ut alias Personas Divinas excludat.

Potest haec doctrina confirmari ex propria ratione imaginis. Imago enim est similitudo, non quaecumque, sed ex eo, cujus imago dicitur, expressa; quemadmodum *ad Dist. 13.* ostendimus. Respondent enim sibi invicem relative *imago*, & *exemplar*; proinde non quaecumque sibi mutuo sunt multum similia, ut ovum ovo, sunt ejusmodi, ut alterum sit imago alterius. Non enim in his omnibus, verbi gratia, in ovis, alterum

rum de altero expressam gerit figuram ; sed quod ex re ob-
jecta resultat in speculo , & similitudo sigilli cerae impressa,
& alia hujusmodi proprie imagines dicuntur. Hanc imaginis
rationem luculenter exponit Augustinus lib. de Genes. ad lit.
imperfecto , cap. 16. & lib. 83. qu. 9. 74. Et Hilarius libro
contra Constantium , & libr. de Synodis , *non procul ab initio*.
Et Ambrosius verbis supra dictis.

Pro pleniori autem intellectu hujus doctrinae notanda est
una & altera divisio imaginis. Nam imaginum aliae fiunt ar-
te , velut quas pictor , aut sculptor facit ; aliae natura con-
stant ; quomodo inter homines hominis imago est filius. Sic
Adam *Genes. 5.* dicitur , genuisse filium ad imaginem suam.
Porro naturalis imago aut imperfecta est , aut perfecta. Ne-
que enim omnis imago adaequat suum exemplar ; quemad-
modum docet Augustinus quaestione paullo ante citata. Con-
ducunt hae divisiones ad hoc , ut intelligamus excellentissi-
mam perfectionem imaginis in Divinis ; utpote quae non ar-
tificialis est , sed naturalis ; eademque nulla dissimilitudine
a suo exemplari diversa , sed ei per omnia exactissime res-
pondens.

His igitur praemissis , atque eo insuper constituto tam-
quam per se manifesto , quod Pater in Divinis non sit ima-
go , quia non est ab alio ; solum Filium in Divinis imagi-
nem esse , ita doceri potest.

Primo : quia inter homines solus filius est imago natu-
ralis Patris.

Secundo : quia in his , quae a mente procedunt , non a-
mor , sed Verbum est naturalis imago.

Tertio : quia solus Filius procedit per modum assimi-
lationis , qui procedendi modus imagini proprius est.

Quarto : quia solus Filius assumpsit naturam humanam ,
in qua tum miraculis , tum doctrina declaraverit , & se &
Patrem suum esse Deum , & per eandem naturam assump-
tam in se , tamquam in imagine Patrem suum hominibus ex-
hibuit quodammodo conspiciendum , juxta illud Joan. 14. *Qui*
videt me , videt & Patrem meum. Hanc rationem spectavit A-
postolus 2. *Cor. 4.* & *Col. 1.* prout hunc locum intellexit Hi-
la-

Iarius lib. 8. *de Trin.* docens, in Christo, tamquam in imagine videri Patrem, tametsi invisibilem; quia Christus opera Patris facit. Hinc quoque colligere licet, nomine imaginis apud Apostolum non tantum significari respectum ad exemplar, id est, ad Patrem; verum etiam ad eos, qui imaginem intueri possunt, id est, ad rationalem creaturam, quae in Christo, tamquam imagine oculis suis objecta, Patrem cognoscat.

Quod autem etiam homini *Gen. 1.* & peculiariter viro *1. Cor. 11.* tribuitur esse imaginem Dei, id secundum analogiam accipiendum est; tum propter mentem, qua homo maxime Deo similis existit; tum propter principatum, quem ad instar principatus Divini vir habet in mulierem, & homo in reliquas corporeas creaturas. De qua re plenius agendum ad *Distinct. 16. lib. 2.*

§. X.

Quae fuerit Graecorum de imagine sententia.

S. Thom. 1. part. qu. 35. & 93. art. 9.

GRaeci Scriptores de imagine in Divinis non ita accurate locuti sunt, ut Latini. Faciunt enim commune imaginis nomen etiam Spiritui Sancto; ut Athanasius in *Epist. 2. ad Serapionem de Spiritu Sancto*, *Tract. quodam de Spiritu Sancto*. Basilius lib. 5. *contra Eunom.* Gregorius Neocaesariensis, alias *Thaumaturgus in Confessione Fidei*, quae habetur in eius vita apud Gregorium Nyssenum, ejus & meminit Eusebius Caesariensis lib. 7. *Histor. cap. 25.* Quibus quidem locis illi Patres docent, Spiritum Sanctum non solum Patris, verum etiam Filii imaginem esse. Hos sequuntur Cyrillus lib. 13. *Theol. cap. 1.* Et Joan. Damascen. lib. 1. *de Fide cap. 18.* Hi omnes in nomine imaginis non aliud spectarunt, quam processionem ejus ab exemplari, ejusque cum suo exemplari perfectam similitudinem; quorum utrumque convenit Spiritui Sancto respectu Patris, & Filii. Nam & procedit ab utroque, & utri-
que

que perfecte similis est ; atque haec sic ab iis disputata fuere propter eos , qui Spiritum Sanctum a Divinis submovere conati sunt. Ceterum plenam imaginis rationem supra a nobis explicatam , quam Paulus , Hilarius , & Augustinus prae oculis habuerunt , non considerarunt. Adducunt illi quidem pro se duo testimonia Scripturae , ut probent Spiritum Sanctum esse Dei imaginem , quorum alterum est , Roman. 8. *Quos praescivit , & praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Alterum 1. Cor. 15. *Sicut portavimus imaginem terreni , portemus & imaginem coelestis.* At iis locis imaginis nomen non Spiritui Sancto attribuitur , sed hominibus. Nam priori loco transitiva quadam locutione significatur , praedestinos ita conformari Filio Dei , ut ipsius fiant veluti imago quaedam. Posteriori vero hortatur Apostolus , ut qui vitae conversatione fuerunt imago terreni hominis , sic vitam instituant , ut in ea expriment imaginem hominis coelestis , id est , Christi. Denique sciendum , Patres tam Graecos , quam Latinos , interdum imaginis nomen in Divinis accipere , ut est tribus Personis commune , velut cum dicunt , totam Trinitatem esse imaginem ad quam conditus sit homo ; juxta illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Probat hoc Magister in fine Distinctionis proxime sequentis , ex Hilario lib. 5. *de Trinit.* & Augustino , seu potius Fulgentio *de Fide ad Petr. cap. 1.* Similiter loquitur idem Hilarius lib. 1. 3. & 4. *de Trin.* Basilii Homil. 10. *Hexam.* Chrysost. Homil. 8. *in Gen.* Augustinus lib. 7. *de Trin. cap. 6.* & lib. 12. *cap. 6. lib. de Gen. imperfecto cap. 16.* & lib. 3. *de Gen. ad lit. cap. 19.* & alii , qui omnes Scripturam Gen. 1. sic intellexerunt , quasi Deus dicatur imago , ad quam fieret homo. Verum fortasse rectius ea sententia significatum intelligitur , hominem esse imaginem Dei ; sicut aperte dictum est ab Apostolo 1. Cor. 11. scilicet ad locum Gen. 1. respiciente : *Vir imago & gloria Dei est.* Sed de hoc etiam ex professo *ad Dist. 16. lib. 2.* Quod si tamen cum memoratis Auctoribus ipsam Trinitatem intelligas , eo loco imaginem dici , scias imaginem positam pro correlativo suo , quod est *exemplar.* Est enim Deus *exemplar* , juxta quod facti sunt homines & Angeli. Nec tamen *imago* hac significatione

proprie nomen essentialia erit in Divinis, sed significabit respectum ad creaturam, velut haec nomina, *Creator, Dominus.*

IN DISTINCT. VIGESIMOCTAVAM.

§. I.

Ingeniti nomen quare soli Patri attributum?

S. Thom. 1. part. q. 33. art. 4.

Solum Patrem esse ingenitum, supra ostendimus *ad Dist. 13.* Quamvis enim verum sit, Spiritum Sanctum non esse genitum, atque adeo esse non genitum: quod ex contradicentium lege consequens est; noluerunt tamen Patres eum fateri esse ingenitum. Cujus hanc reddere possumus rationem. Quoniam enim in rebus creatis nulla est naturalis unius ex altero processio, nisi nativitas, fit, ut negata nativitate tollatur omnis processio naturalis. Unde factum, ut in rebus Divinis, quibus necessario tribuimus vocabula ab humanis rebus tamquam notioribus accepta, ingenitum dicatur, non solum quod nativitate non procedit ab altero, sed quod non procedit omnino. Hoc autem in Divinis soli Patri convenit. Est ergo ingenitum, sive innascibile, ut Sanctus Hilarius passim loquitur; sive innatum, ut Prudentius in Apotheosi *contra Patripassianos*; sive esse sine principio, ut Basiliius lib. *contra Eunom.* notio, & proprietates Patris, ut dictum est ad superiorem Distinctionem. Nam & Hilarius lib. *12. de Trinit. sub fin.* solum Patrem esse dicit innascibilem. Et lib. *4. non procul a fine*, innascibilitatem vocat Patris proprietatem. Esse autem hanc Patris notionem diversam ab ea, qua dicitur Pater, diserte docet Augustinus lib. *5. de Trinit. cap. 6.* & verbis in textu a Magistro recitatis. Quod & ratione confirmatur. Consistit enim ratio paternitatis absque ratione ingeni, & contra: ut clare probat eodem loco Augustinus. Nam qui apud nos patres sunt, etiam ipsi geniti sunt ex suis paren-

tibus ; & si in Divinis non esset Trinitas personarum , esset Deus ingenuus , non autem Pater.

Sed objicies eundem Augustinum ibidem *cap. 6.* ita scribentem : *Cum ingenuus dicitur Pater , non quid sit , sed quid non sit , dicitur.* Et *cap. 7.* *Si dicatur non genitus , pro eo quod dicitur ingenuus , nihil aliud dicitur.* Et infra : *Ingenitus , quid est nisi non genitus ?* Cum ergo Spiritus Sanctus sit non genitus , consequens videri , eum ex Augustini sententia ingenuum esse. Respondetur : Augustino quidem , non aliud esse *Ingenitum* , quam *non genitum* ; sed cum dicit *non genitum* , eo complexo vocabulo , non solum remouet nativitatem , sed omnem naturalem processionem secundum ea , quae jam dicta sunt. Hoc igitur sensu , non est concedendum Spiritum Sanctum esse *non genitum*.

§. II.

Utrum nomen ingenui substantiam , an relationem significet ?

S. Thom. 1. part. q. 33. art. 4. ad 3.

EX nomine *ingenui* Catholicis insidiabantur olim Ariani , destruere conantes Divinitatem Filii Dei. Et hanc ob causam Catholici aliquando sibi abstinendum duxerunt ab hoc nomine , ut Basilius lib. 1. *contra Eunomium* , ubi tamen etsi fateatur appellationem *ingenui* summopere congruere cogitationibus nostris : quoniam tamen in Scriptura nusquam exstaret , essetque primum , ut ait , blasphemiae Arianorum elementum , silentio praetermittendum censet. Nec dissimilia sunt , quae leguntur apud Ambrosium lib. *de Incarn. Dom. Sacramento cap. 8.*

Porro argumentum Arianorum ex hac voce petatum tale erat : Pater est ingenuus , atque hoc significat ejus substantiam. Filius autem non est ingenuus. Non ergo Filius ejusdem substantiae cum Patre. Substantiam ea voce significari probabant , quia est nomen absolutum , non relativum. Neque

que enim Pater sub nomine ingeniti ad aliam refertur personam. Huic argumento ita respondet Augustinus lib. 5. *de Trinit. cap. 7.* ubi negat ingenitum significare substantiam, cum sit nomen negativum, quo nec substantia significetur, nec proprie relatio, sed relationis negatio; sicut e diverso vox ista, non homo, neque relationem significat, neque substantiam, sed substantiae negationem. Cum autem negationes reduci soleant ad praedicamenta affirmationum oppositarum; hac sane ratione non absurde quis concesserit vocabulum illud esse relativum, nimirum reductione quadam, id quod pluribus verbis eodem loco docet Augustinus. Quamvis igitur ad aliam personam hoc nomen non referatur, remouet tamen a Patre relationes aliis Personis competentes, videlicet geniti & procedentis. Eadem fere responsio est aliorum Patrum, ut Basilii lib. 2. *contra Eunomium*, sollicitè distinguentis inter ingenitum & aeternum, Ambrosii *de Incarn. Dom. Sacramento cap. 9.* Epiphanii *Haeresi 76. quae est Aetii*, & Cyrilli *toto 1. lib. Thesauri*, itemque lib. 11.

§. III.

An Divina Natura dici possit ingenita?

S. Thom. ibidem.

Quaeri solet hoc loco; utrum Divinam Naturam ingenitam dicere liceat? Sic enim videri potest ex eo, quia Divina Natura simpliciter non est ab alio, nec generationis ac processionis modo.

Respondemus: Ingenitum, prout est proprietas distinctiva Personarum, primo & per se competere Patri, non autem Divinae Essentiae, nisi ut est in Patre. Significat enim negationem ejus, quod aliis competit Personis, ideoque non essentiae, sed personae primo inest.

Deinde si essentiae tribueretur secundum se, & non ratione personae, commune esset tribus Personis, quod manifeste falsum est.

Postremo ut dictum est ad *Distinct.* 5. Essentia Divina nec genita est, nec procedens; ergo ingenita est. Recte enim sequitur Patrem ingenitum esse; quia nec genitus est, nec procedit. Verum, ut diximus, tribuitur hoc essentiae ratione personae Patris. Ceterum si ingenitum intelligatur id, quod originem non habet ab aliquo, quod sit externae atque alterius naturae, hoc modo per se & primo competit Naturae Divinae, & hujus ratione tribus Personis. Sic autem ingenitum aliquando apud Veteres accipi, supra admonuimus ad *Distinct.* 13.

Jam si quaeras, cur non sequatur Filius genitus est, ergo essentia genita est; sicut sequitur Pater ingenitus est, ergo essentia ingenita. *Respondetur*: Ingenitum non significare actum notionalem sicut genitum, sed ejusmodi actus, vel actuum negationem, quam nihil prohibet essentiae tribui. Immo si actus non competit essentiae, jam sequitur necessario a contradicentibus argumento, competere ei negationem actus.

§. IV.

An Filio, & Spiritui Sancto aliqua comperat negativa notio?

S. Thom. ubi supra.

QUaeritur etiam, utrum sicut *innascibilis* est notio Patris, sic & Filii sit aliqua notio negativa, ut *improcessibile*, quatenus neget processionem specialiter dictam. Item Spiritus Sancti, ut *ingenitum*, sive *innascibile*, quatenus praecise neget generationem sive nativitatem, & *improductivum* ex eo, quod nullam Personam producat.

Huic quaestioni ex parte satisfactum est supra ad *Dist.* 26. ubi ostendimus, hujusmodi negationes non esse notionibus personalibus annumerandas. Idque praecipue hac ratione; quia per eas nulla dignitas personarum quibus tribuuntur, innotescit; sicut per *innascibilitatem* innotescit ea dignitas Patris, qua sic est, ut non sit ab alio, id est, principium sine prin-

principio. Solent autem prima principia definiiri, & notificari per negationes. Primum enim dicimus, quo nihil est prius, & ita in aliis. Item per hoc, quod unus ponitur innascibilis, significatur unitas in Divina Natura, quemadmodum annotavit Hilarius in lib. *de Synodis*. Unde & in Symbolo Constant. confitemur, nos credere in unum Deum Patrem; ideoque & unitas Patri appropriatur, ut infra patebit *ad Dist. 31*. Quod si autem duo innascibiles essent, duo Dii ponerentur. Cum enim origine alterius ex altero distingui non possent (qua sola ratione Personae Divinae distinguuntur) necesse esset, eos differre natura.

Praeterea sciendum, Patri innascibilitatis proprietatem tribui, non tantum ad distinctionem aliarum Personarum, quibus paternitas in Divinis non competit; sed etiam ad distinctionem hominum, qui patres quidem sunt, non tamen ingeni; geniti enim sunt ex aliis hominibus, aut certe producti immediate a Deo, ut primi homines. At vero ut Filio & Spiritui Sancto similes negativae proprietates tribuantur, nulla neque dignitatis ipsarum personarum, neque distinctionis hujusmodi significandae necessitas exigit.

IN DISIINCT. VIGESIMAMNONAM.

§. I.

Principii nomen Deo attributum, quid significet.

S. Thom. 1. part. q. 33. art. 1. & 4.

Nomine *principii*, ut Deo vel Personis Divinis attribuitur, duplex significari potest relatio, scilicet interna & externa. Est autem in genere *principium*, omne id a quo, vel ex quo aliud quocumque modo producitur. *Interna relatio est*, quae non terminatur in aliquid diversum, sed in id, quod in eadem natura continetur, ut est relatio personae ad personam. Hoc igitur modo, Pater principium est Filii, necnon Pater & Filius unum sunt principium Spiritus Sancti, ut ostensum

est

est 12. *Dist.* At Spiritus Sanctus hoc modo principium dici non potest, quia non producit aliam personam.

Porro vicissim quoque fatendum est, juxta hunc relationis modum Filium esse a principio & habere principium. Sic enim Patres loquuntur, & nominatim August. lib. 5. *de Trinit. cap. 14.* Estque eadem prorsus ratio de Spiritu Sancto. Nec ab hoc sermone deterrere nos debet, quod docet Hilarius lib. 4. *de Trin.* Filium esse absque initio; tametsi ex eo Magister colligat haud recte, non esse concedendum hunc sermonem, quod Filius habeat principium. Id enim dixit Hilarius de principio durationis. Quo sensu etiam in magno Lateranensi Concilio definitum est *cap. 1.* Filium ex Patre, & Spiritum Sanctum ex utroque procedere absque initio semper & sine. Sicut enim finis, ita & initium a processione Filii, & Spiritus Sancti removetur, durationis videlicet; nam Patrem Filii principium esse productivum, nullam dubitationem habet. Quod si ita est, habet autem Filius Patrem, habet igitur principium productivum; quae consequentia evidens est ac necessaria.

Externa vero relatio est, quae tendit in rem natura diversam, cujusmodi est in Deo relatio principii respectu creaturarum. Convenit haec Deo ex tempore, estque toti Trinitati communis, sicut & cetera quibus ad creaturas Deus dicitur: est enim tota Trinitas, ut eodem loco pronuntiat Lateranense Concilium: *Unum universorum*, id est, totius principium, non tria principia. Quomodo etiam fatendum est, totam Trinitatem esse totius creaturae unam & primam causam, non tres causas, primam, secundam, & tertiam. Nam quod apud Eusebium legitur lib. 1. *Hist. Eccl. cap. 1.* Filium Dei ac Verbum esse secundam causam rerum; ad Arianismum, quo Auctor ille fuit infectus, referendum est. Hoc modo, Filius se dixit principium Joan. 8. cum interrogatus quis esset, respondit: *Principium, qui & loquor vobis*, idque juxta interpretationem Augustini lib. 5. *de Trinit. cap. 13.* & lib. *contra advers. legis & proph. cap. 3.* & in *expositione hujus loci super Joann.* Ambrosii lib. 1. *Hexam. cap. 2.* & 4. & lib. 3. *de Fide ad Gratianum cap. 4.* Et Fulgentii lib. 2. *ad Trasimundum Regem;*

gem; tametsi Graeci, Chrysostomus, Theophylactus, & alii non improbabilius diversam tradunt illius loci expositionem. Neque tamen desunt & alia Scripturae loca, in quibus aperte Christus *principium* appelletur, velut ad *Col. 1. Apoc. 1. 21. & 22.* Sic Nazianzenus in Oratione *de statu Episcoporum.* Cyrillus lib. 10. *Theos. cap. 4.* Et Hilarius lib. *de Synodis*, Filium Dei principium appellaverunt. Jam igitur si Filio Dei competit *principii* nomen, licet ipse principium habeat, consequens est idem & Spiritui Sancto competere; sed utrique relatione tantum, uti diximus, externa.

(Postremo sciendum, in Scripturis Deo tribui nomen *principii*, non ut retetur ad principiatum seu rem productam, sed ut significat idem quod primum, id est, id quo nihil est prius; quomodo etiam vocatur finis, id est, id quo nihil est posterius. Sic *Apoc. 1. & ultim.* Deus & Christus vocat se *principium & finem*, *primum & novissimum*, scilicet ad significandam aeternitatem perfectam; sequitur enim, *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Hoc autem modo etiam sine respectu ad creaturas, non tantum Pater & Filius, sed etiam Spiritus Sanctus est *principium.*)

§. II.

Inter principium, & causam quid intersit.

S. Thom. 1. p. q. 33. art. 1. ad 1.

USU Scriptorum Latinorum praesertim Scholasticorum, inter principium, & causam hoc interest; quod principium latius pateat, quam causa, utpote quae tantum ad effectum referatur: effectus autem non recte dicitur, nisi quod factum sit. Quare cum in illa summa Trinitate nefas sit factum aliquid dicere, negant nostri in Divinis personam respectu personae, vel causam esse, vel effectum. Quo fit, ut *causae* nomen Deo tribui nolint, nisi respectu creaturarum. Idem probant ex hac causae definitione: *Causa est ad cuius esse sequitur aliud*; non ergo ibi quippiam est causa al-

alterius. Principium vero generaliter ad principiatum refer-
tur, quod non est necesse in his, quae facta sunt contineri.
Quare nihil vetat, in Divinis personam respectu personae
principium vocari. Ceterum Graeci his duobus vocabulis *cau-
sae*, & *principii* promiscue atque indifferenter utuntur, cau-
sam videlicet referentes non ad rem effectam, sed ad om-
ne id, quod ab alio quacumque ratione producitur ac depen-
det, quod uno generali nomine vocari potest causatum. Quo
sane modo causa non est aliud, quam principium. Hoc igitur
sensu, Patrem, Filii & Spiritus Sancti causam esse
passim fatentur ac docent iidem Graeci, ut Ignatius in E-
pistola ad *Philippenses*. Basiliius lib. 2. & 3. contra *Eunomium*.
Gregorius Nazianz. lib. 2. de *Theologia*, & lib. 4. *object.* 3. &
in *Orat. ad Episcopos Aegypti*. Gregorius Nyssenus in lib. ad
Ablavium, ubi tres Personas distinguens dicit, in iis aliud esse
causam, aliud ex causa, aliud ex eo quod est ex causa. I-
tem Chrysostomus Hom. 2. in *Epist. Hebr.* & S. Joann. Da-
mascenus lib. 1. de *Fide cap.* 8. 9. 10. & 11. & lib. 4. *cap.* 20.

Sciendum autem, ne Latinos quidem Veteres, ab hoc lo-
quendi modo, prorsus abhorruisse. Nam Hilarius lib. 12. de
Trin. cum de Filio loqueretur: *Ejus*, inquit, *qui est, ad id
quod est, causa Pater est.* Et aperte S. Augustinus lib. 83. q.
q. 16. ostendit, Deum esse causam sempiternam sempiternae
suae Sapientiae, id est, Filii. Sed & illis multo recentior Hu-
go Viët. q. 214. in *Epist. Roman.* Filium esse causam Spi-
ritus Sancti docet. Unde & Latini in Florentina Synodo *Sess.*
ult. identidem inculcant, Patrem & Filium esse *causam* Spi-
ritus Sancti; scilicet conformiter cum Graecis Patribus *cau-
sae* nomine utentes. Ex quibus satis apparet, etiam nunc hu-
jusmodi sermonem inoffense pronuntiari posse; dummodo de
sententia constet atque intelligatur, *causam* non ad effectum,
sed ad causatum, id est, ad id quod producitur, referri.

Denique nota dum apud Veteres Patrem interdum vo-
cari *auctorem* Filii, ut saepenumero apud Sanctum Hilarium.
Quomodo & Sanctus Augustinus lib. 3. contra *Maximin.* cap.
14. dixit, Spiritum Sanctum procedere a solo Patre tamquam
principali *Auctore*. Et apud eundem *Serm.* 22. de *Tempore*, di-

dicitur Filius coaeternus auctori, id est, Patri. Sic & Prudentius in Apotheosi contra Unionitas, dicit, Christum, illo Auctore satum nullus cui praefuit Auctor. Ambrosius autem libr. 10. in Luc. sub initium, Patrem dicit esse radicem Filii. Ac rursum Prudentius in Apoth. contra Patripassianos, Patrem vocat fontem Dei, immo & fontem Deitatis; quod idem legitur etiam apud Dionysium de Divinis Nomin. cap. 1. Totum autem hoc repetunt Patres Latini in Synodo Florent. Ses. ult. dicentes, Patrem esse fontem, radicem, & causam Divinitatis; quibus nominibus non aliud, quam principium significatur. Nec proprie Divinitatis ipsius causam, vel principium aliquod esse volunt memorati Patres; cum Divina Essentia neque gignat, neque gignatur, neque omnino producat, ut alibi docuimus; sed vel abstractum loco concreti posuerunt, vel sensus est, Patrem esse causam & auctorem Divinitatis communicatae reliquis Personis.)

IN DISTINCTIONEM TRIGESIMAM.

§. I.

Quae nomina Deo tantum ex tempore conveniant.

S. Thom. 1. part. q. 13. art. 7. & q. 34. art. 3.

Item qu. 43. art. 2.

UT intelligatur, quae nomina Deo non ab aeterno, sed ex aliquo temporis initio conveniant; primo sciendum nullum nomen essentiale esse ejusmodi, sed neque ullum eorum, quibus relatio tantum interna significatur: haec enim nomina, perinde ut res significata, Deo competunt ab aeterno. Sola igitur ea, quibus significatur respectus ad creaturas ex tempore conveniunt Deo, nec tamen omnia. Quae autem talia sint, quae non, distinctione explicandum est. Sunt enim quaedam nomina, quae ut Deo vere tribui possint, existentiam requirunt rei creatae: qualia sunt quaecumque significant praesentem aliquam Dei operationem ad extra: hujus-

modi enim operatio existere non potest nisi in re creata. Talia sunt *creare*, *regere*, *sanctificare*, *salvare*, *punire*, aliaque innumera. Neque enim ulla est in creaturis operatio, quae non a Deo, ut causa procedat.

Sunt alia nomina, quae etsi respectum ad creaturas significant, ad hoc tamen, ut Deo vere tribuantur, nullam requirunt coëxistentiam rei creatae. Sunt autem *haec in duplici genere*. Quaedam enim significant actiones operationibus intellectus, ac voluntatis similes, ut *velle*, *cognoscere*, *praescire*, *eligere*, *reprobare*. Nam quaecumque hujus sunt generis, non requirunt existentiam rerum, ad quas referuntur. Quaedam vero non actiones, sed agendi potentiam significant, vel certe per modum habitus de Deo dicuntur, ideoque rei subiectae coëxistentiam non requirunt, ut *Creator*, *Salvator*, *Adjutor*, *Largitor*, *Opifex*. Nihil enim vetat, inquit Cyrillus lib. 1. *Theo. cap. 5.* aliquem dici posse opificem, tametsi nihil operetur. Quod pari ratione, & de ceteris dicere possumus. Ea igitur nomina, quae primi sunt generis, sola & omnia Deo tribuuntur ex tempore, simul tamen comprehensivae etiam illis, quae disjunctivae actum requirunt praesentem vel praeteritum, ut Pater respectu creaturae. His enim Pater dicitur, qui gignit vel genuit, non autem qui gignere potest, aut aliquando geniturus est. Cetera vero omnia Deo ab aeterno conveniunt. Et quidem de iis, quae sunt prioris generis, nulla est dubitatio; voluit enim & praescivit ab aeterno Deus, ut mundus aliquando fieret; idemque ab aeterno alios elegit, alios reprobavit. De iis autem, quae posterioris sunt generis, non eadem est omnium sententia. Magister hoc loco, & Sanctus Thomas 1. p. qu. 13. art. 7. putant ea significare actiones circa creaturam, ideoque tantum ex tempore dici de Deo. Aliis vero probabilius videtur non actiones, sed ut diximus, agendi potestatem cum habitu, seu propensione voluntatis conjunctam iis vocibus designari, ut *Creator* dicatur Deus propter creandi potentiam ac voluntatem, certo tempore reipsa declarandam, aut declaratam: & simili ratione, *Salvator*, *Adjutor*, &c. Cujus rei argumentum est; quia etiam hodie Deus Creator dicitur, etsi ab actu creationis jam

jam olim cessaverit. Quamquam hoc argumentum non omnino convincit. *Responderi* enim posset, Creatorem dici ab actu praesenti, vel praeterito, sicut Patrem respectu creaturae dici aliquem, modo ostendimus. An autem etiam ab actu futuro, cujus jam voluntas existat, Creator dicatur, & proinde ab aeterno? illud nimirum est, quod in quaestione versatur. Sane utraque sententia suam habet probabilitatem. Ac pro utralibet sententia valet quod dicit S. Augustinus, *vel quisquis auctor Serm. 9. de Nativ. Domini: Dominus noster Jesus Christus, qui in aeternum est cunctorum Creator, hodie nascendo de Matre factus est nobis Salvator.* Nam in verbis Creatorem, quidem Deum ab aeterno videtur agnoscere, & tamen Salvatorem esse testatur ex tempore; nisi quod hoc posterius sic possit intelligi: *Hodie nascendo de Matre factus est nobis Salvator*, secundum naturam de Matre assumptam; qui tamen ab aeterno secundum naturam Divinam Salvator fuit, sicut & *Creator*.

Porro quamobrem non sit consequens aliquam Deo mutabilitatem accidere, ex eo quod quaedam non ab aeterno, sed temporaliter tantum ei competant, docet adhibitis aliquot exemplis, S. Augustinus lib. 5. *de Trin. cap. 16.* videlicet declarans, omnem eam mutationem, quae nominibus illis Deo recenter attributis significatur, non in Deo esse, sed in creatura subjecta, quae vel incipit esse, cum prius non esset, vel novam in se suscipit formam, aut operationem ab immutabili Deo. De qua re etiam supra nonnihil dictum est *ad Dist. 8.* Quod autem ad relationes attinet, quae inter Deum immutabilem, & creaturam commutabilem oriuntur atque existunt, plane dicendum cum S. Thoma *loco paulo ante citato*, eas ex parte creaturarum reales esse, quod in iis reales fiant mutationes; sed ex parte Dei in sola ratione consistere; quia Deo neque absolutum quid, neque relativum de novo accidere potest; tale aliquid & in aliis quibusdam relationibus locum habere, docet Sanctus Thomas *eodem loco*.

§. II.

Utrum Deus ex tempore , an ab aeterno sit Dominus?

S. Thom. 1. p. q. 13. art. 7.

Quaestionem hanc : *An Deus semper fuerit Dominus ?* difficilem sibi videri testatur Augustinus lib. 12. *de Civitate cap. 15.* Unde nec certi aliquid eo loco definit , tantum affirmans Deum ex tempore meum , vel tuum Dominum dici : sed utrum absolute Dominus in tempore factus sit , in quaestione reliquit. Ceterum *duplex* S. Augustino dubitandi causa fuisse videtur. *Altera* , ex voce *semper* , quae si idem significat quod omni tempore , jam , ut apparet , vere dicere licebit , Deum semper fuisse Dominum ; quia omni tempore fuit Dominus , ut minimum , ipsius temporis. Verum hanc responsionem quaestioni propositae minus congruere , satis ipse Augustinus intellexit. Cum enim dicimus , verbi gratia , Deum semper fuisse justum aut sapientem ; non tantum significamus tempus creatum , quod est ceterarum rerum secundum durationem mensura ; sic enim & mundum semper fuisse fateri oporteret ; sed intelligimus tempus verum vel imaginarium , aut certe ipsam aeternitatem , quae eadem est cum Dei Essentia. Idem enim est , sive quaeramus , an semper , sive an ab aeterno Deus fuerit Dominus ? Patres quoque Syn. Nicaenae , damnantes hanc Arianorum de Filio Dei sententiam : *Erat quando non erat* : eamque in omni creatura veritatem habere fatentes , hac voce , *quando* , omne illud durationis spatium comprehensum esse voluerunt , quod vel intellectu a nobis ante mundum conditum concipi potest. Non igitur hoc pacto recte ostenditur , Deum semper fuisse Dominum.

Altera dubitandi causa fuit , quod videretur non satis pie de Deo sentire , qui negaret eum semper fuisse Dominum. Quod cum non omnino absque ratione videatur , pro quaestionis praesentis determinatione distinguendum est duplex

Do-

Domini significatum. Aut enim significat eum, qui servum habet, sicut Pater qui habet Filium. Aut eum, qui habet potestatem dominandi pro arbitrio suae voluntatis, quique potest cum voluerit, eas res in promptu habere, quibus dominetur, etiamsi forte actu nihil tale vel faciat, vel habeat. Igitur priori modo, Deum non semper fuisse Dominum, ratio manifesta convincit; quia servum non semper habuit cui dominaretur. Sicut enim Pater non est, qui Filium non habet; ita nec Dominus dicitur quispiam, qui non habeat servum. Atque hoc modo August. lib. 5. de *Trinit. cap. 16.* incunctanter affirmat Deum non fuisse Dominum ab aeterno; ne fateri cogatur, creaturam aliquam esse Deo coaeternam. Sic & Magister hac *Dist. & S. Thomas loco dudum allegato.* Posteriori autem modo, nihil dubium est, quin ab aeterno Deus sit Dominus, maxime si & illud accedat, quod ab aeterno praecordinaverit creaturam facere, cui dominaretur: sicut supra diximus de hoc nomine *Creator*, & similibus. Hoc sensu Patres Concilii Constant. definiverunt, *Spiritum Sanctum Dominum esse*, id est, pari cum Patre, & Filio dominandi potestate praeditum; contra eos, qui eum Patris & Filii ministrum esse docebant. Hoc etiam modo, Scripturae Latinus Interpres, *Deum* passim *Dominum* appellat, non tantum ubi Hebraice est *Adonai*, sed frequentius multo, ubi in Hebraeo est nomen *Dei* τετραγράμματος. Quod & 70. passim vertunt Graeco vocabulo *κύριος*, id est, *Dominus*. Estque illud nomen, quod inter Dei nomina praecipuum haberi diximus *ad Dist. 8.* Quod proinde consentaneum est, nequaquam ei ex initio temporis competere, sed ab aeterno. De quo & Isai. 40. scriptum est: *Deus sempiternus Dominus*; vel ut in Hebraeo *semper Dominus*.

Porro hanc posteriorem significationem in vocabulo *Domini*, etiam Veteres attenderunt, ut Dionysius Areopag. de *Divin. Nom. cap. 2.* Athanasius in *Symbolo.* Hilarius lib. 8. de *Trinit.* Basilius lib. de *Spiritu Sancto cap. 20. & 21.* Ambros. lib. 1. de *Fide ad Gratian. cap. 1. & lib. 3. de Spiritu Sancto c. 16. & 17.* Et Cyrillus lib. 8. *contra Julianum*; iis verbis quibus affirmat, Divinitati semper conjunctam esse dominationem.

nem. Nec diversum ab his sentit Damascenus, qui cum dixisset lib. 1. de Fide cap. 12. vocabulo *Domini* significari *revelationem*, postea lib. 2. cap. 12. docet, significari *substantiam Divinam*. Quae duo non pugnant; significat enim Dominus potestatem dominandi: sed ea potestas in Deo est ipsa Dei substantia; sic tamen, ut illo nomine expressa, respiciat creaturas, quibus Deus dominetur, aut dominari possit.

Illud autem, quod apud Arnobium legitur *super Psal. 103. Priusquam veniret Dei Filius, non erat hominum Dominus*: ne supradictis, immo Catholicae Fidei contrarium videatur, intelligendum est de Christo secundum humanam naturam: juxta quod ipse ait Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*. Et 28. *Data est mihi omnis potestas, &c.* Et quod de eo dicitur Psal. 8. exponente Apostolo Hebr. 2. *Constituisti eum super opera manuum tuarum: Et omnia subjecisti sub pedibus ejus*.

Jam ex dictis satis etiam apparet, quid respondendum ad quaestionem: *Utrum Deus ab aeterno Rex fuerit?* Similis enim adhibenda est distinctio. Nec vero Regem ab aeterno fuisse convincunt hae Scripturae Psal. 144. *Regnum tuum, regnum omnium saeculorum*. 1. Tim. 1. *Regi saeculorum immortalis, &c.* Recte enim utrobique intelliguntur saecula, id est, tempora creata; praesertim cum in Psal. subjungatur: *Et dominatio tua in omni generatione & generationem*. Quod palam est, ad mundi mutabilitatem & temporum volubilitatem pertinere.

Postremo quaeri de multis aliis potest: an Deo competent ab aeterno, ut fueritne ab aeterno *misericors, clemens, justus, remunerator, vindex, zelotes, gloriosus, laudabilis, &c.* Sed ad haec omnia probabilis responsio sumi potest ex iis, quae vel hoc capite, vel generaliter capite praecedente dicta sunt.

IN DISTINCT. TRIGESIMAMPRIMAM.

§. I.

Aequalitas & similitudo Divinarum Personarum quomodo sit accipienda?

S. Thom. 1. part. q. 42.

Cum tres Divinae Personae sibi invicem aequales dicantur & similes, quaeritur; secundum quid aequalitas illa, & similitudo sit accipienda? Cui quaestioni, ut breviter respondeatur, repetendum hoc loco quod alibi saepe dictum est, nullum Deo accidens inesse, sed quidquid Deo per modum qualitatis, vel quantitatis attribuitur, esse ejus Essentiam. Ex quo consequens est, aequalitatem & similitudinem, quae est inter Divinas Personas, accipi debere secundum Essentiam; ita tamen ut simul nobis insinuent Personarum pluralitatem. Aequalitas enim existit inter res plures magnitudinem habentes, quarum tamen neutra alteram magnitudine superat. Similitudo vero inter eas, quarum una est qualitas. Cum ergo in Deo magnitudo & aequalitas sit ipsa ejus essentia; manifestum est, aequalitatem & similitudinem in Deo secundum essentiam dici, non secundum relationem. Quod etiam ex eo ostenditur; quia nec Pater Filio, nec Filius Patri similis est, aut aequalis dicitur in eo, quod hic genuit, ille genitus est: hac enim ratione distinguuntur. Deinde nec assignari potest aliqua relatio, in qua secundum rem omnes Personae conveniant. Unde si secundum relationem inter eas aequalitas aut similitudo sumenda esset, non possent dici tres Personae inter se aequales aut similes. Haec Augustini doctrina est lib. 5. de Trin. cap. 6. & lib. 6. cap. 4. & 5. Quibus adde, quod nec secundum relationes possent dissimiles inter se dici Divinae Personae. Sicut enim in rebus creatis non sumitur dissimilitudo secundum relationem, sed secundum qualitatem: ita sumenda esset in Deo. Verum quia secun-

cundum qualitatem, id est, essentiam nulla est ibi diversitas, hinc absolute non debet ulla in Deo dissimilitudo agnoscī.

Si vero quaeratur: utrum aequalitas & similitudo in Divinis relationem significant; & an aequale & simile de iis relative dicantur? omnino respondendum est affirmative. Nam aequale aequali aequale est, & simile simili simile, tam in Divinis, quam in rebus creatis. Non tamen hae voces peculiarem aliquam in Divinis Personis relationem vel notionem significant, sicut Paternitas, Filiatio, &c. sed eam, quae omnibus Tribus est communis, & unicuique respectu alterius convenit. Unaquaeque enim Persona Divina cuilibet alteri similis est, & aequalis. Verum hae relationes Deo attributae tantum sunt rationis: quia licet Personae, quae similes & aequales dicuntur, & in quibus relatio fundari intelligitur, revera distinctae sint; ipsa tamen fundandi ratio in Personis distinctis prorsus eadem est. Nam uti diximus, tres Personae sibi invicem similes sunt & aequales secundum Essentiam, quae una est, & indivisa in tribus: quomodo si diceremus parietem & superficiem ejus esse similes secundum eandem numero albedinem, quae in pariete est, mediante superficie; non dicerentur similes relatione reali, sed tantum rationis. Quoniam autem nec similitudo, nec aequalitas consistere potest, nisi inter res plures, id est, realiter distinctas; hinc quando Personae Divinae similes vel aequales inter se dicuntur, utrumque nobis insinuatur, & quod realiter plures sint, & quod una sit earum Essentia.

Ex his denique intelligitur falli Magistrum, dum existimat §. B. similitudinem & aequalitatem in Deo nihil ponere, sed tantum aliquid removere. Revera enim aliquid ponunt, nempe magnitudinem vel qualitatem eandem: rerum autem ipsarum, quae similes vel aequales dicuntur, id est, Personarum pluralitatem; nisi potius dicas, quod haec non ponunt, sed supponunt.

§. II.

Appropriata Divinarum Personarum quae dicantur.

S. Thom. 1. part. qu. 39. art. 7.

PRaeter ea nomina, quibus notiones & proprietates Personarum in Divinis significantur, quaedam sunt, quae a Theologis Scholasticis *appropriata* vocari solent. Sunt autem ex eorum numero, quae Deo secundum essentiam competunt, & proinde tribus aequaliter Personis communia sunt. *Appropriata* tamen dicuntur, quod singula singulis Personis peculiariter a Sacris Scriptoribus tribuantur propter quamdam congruentiam, quam habet unumquodque eorum cum alicujus personae proprietate; verbi gratia: conditio illa Divina, quae cum proprietate Patris majorem habet congruentiam, ut *aeternitas*, licet tribus sit Personis communis, *appropriata* est Patri, & ita de aliis. Unde non est putandum, hujusmodi attributa proprietatibus personarum esse adnumeranda: quomodo sensisse videtur Magister, qui in textu ostendere conatur haec *appropriata* ita singulis singula competere, ut cunctis non sint communia. Quod ut faciat, per *aeternitatem*, quae Patri accommodatur, intelligit *innascibilitatem*, & in ceteris exponendis similiter laborat. Videtur autem eum movisse, quod S. Augustinus de hujusmodi attributis disserens, ea passim vocet *Personarum propria*. Verum *propria* intellexit Sanctus Augustinus, non quas nos proprietates dicimus, sed quae peculiariter, uti diximus, Personis accommodantur.

Porro usus hujus accommodationis est, ut ad intelligendas Personarum proprietates magis adjuvemur. Cum enim omnis nostra de Deo conceptio peti debeat a rebus creatis, e quibus vix quidquam de Deo intelligere possumus, praeter ea, quae ad Essentiam pertinent, visum fuit ad notificandas personas ea attributa essentialia adhibere, quae cum earum proprietatibus magis videantur congruere; idque simili fere ratione, qua Trinitatis imaginem & vestigium in creaturis.

reperiri, supra docuimus ad *Distinctionem* 3. Ita docet Sanctus Thomas 1. p. qu. 39. art. 7.

§. III.

Appropriata ab Hilario assignata explicantur.

S. Thom. 1. part. qu. 39. art. 8.

Quatuor praecipui appropriatorum terniones assignari solent, de quibus videre est S. Thomam *toto art. 8. quaestionis modo citatae*. Cum enim in creaturis quatuor nobis consideranda occurrant; nempe *primo*, quod unaquaeque earum sit ens quoddam: *deinde*, quod sit res una: *tertio*, quatenus inest ei virtus ad operandum & causandum: & *quarto*, quatenus ipsa causata effectus suos respicit; simili modo quadruplex consideratio circa Deum nobis occurrit. Igitur secundum *primam* considerationem, qua Deus absolute, *tamquam* ens consideratur, existimat Sanctus Thomas sumi *appropriata* ab Hilario assignata, quae sunt aeternitas, species, & usus. Ad *secundam* vero considerationem, qua consideratur *ut unus*, pertinere dicit *appropriata* ab Augustino tradita, quae sunt unitas, aequalitas, & concordia seu connexio. Ad *tertiam* vero, qua consideratur in Deo *virtus ad causandum sufficiens*, pertinere haec tria, potentiam, sapientiam, bonitatem. Ad *quartam* denique, qua consideratur *ut respicit suos effectus*, pertinere ista ab Apostolo posita: *ex quo, per quem, & in quo*; ita ut in his omnibus, quod primum est Patri, quod secundum est Filio, quod tertium Spiritui Sancto approprietur. Ceterum primus ternio, quem posuit Hilarius *sub initium lib. 2. de Trin.* plus ceteris habet difficultatis. Ponitur autem ab eo his verbis: *Infinitas in aeterno, species in imagine, usus in munere*. Quam Hilarii assignationem tractans, & exponens Augustinus lib. 6. *de Trin. cap. 10.* & ex Augustino Magister *hac Distinctione* Patri appropriatum alio nomine expresserunt, loco infinitatis, aeternitatem Patri a signantes. Rem tamen eandem significarunt: aeternum enim id dicitur, quod duratione infi-

nitum est. Possunt autem haec tria ab Hilario posita ad hunc modum tribus Personis sigillatim accommodari. *Aeternitas*, sive *infinitas* Patri appropriatur propter congruentiam, quam habet cum proprietate Patris. Nam sicut Pater nullum habet principium ex quo oriatur, ideoque innascibilis atque ingenuus dicitur; ita aeternitas initium non habet a quo inceperit. Unde & aeternitas a nobis facilius intelligitur in Patre ingenito, quam in Filio genito, vel Spiritu Sancto procedente. *Species* autem sive pulchritudo Filio, qui est imago Patris, appropriatur. Cujus ratio ut explicetur, notandum cum Sancto Thoma *ubi supra*, ad pulchritudinem in corporalibus tria requiri. Primum, ut res in suo genere perfecta sit. Alterum, ut aptam habeat membrorum seu partium proportionem. Tertium, ut colorem suavem gratumque habeat. Quae tria in Filio Dei similitudine rationis reperiuntur. Primo enim Filius Dei in seipso perfectissimus est: deinde cum sit imago Patris, repraesentat eum perfectissime. Hac enim ratione in rebus corporeis pulchram dicimus imaginem, quae suum exemplar perfecte repraesentat; etiam si forte res repraesentata deformis, multoque magis si & ipsa pulchritudine sit insignis. Cum igitur Dei Filius sit imago perfectissima rei, non cujuscumque, sed praestantissimae, atque pulcherrimae, id est, Dei Patris; consequens est, in ipso summam inesse pulchritudinem imagini competentem. Tertia est in eo pulchritudinis ratio; quia tamquam lumen de lumine, & ut Sapiens loquitur cap. 7. *Velut candor de luce aeterna procedit*. Quod quidem ei potissimum competit, quatenus est verbum excellentissimum, de Patre tamquam prima & summa mente emanans. Nam in rebus spiritualibus *lucis* appellatio menti & verbo mentis apertissime tribuitur. Unde & ab Apostolo Hebr. 1. Christus *Splendor gloriae* Patris appellatur.

Porro Spiritui Sancto Hilarius *usum* appropriavit, cum ait; *usus in munere*. Quod quomodo sit accipiendum, haud satis perspicuum est. Augustinus loco paullo ante citato, sensum Hilarii in dictis verbis scrutans, *usum* a fructu, seu fruitione non distinguit; sed per *usum* fruitionem ipsam intelligi putat, non eam, qua homines Deo fruuntur, sed qua

Deus Pater & Filius in Spiritu Sancto beatissime conquiescunt. Quemadmodum enim res unaquaeque creata naturaliter aliquid appetit, in quo cum gaudio & suavitate conquiescat, nihil ultra desiderans: ita nos more humano concipere possumus Spiritum Sanctum, tamquam eum, quem expetant Pater & Filius communi eum spiratione producentes, sic ut ulterius in aliam Personam producendam eorum voluntas non feratur, sed in ipso tamquam communis actionis, & productionis termino, plenissime conquiescat; utpote in quo ab utroque promanante, & natura sit eadem, & summa foelicitas. Qua consideratione Sanctus Augustinus Spiritum Sanctum esse dicit ineffabilem quemdam complexum Patris, & imaginis. Et rursus eundem Genitoris Genitique suavitatem vocat.

Ex hac appropriatorum Hilarii interpretatione, sumptus est a quibusdam Doctoribus ille ternio, verbis differens, quod Patri competit *esse*, Filio *esse convenienter*, Spiritui Sancto *esse delectabiliter*. Ratio patet ex dictis; quia cum Pater sit principium sine principio, recte ei accommodatur *esse absolute*. Cum autem Filius procedat per modum similitudinis, recte ei hac peculiari ratione tribuitur *esse convenienter*. Cumque Spiritus Sanctus instar amoris, quietis, & finis procedat, recte ei accommodatur *esse delectabiliter*. Ceterum haec quamvis apposite dicantur, verisimile tamen est Hilarium aliud quiddam spectasse in nomine *usus*, quem Spiritui Sancto appropriavit; ac potius significare voluisse, quod Spiritus Sanctus hominibus auctor sit omnis boni *usus*, omnium donorum, quae illis a Deo conferuntur, ut iis recte utendo ad summi boni fruitionem perveniant. Sensus igitur horum verborum, *usus in munere* hic esse videtur. *In munere*, id est, in Spiritu Sancto, qui procedit ut donum, spectatur quod sit auctor omnis boni usus donorum a Deo acceptorum; ut cui eorum largitio tribui solet, eidem & bonus eorum *usus* adscribatur. Hoc sensisse in his verbis Hilarium omnino probabile fit, tum ex eo, quia *usum* ponit *in munere*. Est autem Spiritus Sanctus *munus*, seu donum, quo utuntur non qui donant, id est, Pater & Filius, sed qui donatum accipiunt, id est, homines: tum maxime quia quae apud Sanctum Hilarium

rium sequuntur, hunc sensum postulant, atque illud praesertim quod sub finem ejusdem libri, de Spiritu Sancto ejusque donis loquens, ait: *Utamur ergo tam liberalibus donis, & usum maxime necessarii muneris expetamus*: tum denique quod ab Hilario consideretur Spiritus Sanctus, ut est tertia Persona, a qua nulla alia Persona procedat. Unde accommodat ei nomen, quo significatur processus & communicatio donorum ejus in creaturas. Cujus accommodationis ratio est; quia quemadmodum amor, qui liberalitatis & donationis omnis origo est, ex mente & verbo mentis procedit: ita ex Patre & Filio procedit Spiritus Sanctus.

§. IV.

Quomodo dicat Augustinus *Imaginem* coaequari *exemplari*, non contra.

S. Thom. 1. part. quaest. 42. art. 1. ad 3.

Quod dicit Sanctus Augustinus *loco supra citato*, imaginem coaequari ei cujus est imago, id est, exemplari, non illud vicissim imagini suae; quaeri potest, quomodo sit intelligendum, cum aequalitas & similitudo utrimque consistent, fierique nequeat ut aequali aequale, & simili simile non respondeat? Videtur autem in ea sententia respexisse Sanctus Augustinus ad quaedam Hilarii verba lib. *de Synodis non longe ab initio*, quae sic habent: *Imago ejus ad quod imaginatur, specie in differens est. Neque enim ipse sibi quisquam imago est, sed eum cujus imago est, necesse est ut imago demonstrat. Imago ergo est rei ad rem coaequandae, & imaginata, & indiscreta similitudo, &c.* Igitur ad dubitationem respondendum imprimis, non negare Sanctum Augustinum, quin exemplar aequale, ac simile sit *imagini*, sed negat coaequari & assimilari. Pater enim, qui est exemplar Filii tamquam imaginis, non accipit a Filio per aliquam processionem quod sit ei similis & aequalis; quomodo contra Filius id accipit a Patre per generationem, ut nimirum coaequari & assimilari sit aequalitatem & similitudinem

nem accipere. Sic post Magistrum Sanctus Thomas 1. p. qu. 42. art. 1. ad 3.

Deinde notandum, quod quemadmodum docet S. Dionysius *de Divin. Nomin. cap. 9.* quamvis aequalitas & similitudo recurat inter Divinas Personas; propterea quod natura Dei non sit perfectius in una Persona, quam in alia; non tamen recurrit inter Deum & creaturas. Effecta enim suis causis similia dicuntur, quatenus aliquo modo participant formas & perfectiones suarum causarum. Non tamen e diverso causae dici solent suis effectis similes, eo quod *similitudinis* nomen inter duo imparia potius imperfectiori, quam perfectiori tribui soleat. Atque hoc modo relativum est discrepantiae, cujusmodi est imago respectu exemplaris. Unde idem S. Dionysius docet, homines quidem Deo similes dici, nimirum propter imitationem perfectionis Divinae, juxta illud: *Estote perfecti, sicut & Pater vester coelestis perfectus est*, non tamen vicissim Deum dici nobis similem. Non enim legimus Deum esse *bonum, justum, perfectum*, &c. sicuti nos sumus. Tale quid autem inter Filium & Patrem, tametsi omni modo aequales, non inepte fingi potest, ea ratione, qua Pater est principium & causa Filii, non contra.

§. V.

Appropriata ab Augustino assignata explicantur.

S. Thom. 1. part. q. 39. art. 8.

SECUNDUS *appropriatorum* ternio traditur a S. Augustino lib. 1. *de Doctr. Chr. cap. 5.* his verbis: *In Patre est unitas, in Filio aequalitas, in Spiritu Sancto unitatis aequalitatisque concordia.* Quorum ratio sic explicari potest. Patri peculiariter *unitas* adscribitur; quia quemadmodum unitas nihil praerequirat, sed ipsa est numeri principium; ita Pater ex nullo est alio, nullamque Personam praesupponit, sed ipse aliarum Personarum principium est. Filio tribuitur *aequalitas*; quia ut quid aequale sit, necessario requiritur aliquid aliud, cui sit aequa-

quale ; nec potest aequalitas consistere nisi inter duo, ut minimum. Ad hunc modum Filius necessario personam Patris a se distinctam praerequirat, atque in eo primum oritur pluralitas ; quia Filius a Patre solo, & quidem immediate procedit. Cui rationi etiam hoc accedit ; quod sicut aequalitas, id est, perfecta proportio maxime attenditur in imagine respectu exemplaris : ita in Filio, tamquam in imagine Patris naturali, eaque absolutissima, aequalitas ejus cum Patre elucescat. Spiritui Sancto tribuit Sanctus Augustinus *unitatis aequalitatisque concordiam* ; tum quia connexio, quae concordiae nomine significatur esse non potest, nisi duo aliqua praesistant, quae connectantur, quibus ipsa concordia velut tertia accedat. Sic enim Spiritus Sanctus duabus personis Patri & Filio in eandem spirationem convenientibus accedit tertia Persona, velut duarum concordia ; tum quia Spiritus Sanctus instar amoris procedit, cujus officium est plurimum corda conglutinare, ac velut unum efficere.

Quod vero subjungit Sanctus Augustinus : Tria haec unum omnia esse propter Patrem, *aequalia* omnia propter Filium, *connexa* omnia propter Spiritum Sanctum ; non sic accipiendum, quasi dictione, *propter*, voluerit causam, vel principium significare, unde unitas, aequalitas, & *connexio* in Divinis Personis existat. Quamvis enim a Patre reliquae Personae, ut naturam sic unitatem accipiant ; non tamen vel ipse Pater sibi *unitatis* principium & causa est ; vel a Filio reliquae Personae accipiunt *aequalitatem* ; vel a Spiritu Sancto *connexionem*. Constat enim nec Patrem a Filio vel Spiritui Sancto, nec Filium a Spiritu Sancto quidquam accipere : sed Filium omnia accipere a Patre, & Spiritum Sanctum omnia a Patre & Filio. Videtur igitur hic sensus esse : Omnes tres Personae unum sunt *unitate*, quae ob rationem dictam Patri appropriatur ; aequales sunt *aequalitate*, quae, uti dictum est, accommodatur Filio ; connexae sunt, & concordantes sunt per concordiam, quam ostendimus accommodari Spiritui Sancto. Haec igitur tria peculiariter dicta sunt esse in Divinis propter eas personas, in quibus illorum ratio magis apparet ac promptius a nobis cognoscitur. Restant reliqui duo *appropriatorum*

ordines, scilicet tertius, de quo agemus cum Magistro *ad Dist.* 34. ; & quartus, de quo *ad Dist.* 36. Occurrunt & alii appropriatorum terniones apud Sacros Auctores, ut apud Sanctum Cyprianum *Serm. de Baptismo Christi*, & in officio Ecclesiastico de Sanctissima Trinitate, & alibi; quorum rationes non erit difficile studiosis scrutando invenire.

IN DISTINCT. TRIGESIMAMSECUNDAM.

§. I.

Utrum Pater & Filius se mutuo diligant Spiritu Sancto?

S. Thom. 1. part. q. 37. art. 2.

Explicanda est hoc loco quaestio, quam superius movit Magister *Dist.* 10. & nunc repetit: *An recte dicatur Patrem, & Filium se mutuo diligere Spiritui Sancto?* Hoc enim astruere videntur quaedam sententiae Augustini, cujusmodi habentur *lib. 5. de Trin. cap. 11. lib. 6. cap. 10. & lib. 7. cap. 3. Et de Doct. Chr. lib. 1. cap. 5.* quibus locis, dicit Spiritum Sanctum esse concordiam, & complexum & communionem Patris & Filii. Apertius autem probat quod dicit *lib. 6. de Trin. cap. 5.* Spiritum Sanctum esse, quo ambo, scilicet Pater & Filius junguntur, quo Genitus a Gignente diligitur, suumque vicissim Genitorem diligit; & quo, tamquam proprio suo dono, Pater & Filius servant unitatem spiritus in vinculo pacis. Et *lib. 15. cap. 17. Spiritus Sanctus*, inquit, *communem, qua invicem se diligunt Pater & Filius, nobis insinuat charitatem.* Similiter Commentarius S. Hieronymo adscriptus *in Psal. 17. ad initium*, Spiritum Sanctum testatur dilectionem esse, quam habet Pater in Filium, & Filius in Patrem. Tale etiam est quod Bernardus *Serm. 8. in Cantic.* dicit, mutuam Gignentis, Genitricumque cognitionem pariter, & dilectionem esse osculum secretissimum, id est, Spiritum Sanctum. Haec autem & hujusmodi loca non solum quaestionis *supradictae* partem affirmantem

tem

tem statuere videntur, sed & occasionem dederunt generaliter quaerendi: *An Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus seipsum quisque, & quaecumque alia a se diversa diligant Spiritu Sancto?*

Pro qua re notandum, ablativum *Spiritu Sancto* in ea quaestione tribus fere modis intelligi posse.

Primo, ut significetur habitudo principii producentis; quomodo ferrum, vel aquam igne calere dicimus. *Secundo*, ut sit nota causae formalis; quomodo quis a fortitudine fortis, & a scientia doctus dicitur. *Tertio*, ut denotet effectum, seu rem productam, cujus denominatio tribuatur causae; quomodo dicimus arborem florere suis floribus; quia nimirum producit flores, a quibus florere denominatur.

Hac declaratione praemissa, respondendum: in primis certum & indubitatum esse, quod Pater & Filius, nec se invicem, nec seipsos, nec quidquam omnino aliud diligant Spiritu Sancto secundum primum modum. Non enim accipiunt a Spiritu Sancto tamquam productivo principio ut diligant, sed contra potius Spiritus Sanctus accipit a Patre & Filio simul cum Natura etiam hoc, ut & se, & Patrem, & Filium, & alia quaecumque diligit. Sed neque secundum alterum modum id intelligi potest. Nam Pater, & Filius formaliter diligunt ea dilectione, quae est Natura Divina, tametsi improprie formalem rationem in Divinis nominamus, cum ibi dilectio, & diligere non sint distincta. Sed sic loquimur, quia alterum respectu alterius per modum causae formalis intellectui nostro repraesentatur.

Quod ad tertium modum attinet, quodam sensu concedi potest, Patrem & Filium se invicem diligere Spiritu Sancto; si videlicet *diligere*, non essentialiter, sed notionaliter sumatur. Producent enim Pater & Filius Spiritum Sanctum, qui non tantum appropriate, sed & proprio nomine charitas & dilectio appellatur, ut dictum est *ad Distinct.* 10. Cum igitur amare sit amorem producere, sicut florere flores proferre: ita dici potest, Patrem & Filium amare se Spiritu Sancto, per hoc, quod amorem, id est, Spiritum Sanctum producent; sicut arbor florere dicitur floribus; quia ex se

flores suos producit ; ut amare seu diligere in hujusmodi sermone sit notionale nomen , significans idem quod spirare amorem. Unde eo sermone , quo dicuntur Pater & Filius amare se Spiritu Sancto , non aliud significabitur , quam quod Pater & Filius una & concordī actione Spiritum Sanctum , qui est amor , producant. Hoc autem modo Spiritus Sanctus non amat , nec se , nec quidquam aliud , quia non producit ex se aliam personam. Sic Sanctus Thomas explicat *scribens in praesentem Distinctionem* , & I. p. q. 37. art. 2. ejusdemque commentatores Cajetanus , & Bannesius ; tametsi reclamant Durandus , & Scotus , qui propositionem hanc , Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto , non nisi improprie veram esse concedunt , & a S. Augustino retractatam esse dicunt in simili , de quo proximo capite. Sane proprietatem sermonis arguit similis locutio apud Sanctum Augustinum lib. 7. de Trin. cap. 1. & 3. cum dicit , solum Patrem dicere verbo & seipsum & quaecumque alia , quia solus Pater genuit Verbum , quo manifestavit seipsum & omnia alia ; ut *dicere Verbo* non aliud sit , quam *gignere Verbum*. Quam quidem locutionem , vel in simili S. Augustinus retractavit.

Hinc porro consequenter deduci potest S. Augustinum , qui nomine charitatis & dilectionis non videtur usquam usus , tamquam proprio nomine Spiritus Sancti , ut dictum est ad *Distinct.* 10. locis tamen supra citatis , quibus dicit , Patrem , & Filium se invicem diligere Spiritu Sancto , usurpasse hoc nomen *diligere* , tamquam notionale , quemadmodum & *dicere* , cum ait *solum Patrem dicere Verbo*. Datam responsionem illud etiam confirmat , quod idem S. Augustinus lib. 15. de Trin. cap. 7. ita scribit : *Quis audeat dicere Patrem nec se , nec Filium , nec Spiritum Sanctum diligere , nisi per Spiritum Sanctum ?* His enim verbis satis significat , Patrem diligere per Spiritum Sanctum , sed non tantum per Spiritum Sanctum : quia nimirum si diligere notionaliter sumatur , diligit per Spiritum Sanctum sensu dudum exposito ; sin essentialiter , diligit per dilectionem essentialem , non per Spiritum Sanctum : ne , quod absurdum est , etiam esse dicatur per Spiritum Sanctum ; sicut recte ratiocinatur Magister *in fine §. A.* cujus

verba ab eo loco, *bonus, magnus, &c.* perperam S. Augustini verbis ibidem citatis, velut ab eodem scripta in nostris codicibus sub eadem clausula connectuntur. Utrumque autem istorum recte dici; nempe quod Pater & Filius se diligant Essentialia sua, & quod se diligant dono suo proprio, id est, Spiritu Sancto, diserte affirmat idem Sanctus Augustinus libr. 6. *de Trinit. cap. 5.* ut de tanti Doctoris sententia non videatur amplius dubitandum.

§. II.

Utrum Pater sit sapiens sapientia genita?

S. Thom. 1. p. q. 37. art. 2. ad 1.

Superiori quaestioni partim similis est, partim dissimilis ea, qua quaeritur: *utrum Pater sit sapiens sapientia genita?* Similis quidem in eo, quod utrumque, tam *sapientem esse* quam *diligere*, nomen sit essentialia. Dissimilis autem in eo, quod *sapientem esse* in Divinis numquam notionaliter accipiatur, sicut interdum accipi diximus hoc nomen, *diligere*. In hac quaestione dissolvenda Magister multum laborat. Verum absoluta & indubitata responsio est, Patrem non recte dici sapientem sapientia genita. Ratio est; quia cum Patri sit idem sapere, quod esse, si sapiens esset sapientia genita, sequeretur eum simpliciter esse per sapientiam genitam, id est, per Filium; quod est absurdissimum. Non enim Pater a Filio, sed a Patre Filius accipit esse. Eadem ratione negandum est, Patrem esse potentem virtute, quam genuit, aut bonum bonitate, quam spirando produxit. Haec enim nomina, potentem esse, bonum esse, & similia, tantum essentialia sunt. Et proinde locutiones jam dictae non alium sensum recipiunt, quam quo per ablativos principium producens, vel ratio formalis significatur: quo utroque sensu falsas eas esse constat. Sic docet Sanctus Augustinus libr. 6. *de Trin. cap. 1. 2. lib. 7. cap. 1. 3. Et lib. 15. cap. 7.* Denique libr. 1. *Retract. cap. 26.* retractat quod dixerat libr. 83. *q. qu. 23.* Deum esse sapientem sapientia,

quam ipse genuit ; lectorem remittens ad ejusdem quaestionis exactiorem tractationem in libris de Trinitate.

Quod autem dicit idem Sanctus Augustin. Serm. 63. de Diversis cap. 12. Deum esse Patrem verbi sui , & sapientiae suae , & virtutis suae ; responsioni nostrae non obstat. Non enim sensus est , eum esse Patrem sapientiae suae , id est , qua sapiens est , & virtutis suae , id est , qua potens est , sed suae , id est , ex se genitae , quomodo Pater est verbi sui , id est , ex se producti.

Sed nec illud obstat , quod Patres interdum , ut S. Hilarius lib. 12. de Trin. sub fin. & alii , contra Arianos ex eo probant Deum ab aeterno Filium habuisse , quia alioqui Deus aliquando fuisset sine sapientia & virtute ; cum Filius secundum Scripturas sit virtus , & sapientia Patris. Haec enim valet illa probatio , quia cum Filius non sit sapientia distincta ab ea sapientia , quae est Pater , sed una & eadem ; si tollatur sapientia genita , id est , sapientia , quae est Filius , tollitur etiam sapientia qua Pater est , & qua Pater sapiens est. Nec vero sequitur : Pater est sapiens per sapientiam ; at Filius est eadem illa sapientia ; est igitur Pater sapiens per genitam sapientiam. Vitium argumenti in eo est , quod , ut loquuntur Dialectici , mutetur appellatio : quamvis enim sapientia sit nomen essentialis , dum tamen ei additur genita , induit conditionem nominis personalis. Atqui a nomine essentiali ad personale , non legitime procedit argumentatio ; quoties nomini essentiali aliquid adjungitur , quod parem in omnibus personis rationem non habeat. Quocirca non magis erit consequens , Patrem esse sapientem sapientia genita , quam simpliciter Patrem esse per Filium.

Ceterum quo sensu recte dicatur , Filium esse sapientiam genitam , ex iis quae dicta sunt ad 5. Dist. intelligi potest. Sicut enim essentia proprie nec gignit , nec gignitur , ita nec sapientia ; sed hoc tantum sensu ; quia Pater , qui est sapientia , gignit ; & Filius , qui eadem est sapientia , gignitur. Verum quia Filio sapientia appropriatur , fit , ut magis receptum sit Filium dici sapientiam genitam , quam Patrem sapientiam gignentem. Convenientius autem Pater vocatur sapien-

piencia ingenita, sicut & natura ingenita, prout declaratum est ad *Distinct.* 28.

§. III.

An recte dicatur Filius agere a seipso?

CUM indubitatum sit Filium Dei una cum natura omnem suam operationem a Patre nascendo accipere, quaeri tamen non immerito potest; *Utrum concedi possit, Filium agere, seu operari a seipso?* Quod quidem ita esse his argumentis confirmari potest.

Primo: quia Filius est principium & causa suarum operationum. Deinde quia & nos, etsi quidquid boni facimus, a Deo accipiamus, recte tamen agnoscit Apost. 2. ad *Corinth.* 3. a nobis aliquid boni cogitare non posse; licet non quasi ex nobis, id est, quasi a nullo alio hoc ipsum acceperimus, quomodo & S. Augustinus lib. 1. *Retract.* cap. 22. fatetur, in potestate nostra esse positum ut voluntatem mutemus in bonum, quae tamen potestas a Deo sit. Quare similiter etsi Filius omnia a Patre acceperit; nihil prohibet tamen, quo minus a se ipso operari dicatur; quia sicut vitam, sic & operandi virtutem dedit ei Pater habere in semetipso, per quam simul cum Patre operaretur.

Accedit Basilii auctoritas, qui lib. 4. *contra Eunomium* Filium ex seipso agere testatur. Immo S. Methodius in *Hom. de Simeone, & Anna* ita affatur ad Christum: *Ex teipso, & non secundum gratiam Deus, ex teipso omnium Rex.*

At vero negantem quaestionis partem plane confirmare videtur Scriptura. Christus enim *Joan.* 5. de se ait: *Non potest Filius a se facere quidquam.* Et iterum: *Non possum ego a meipso facere quidquam.* Et cap. 8. *A meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, sic loquor.* Et 14. *A meipso non loquor, sed Pater in me manens ipse facit opera.* Et 16. de Spiritu Sancto: *Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur.* Quae loca S. Hilarius passim in libris *de Trinit.* & S. August. *super Joan.* ita intelligunt, ut significetur Filius se-

cundum Divinam Naturam a Patre, & Spiritus Sanctus a Patre & Filio habere, quidquid habet. Atque his consentiunt Didymus lib. 2. *de Spiritu Sancto*, & Basilius de Spiritu Sancto cap. 8. Rursum autem S. Hilarius lib. 9. *de Trin. circa med.* fatetur, ita per se agere Filium, ut tamen eundem a se agere disertè neget. Quamquam Scripturae sententias modo citatas S. Chrysostomus, S. Cyrillus, & alii Graeci in Joannem scribentes, in alium sensum accipiunt, ut significatum sit, Filium in assumpta natura nihil agere, quod sit diversum a voluntate Patris, sicut agunt homines, dum suam & non Dei voluntatem exsequuntur; quem sensum amplecti videtur etiam S. Ambrosius lib. 4. *de Fide ad Grat. cap. 3.* Verum hic sensus ex priori consequitur. Ideo quippe nihil a voluntate Dei diversum agere potest Christus homo, quia idem est Dei Filius habens eandem Naturam cum Patre.

Ceterum ad propositam quaestionem cum distinctione respondendum dicimus: Quodam enim sensu agit a seipso Filius; quodam non agit. Agit, inquam, a seipso, quia in seipso principium habet suarum actionum; tametsi a Patre acceptum, videlicet naturam Divinam. Non agit autem a seipso, quasi a seipso; quia hoc ipsum, quod operatur, non sic habet a se, ut non ab alio auctore acceperit, cum certum sit eum naturam qua operatur, atque ipsum operari, accepisse a Patre.

Porro *sapiens* a seipso non similiter dici potest; quia hoc nomen non operationem ad extra tendentem significat, sed qualitatem immanentem, quae eadem est cum ejus natura. Dicitur autem non potest, quod Filius in seipso habeat principium sapientiae suae; sicut habere dicitur operationis in se principium; quia sicut naturae, ita sapientiae principium Filio non est, nisi a Patre. Quocirca nec esse a seipso Filius convenienter dicitur: sicubi tamen apud Patres occurrat hic sermo, exponendus erit eo sensu, quo dicimus, Deum esse, & sapientem esse a seipso; quia nimirum essentiam & sapientiam ita habet, ut non eam ab alio, id est, ab aliquo a se diverso acceperit. Per se autem esse, & per se sapiens esse, rectissime dicitur tum Filius, tum Spiritus Sanctus, quia suapte

natura id eis convenit ; multoque magis per se agere utrique vere , & convenienter attribui potest. Unde etsi non sit dicendus Filius a seipso sapiens ; recte tamen seipso sapiens dicitur , id est , per naturam suam. Alia huc pertinentia vide *ad Dist. 4.* ubi contra Autotheanos fuit ostensum , Filium non esse a seipso.

IN DISTINCT. TRIGESIMAMTERTIAM.

§. I.

Relationes Personarum in Divinis reipsa distinctas esse.

S. Thom. 1. p. q. 28. art. 3.

Quemadmodum in superioribus saepenumero declaratum est Personas Divinas non ratione tantum , sed reipsa inter se distinctas esse , ita quoque de relationibus ipsis , a quibus personarum discrimen sumitur , sentiendum est , ac certa Fide tenendum contra haeresim Sabellii , qui solum rationis discrimen , tam inter personas , quam inter relationes posuit. Est autem de utrisque , tam personis , quam relationibus eadem probatio. Si enim relationes sola ratione distinguantur , non poterunt personae , quarum discrimen ab oppositis relationibus sumitur , aliter quam ratione distingui. Atqui Personas non sola ratione , sed reipsa distingui , jam olim contra Sabellium per varia Concilia definitum est : quare & relationes , a quibus distinctio personarum accipitur , reipsa distingui necesse est.

Deinde postulat hoc ipsum , & convincit ratio originis personarum : cum enim personae per hoc distinguantur , mutuaque relationem habeant , quod alia aliam producat , & vicissim alia ab alia procedat , nec possit idem sibiipsi principium esse ut sit , aut a seipso procedere ; manifeste consequitur , non inter personas modo , sed & inter relationes ipsas reale discrimen agnoscendum esse. Proinde quaecumque Scri-

pturae testimonia originem personae unius ab alia declarant, eadem & realem personarum distinctionem nobis insinuant, ea maxime, quae, sic unam ab alia esse vel agere significant, ut eam a seipsa esse vel agere negent; cujusmodi sunt, ex quibus *superiori Distinctione* ostendebatur Filium non agere a seipso; quod omni modo falsum esset, si Pater & Filius essent realiter unus & idem.

Ex his porro consequens est non tantum reale discrimen consistere inter relationes personales, sed & ipsas relationes esse reales, id est, tales, quae praeveniendo omnem creati intellectus operationem, revera existant. Non enim realis distinctio personarum peti posset a relationibus, quae sola consideratione mentis nostrae finguntur in Divinis. Plenius de his disserit S. Thomas 1. p. *qu. 28. art. 1.* ubi relationes, quae in Divinis sunt, reales esse docet, ex eo, quia sumuntur secundum processiones in identitate naturae. Et articulo tertio, ubi ulterius, ex eo quod relationes sunt reales, colligit realem oppositionem, quae esse non potest, ubi non sit realis distinctio. Unde, inquit, oportet, quod in Deo sit realis distinctio, non quidem secundum rem absolutam, quae est *Essentia, in qua est summa unitas & simplicitas, sed secundum rem, ut ait, relativam.*

§. II.

Relationes Personales nec a Personis, nec ab Essentia reipsa distingui.

S. Thom. 1. part. qu. 28. art. 3. & qu. 40. art. 1.

PRaeter distinctionem trium inter se personarum realem nullum aliud reale discrimen in Divinis agnoscit Fides Catholica. Proinde relationes, seu proprietates personales a personis, quibus competunt, non reipsa, sed ratione sola distinguuntur, velut paternitas a Patre, filiatio a Filio. Est enim in Divinis idem revera Pater quod Paternitas, & idem Filius quod Filiatio, & omnino tres relationes personales

non

non aliud sunt, quam tres Personae. Certum id est ex ea Catholica Doctrina, quae non nisi tria realiter distincta in Divinis agnoscit, tres videlicet personas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Quod si ab his etiam proprietates earum reipsa distinctae essent, jam non Trinitas, sed Quaternitas, atque etiam major aliquis numerus in Divinis exurgeret. Quod est condemnatum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. capite primo & secundo. Jam ex eodem fundamento istud quoque certissime consequitur, relationes personales non esse realiter distinctas ab Essentia Divina. Cum enim non distinguantur a personis; personae autem sint Essentia Divina; sequitur & relationes personales Essentiam Divinam esse. Quod autem personae ab Essentia non sint distinctae probatum est ad Distinctionem quintam in reprobatione erroris Abbatis Joachim, nec non ad Distinctionem octavam, ubi de simplicitate naturae Divinae agebatur.

Ex dictis etiam eorum refellitur error, qui docuerunt personam componi ex essentia & proprietate, videlicet arbitrantis proprietatem ab essentia realiter distingui, atque hoc pacto realem compositionem in mysterium Trinitatis introducentes, in qua summam esse simplicitatem, & ab omni compositione remotam credere debemus.

Ceterum ut aliquatenus intelligamus quomodo tres realiter distinctae relationes sint, una numero simplicissima essentia, notandum, quidquid est in creaturis, & imperfectiorem non involvit, in Deo esse excellentissimo modo: velut sapientia in hominibus est, sed imperfecta: in Deo autem est perfectissima: sic ut ibi non aliud sit sapiens, aliud sapientia, & rursum aliud sapientia, aliud essentia; sed omnia haec una eademque res. Hoc autem & in respectivis locum habet: nam & haec modo perfectissimo in Deo reperiuntur, ut esse Patrem, esse Filium. Cum igitur Deus sit res summa & perfectissima, ideoque & simplicissima, oportet, ut omnia tam relativa, quam absoluta sint unum in Deo; sic tamen ut respectivorum natura salvetur, quae in eo consistit, ut relationes oppositae distinguantur inter se, ac porro distinguant ea, quibus tribuuntur. Unde consequens est, ita omnia

nia in Deo unum esse, ut tamen ea sit agnoscenda realis distinctio, quam relativorum natura postulat. Hanc probationem pluribus verbis explicatam videre est apud S. Thomam 1. p. qu. 28. art. 2. quod docet relationem in Deo idem esse, quod ejus essentia. Quod vero relationes sint eadem cum personis, docet qu. 40. art. 1.

§. III.

Refelluntur errores circa ea, quibus Personae distinguuntur.

S. Thom. 1. part. q. 28. & 40.

Circa personarum Divinarum distinctionem erraverunt non solum Sabellius, qui eam omnino sustulit, & in solo rationis humanae figmento collocavit, sed & alii, qui eam veram & realem esse confitentes, non satis Catholice defendere atque explicare conati sunt. Ut enim omittamus Arium haereticum, qui personas essentialiter distingui docuit, quomodo differt Creator a creatura: quidam ex Recentioribus dixerunt, distingui personas non per relationes, sed per quaedam absoluta, ponentes ea non modo distincta in se, verum etiam ab essentia, personisque discreta. Quae sententia prorsus absurda est, & ab Ecclesiae sensu aliena. Neque enim aut Patres, aut Concilia quidquam absolutum in Divinis agnoverunt, quod non facerent tribus personis commune.

Alii fatebantur quidem personas a relationibus distinctionem accipere, sed has relationes dicebant ab essentia, & personis reipsa distingui; quippe quae non internae essent Deo, vel personis Divinis, sed uti aiebant, extrinsecus illis affixae. Cujus erroris auctor fuit Gilbertus Porretanus Pictavorum Episcopus, qui etiam eo progressus est absurditatis, ut ipsam Divinitatem Deum esse negaret. Quem ejus errorem cum aliis recenset & refutat Sanctus Bernardus Serm. 80. in *Cantic.* addens, se praesente illum suos errores tandem recantasse in Concilio Remensi jussu Eugenii III. coacto.

Ut

Ut autem hic ejus error, de quo nunc agimus perspicia-
tur, notandum, quod in relationibus creatis duo consideran-
da veniant; alterum quod sint accidentia, alterum quod eo-
rum natura consistat in respectu ad aliud. Illud multis aliis
commune est, utpote accidentibus absolutis; hoc autem, re-
lativis proprium. Jam vero quidquid accidens est in creaturis,
Deo attributum, substantia est, ut potentia, sapientia, boni-
tas, & cetera. Quare & relatio, quatenus in creaturis accidens
est, & inhaerens quiddam, hac ratione si Deo tribuatur, sub-
stantia est, ut paternitas, filiatio. Ceterum praeter hoc, etiam
propriam eorum, quae sunt ad aliquid rationem, relatio reti-
net in Deo, qua nempe fiat, ut per illam persona personam
tamquam aliquid a se distinctum, & ut loquuntur extrinse-
cum, respiciat. Hanc autem propriam relativorum rationem,
ita Porretanus prae oculis habuit, ut alterum illud, quod iis
est cum accidentibus absolutis commune, scilicet inhaerere,
atque internum esse ei cui convenit, non consideraret: qua
quidem communi ratione jam ostensum est relationem Deo
attributam esse ipsam ejus substantiam. Atque ex hoc fun-
damento recte error iste refutatur; quemadmodum id doctè
facit S. Thomas 1. p. qu. 28. art. 2. Pertinent praeterea ad
hujus erroris refutationem, quae contra opinionem Abbatis
Joachim dicta sunt ad 5. Dist. & quae de simplicitate essen-
tiae Divinae ad 8. & quae circa praesentem distinctionem de
relationum identitate cum essentia, & personis. Denique quo
argumento Sanctus Bernardus *Sermone supradicto* probat Divi-
nitatem esse Deum; quia nimirum non est aliquid aliud a Deo,
eodem perinde probatur paternitatem esse Patrem; & ita
de aliis relationibus: ex plurimis quoque S. Augustini locis,
quibus hoc idem ostendi potest, suffecerit in praesens, quod
apud eum legitur lib. 11. de Civit. Dei cap. 10. ubi diserte do-
cet, ideo simplicem esse Dei naturam, quod in ea non sit
aliud habens, & aliud quod habetur; excepto quod relative
alterum ad alterum dicitur. Cum ergo paternitas non ad Pa-
trem relative dicatur, sed tantum ad Filium, constat ibi non
aliud esse esse Patrem, aliud paternitatem; sed hoc esse il-
lud. Idemque judicium de ceteris.

§. IV.

Responsio ad objectiones in contrarium.

S. Thom. ubi sup.

Auctores erroris supradicti his fere rationibus moti fuisse videntur.

Prima. Personae determinantur ac distinguuntur proprietatibus; oportet igitur a personis proprietates esse *re* distinctas, cum nulla res seipsam determinare, aut per seipsam distingui possit. Sed facile respondetur, non tantum per aliud, verum etiam per seipsum quippiam determinari ac distingui posse. Nam si rerum distinctio non fit nisi per res alias, in infinitum erit progressus; quia etiam res illas, seu formas distinguentes erit necesse distingui per alias posteriores. Quare cum personas Divinas proprietatibus distingui, ac determinari dicimus, non aliud revera dicimus, quam personas per seipsas distingui ac determinari: quomodo in rebus creatis per seipsas ab aliis distinguuntur formae simplices, & individuorum proprietates. Ideo tamen potius personas proprietatibus distingui dicimus, quam contra; quia proprietatibus, ut tales sunt, competit distinguere; personis autem sive suppositis per illa distingui.

Secunda. Tres personae non differunt essentia, differunt autem proprietatibus; ergo proprietates non sunt essentia. *Respondeo* non sequi; quia licet fateamur, proprietates esse Divinam essentiam, non tamen essentiam significant, sed relationes, & hac ratione per eas distinguuntur personae.

Tertia. Si proprietates sunt essentia Divina, cum haec simplex sit & unica, consequens erit, proprietates confundi, sic ut una sit altera, juxta illud: *Quaecumque eadem sunt uni tertio, eadem sunt inter se.*

Respondetur, quae in eodem communi conveniunt, non continuo convenire inter se. Est autem essentia Dei quiddam commune tribus personis, non quidem ut genus aut species, sed

sed modo quodam ineffabili. Qua de re satis dictum *ad Dist.* 19. Paulo aliter respondet S. Thomas I. p. *qu.* 28. *art.* 3. *ad primum.* Utramque responsionem expendat lector. Et quidem haec ratio, si quid momenti haberet, aequè convinceret tres personas non esse Deum.

Praeter has rationes adducebat Porretanus auctoritatem Boëtii, qui lib. 1. *de Trin. cap.* 6. affirmat, omnia quae Deo tribui possunt, transire in ejus substantiam: ea vero, quae sunt ad aliquid, de Deo praedicari non posse, quibus consentanea scribit etiam ejusdem libri capite decimo, & undecimo. Sed respondendum, non aliud significare voluisse Boëtium hujusmodi verbis, quam relationem consideratam secundum propriam dumtaxat ipsius rationem, separato nimirum eo, quod illi cum aliis accidentibus est commune, non posse de Deo praedicari, tamquam inexistentem aliquid, sed tantum per modum ejus, quod extrinsecus atque in aliud tendit; qui sensus Auctoris *ex cap.* 10. facile colligitur.

Postremo. Sicubi Patres negare videntur, proprietates personarum esse essentiam Dei, non aliud volunt, quam diversorum nominum in Deo diversum esse significandi modum. Alia namque Deum significant per modum substantiae, alia per modum proprietatis personalis. Ideoque diversa est in his, & illis propria significandi ratio. Res tamen significata prorsus eadem.

IN DISTINCT. TRIGESIMAMQUARTAM.

§. I.

Quid intersit inter Naturam, & Personam.

S. Thom. 1. part. q. 29. art. 2. & q. 39. art. 1. & rursum qu. 3. art. 1.

Ostensum est partim ad superiorem Distinctionem, partim aliis locis, non ita distinguendum esse inter naturam & personam in Deo ut una non sit altera. Revera enim in Deo,
&

& persona natura est, & natura persona. Nisi enim ita sit, Quaternitatem in Deo confiteri oportebit; scilicet tres personas & naturam ab illis distinctam. Aliquid tamen interesse inter personam & naturam, vel ex eo liquet, quod veteres haeretici, Ariani, Sabelliani, Nestoriani, Eutychiani, haec duo, non ita ut oportuit discernentes, gravissime lapsi sunt. Ariani enim ex tribus Hypostasibus tres *ουσιας*, id est, essentias concludebant. Sabelliani ex una *ουσια*, unam Hypostasim. Nestoriani, quod in Christo duae essent naturae, duas item personas in eo constituebant. Eutychiani denique personae unitatem in Christo non aliter consistere arbitrabantur, nisi duabus naturis in unam contractis, aut altera per alteram consumpta. Breviter itaque discrimen illud, cujus ignorantia hos errores peperit, nobis est explicandum.

Igitur in rebus creatis reipsa aliud est natura, aliud persona, atque in genere suppositum. Non enim homo est humana natura; aut Petrus Petri natura. Quod & in Christo locum habet, qui quatenus homo non est natura, sed persona tantum; tametsi naturam humanam habeat. At in Deo, propter summam ejus simplicitatem idem reipsa est persona quod natura, quemadmodum bene docet Sanctus Thomas I. p. qu. 3. art. 3. & qu. 39. art. 1. Unde & Sanctus Augustinus lib. 7. de Trin. cap. 6. Cum dicimus, inquit, *personam Patris, non aliud dicimus, quam Substantiam Patris*. Quocirca Christus ipse qua ratione Filius Dei, non tantum habere naturam dicitur, sed & esse ipsa natura, sive essentia Divina. Ceterum agnoscenda est etiam hic inter naturam & personam rationis distinctio. Alia namque naturae, alia personae ratio est. Natura enim ut talis, supposito vel suppositis communicabilis est, atque in iis subsistit: persona vero est ipsum suppositum, in quo natura subsistit; estque secundum propriam rationem incommunicabilis, ut ex ejus definitione *ad Distinct.* 23. exposita, clarum est. Efficit hoc rationis discrimen, ut neque personarum distinctio in Deo naturas multiplicet; neque naturae unitas personas confundat. De qua re plura vide supra *ad Distinct.* 23. & 25.

§. II.

Quomodo Hilarius dixerit *aliud esse naturam , aliud rem naturae.*

S. Thom. 1. part. q. 39. art. 2. ad 6.

Qui personam a natura secundum rem distinguunt abutuntur ad id probandum testimonio Hilarii, qui lib. 8. de Trinit. circa medium, sic ait: *Non idem est natura, quod naturae res, sicuti non idem est homo, & quod hominis est, nec idem est ignis, & quod ignis ipsius est; & secundum hoc non idem est Deus, & quod Dei est.* In quibus verbis per rem naturae dicunt significari personam, in qua natura subsistit. Sed ad hoc respondentes dicimus, ex variis S. Hilarii locis satis constare, non eum ponere reale discrimen inter naturam, & personam, quae loca, partim Distinctione octava, partim proxime praecedenti a Magistro sunt allegata. Nam libr. 7. post med. affirmat: *Totum, quod in Deo est, unum esse.* Et lib. 8. non procul a fine, negat in Deo aliud esse, quod ab eo habetur, & aliud ipsum qui habet, sed totum vitam esse dicit, id est, naturam perfectam & infinitam. Quin & hoc ipso loco in diversum adducto, non longe post verba commemorata, expresse docet: *Ea, quae Dei sunt, ita ut insint, non aliud esse, quam quod est ipse Deus.* Addit autem, *ita ut insint*, propter creaturas, quae Dei quidem sunt, sed non insunt ei intrinsecus. Quod ergo dicit, *non idem esse naturam, & rem naturae*, quo sensu dictum sit videndum. Magister respondet, iis verbis Sacrum Hilarium respexisse ad naturam rerum creaturarum; propterea quod de creaturis exempla subjecerit, ideoque eum dixisse: *& secundum hoc non idem est Deus, &c.* quasi dicat, si more humano de Deo sentiamus, cogemur fateri, *non idem esse Deum, & id quod Dei est.*

Alii vero existimant, S. Hilarium tantum voluisse indicare rationis discrimen inter naturam, & personam; de quo discrimine paullo ante dictum est.

Verum probabilior est eorum solutio, qui dicunt, Hilari-um per *rem naturae* intellexisse non simpliciter personam: neque enim Patrem S. Hilarius usquam vocat *rem naturae*; sed eam *rem*, id est, personam, quae producitur atque procedit ab altera, cujus naturam participat. Nam Sancto Hilario Filius est *res naturae* Patris, & Spiritus Sanctus *res naturae* Patris, & Filii. Eundem sensum confirmant exempla a Sancto Hilario producta de homine, & igne; ubi *per id, quod hominis est, & ipsius ignis*, non recte suppositum hominis, vel ignis intelligitur: non enim naturam horum praemisit, sed effectus ipsorum, ut homo ex homine genitus, ignis ab igne productus. Non aliud ergo significare voluit S. Hilarius, quam id, quod procedit ab aliquo, tametsi in unitate naturae, non idem esse cum natura producente, id est, cum eo, a quo in naturae similitudine procedit: sicut homo genitus non idem est cum homine gignente.

§. III.

Quare Patri in Divinis approprietur *potentia*?

S. Thom. 1. part. quaest. 39. art. 8.

INter appropriata Divinarum personarum maxime frequen-tatur in Sacris Litteris, & Sanctorum scriptis, hic ternio, *potentia, sapientia, bonitas*; ut *potentia* accommodetur Patri, *sapientia* Filio, *bonitas* Spiritui Sancto. Quibus tribus eodem ordine respondent & haec tria, velut actus illorum, *creatio, redemptio, & sanctificatio vel beatificatio*. Et primum quidem Patri *potentiam* tribuunt haec & similia Scripturae loca Matth. 11. *Confiteor tibi Pater Domine Coeli & Terrae*. Et 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Marci 14. *Abba Pater; omnia tibi possibilia sunt*. Et Psal. 88. *Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine*. Quod ad Patrem dici satis declarant quae in eodem Psalmo subsequuntur. Hinc etiam est, quod Apostolus 1. *Timoth. 6*. Patrem

trem solum *Potentem* vocat. His accedit, quod in Symbolo Apostolico, aliisque Fidei Symbolis posterioribus profiteamur, nos credere in Deum Patrem Omnipotentem, omniamque rerum Creatorem. Quibus verbis non tantum Omnipotentiam, sed opus creationis videmus Patri peculiariter adscribi. Cur autem Patri omnipotenti accommodetur, haec ratio esse videtur; quia Pater est origo & principium non tantum omnium rerum creaturarum, sed & Divinarum personarum. Jam vero quanto plura quis efficere ac producere potest, tanto solet apud homines haberi potentior. Quoniam ergo *potentia* magis congruit cum personali proprietate Patris, fit ut Patri peculiariter accommodata sit. Et quia in opere creationis totius Mundi potentia Divina maxime refulcet, hinc & creatio Patri appropriatur: cujus tamen & alia ratio reddi potest; quia nimirum quomodo Pater prima est in Divinis persona, & origo aliarum; sic & opus creationis inter Dei opera primum est, ac reliquorum omnium, velut redemptionis, ac sanctificationis fundamentum.

Neque his obstat, quod Filius aliquando in Scripturis, *virtus*, & *fortitudo*, & *brachium* Patris appelletur, ut 1. *Corinth.* 1. & *Isai.* 53. & 63. Haec enim ita tribuuntur Filio, & nonnumquam etiam Spiritui Sancto, ut tamen ambo significantur ea accepisse a Patre, qui velut primus auctor per eos suam potentiam exercent. Tametsi Sanctus Thomas existimet, Filium, & Spiritum Sanctum non aliter vocari *virtutem Dei*, quam ut *virtutis* nomine intelligatur id, quod a potentia procedit atque producitur. Sed hoc non apparet: quandoquidem Apostolus Christum similiter appellaverit *Dei virtutem*, & *sapientiam*. Vide Sanctum Thomam in illum locum *Apostoli*.

§. IV.

Cur Filio approprietur *sapientia*.

S. Thom. eodem loco.

Sapientiam accommodari Filio multa Scripturae testimonia probant. Nam *Proverb.* 8. & *Eccles.* 24. sub nomine *sapientiae* loquens introducitur Filius Dei. *Sap.* 7. & quatuor sequentibus multa dicuntur in laudibus sapientiae, necessario ad sapientiam increatam, id est, Filium Dei referenda. *Baruch* 3. de Sapientia sermo sic concluditur: *Post haec in terris visus est, & cum hominibus conversatus.* Quod & foemino genere verti potuit, ut ad sapientiam referatur, sicut omnino referendum videtur. *Matth.* 11. & *Luc.* 8. de seipso dicitur Filius Dei: *Et iustificata est Sapientia a Filiis suis.* *Luc.* 11. dicitur: *Propterea & sapientia Dei dixit: mittam ad illos Prophetas, &c.* Quae verba *Matth.* 23. Filius Dei in propria loquitur persona. Paullus quoque *1. Corinth.* 1. Christum Dei *Sapientiam* dixit; & iterum ait: *Qui factus est nobis sapientia a Deo.* Et *Col.* 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae absconditi.*

Porro ratio hujus accommodationis multiplex est; potestque sumi ex utraque Filii natura Divina, & humana. Nam secundum naturam Divinam Filius procedit ut Verbum: *Verbum autem*, inquit Sanctus Thomas, *nihil aliud est quam conceptus sapientiae.* Sicut autem Filius secundum formam Dei ab aeterno media fuit persona inter Patrem & Spiritum Sanctum, tamquam verbum medium inter mentem & amorem; ita congruebat, ut idem Filius per assumptam formam servi in plenitudine temporis medius fieret inter Deum & hominem. Qua ratione factum est, ut per eundem perficeretur opus Redemptionis humanae, quod & per ipsum inter creationem & beatificationem medium est. In forma igitur assumpta multipliciter declarata est *sapientia* Filii Dei. Quod & ab Augustino annotatum est *lib. 7. de Trinit. cap. 3. Primo qui-*

quidem ; quia factus est nobis Doctor *sapientiae* , docens terrena contemnere , coelestia amare , atque alia quamplurima verae sapientiae praecepta tradens. *Secundo* ; quia sub forma servi latens , & peccatoribus assimilatus , hostem humani generis elusit ; dum per passionem & mortem perfecit opus nostrae Redemtionis. *Tertio* , quia per extremam humilitatem ad summam gloriam euectus est. *Quarto* ; dum per infirma , stulta , ignobilia , & contemptibilia hujus mundi propagari voluit suum Evangelium , 1. *Corinth.* 2. Quae quidem omnia summae *sapientiae* opera fuerunt.

§. V.

Cur *Bonitas* approprietur Spiritui Sancto?

S. Thom. ibidem.

Bonitatem Spiritui Sancto passim attribuant Sacrae Literae, ut Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me.* Sap. 1. *Benignus est Spiritus sapientiae.* Et cap. 7. *Spiritus sapientiae describitur suavis , humanus , benignus.* Et cap. 12. dicitur : *O quam bonus , & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus!* Eccles. 24. *Spiritus ejus super mel ducis.* Luc. 11. *Pater vester de coelo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Praeterea omnis affluentia donorum Dei Spiritui Sancto fere adscribitur, ut *Isai.* 11. *Joel.* 2. *Joan.* 7. 14. & 16. *Actor.* 2. 1. *Corint.* 12. & *Tit.* 3. Immo universa , quae operatus est causa salutis nostrae Filius Dei in carne assumpta , tribuit Scriptura Spiritui Sancto , ut conceptionem ejus , *Luc.* 1. ; jejunium ejus in deserto , *Matth.* 4. ; miracula ejus , *Matth.* 12. ; oblationem ejus in cruce , *Hebraeor.* 9. ; resurrectionem ejus , *Roman.* 8. Haec enim omnia summa bonitatis , benignitatis , ac misericordiae opera sunt.


(Cur autem haec adscribantur Spiritui Sancto , ratio est, quia Spiritus Sanctus per modum amoris procedit. Cum enis sit tertia in Trinitate persona a reliquis duabus procedens , ex qua ad aliam non fit progressus , sed in qua sistitur , & quodam-

dammodo quiescitur; recte amori comparatur, ad quem quidem mens cognoscendo progreditur, sed ex quo non pergit in actum ulteriorem, videlicet ipsa delectatione, quae in amando consistit, contenta, amorem autem esse proprium opus bonitatis perspicuum est.

Patet hinc etiam, quare *sanctificatio*, & *beatificatio* peculiariter tribuantur Spiritui Sancto. *Sanctificatio* enim opus est eximiae charitatis. At *beatificatio* ultimum est opus Dei, ad quod praecedentia creationis, & redemptionis opera destinantur. Ideo enim primum conditi, ac deinde redempti sunt homines, ut ad beatitudinem aliquando perveniant.

Porro quod attinet ad rationes trium jam dictorum appropriatorum a Magistro allatas, & originaliter acceptas ex Summa sententiarum Hugonis *Tract. 1. cap. 10.* scilicet quod *potentia* tribuatur Patri, ne propter antiquitatem putetur infirmus; & *sapientia* Filio, ne tamquam Patre posterior videatur minus sapiens, quod utrumque in hominibus accidere solet; denique quod *bonitas* Spiritui Sancto ne putetur esse saevus & implacabilis, eo quod spiritus in humanis inflationem & violentiam quamdam importet: hae rationes, inquam, idcirco minus sunt probabiles, quia non sumuntur ex congruentia, quam habeant haec appropriata cum personarum proprietatibus: sed tantum e diverso obijciuntur intellectui humano, ne forte circa ipsas proprietates ex rerum humanarum similitudine errorem concipiat; quare nec in Sacris Literis, nec in scriptis Veterum fundatae sunt. Utrasque vero rationes satis breviter complexus est Sanctus Thomas I. p. *quaest. 39. art. 8. in corp.*

FINIS.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.


1811

Additional faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or a concluding paragraph.









ESTII

I

Universitat de València

Biblioteca Històrica

A-39

116